DEFENSIONIS ECCLESIASTICAE LIBERTATIS LIBRI DUO. CONTRA VENETAE CAUSAE...

Adam Tanner

ECCLES . S. CÆ LIBERTATIS LIBRI DVO.

CONTRA VENETÆ CAVSÆ PATRONOS, IOANNEM MARSILIVM NEAPOLITANVM, ET PAVLVM VENETVM SERVITAM, &c.

AVTHORE

ADAMO TANNERO

E SOCIETATE IESV, SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE, ET IN ACADEMIA Ingolstadiensi Professore.

IN QVIBVS PRAECIPVA, ET ECCLESIASTICAE libertatis fundamenta exponuntur, & aduersa causæ firmamenta refelluntur.



INGOLSTADII,

Ex Typographia Ederiana apud Andream Angermarium.

Anno M. DC. VII.

INDEX CAPITUM LIBRI PRIMI.

INDEX

INDEX CAPITUM LIBRI SECUNDI.

APPRO-

APPROBATIO THEOLOGICÆ FACVLTATIS ACADEMIÆ Ingolstadiensis.

Iure duo hi libri Defensionis Ecclesiasticæ libertatis, à R. Patre Adamo Tannero è Societate IESV, sacræ Theologiæ Doctore, & in hac celeberrima Academia Ingolstadiensi Professore, Collega nostro honorando conscripti, contra eiusdem oppugnatores, hoc tempore in lucem dantur: quos vt Fidei, Ecclesiasticisq́; institutis ac moribus cumprimis consentaneos loco & nomine Theologicæ Facultatis eiusdem Academiæ lubentes approbauimus: & subscripsimus.

PETRVS STEVARTIVS S. Theologiæ Doctor & Professor, Academiæ Ingolstadiensis Procancellarius, & pro tempore Rector, Canonicus Leodiensis & Eichstadiensis, Coloniæ ad sanctos Apostolos Præpositus, &c.

ADAMVS GERICK, S. Theologiæ Doctor & Professor, Collegiatæ Ecclesiæ Ratiborij ad Diuam Virginem Decanus, &c.

PRÆ-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

E*Nata eſt, lector, anno ſuperiore, controuerſia inter Eccleſiæ Catholicæ caput, Pontificem Romanum, Papam Paulum V. & Ducem ac Rempub. Venetam, quæ vt Chriſti in terris Vicario debitam obedientiam denegaret, neſcio quibus malorum Conſultorum ſuaſionibus eſt inducta. Magnum ſanè malum, & graue ſcandalum, Rempub. Chriſtianam, Chriſti Vicario; membrum capiti; filiam Patri amantiſſimo aduerſariam fieri. Res planè qua nemo bonus gaudeat, nec triſtari ferè poteſt quiſquã malus, offendi autem pariter & bonus, & malus; malitiâ iſte; ille ignorantia, aut fragilitate.* Væ enim mundo à ſcandalis. Neceſſe enim eſt vt veniant ſcandala, veruntamen væ homini illi per quem ſcandalum venit. *Væ etiam homini, qui ſcandalum accipit, vt quod neceſſe eſt fieri, in ſeipſo ſponte patitur, vt fiat. Vtinam verò, vt cum S. Auguſtino loquar, (epiſt.* 130.) Scripturę Dei ſolicita mente intendẽtes, in quibuſq; ſcandalis adiutorio *humani* ſermonis non egeremus, & ille nos potius cõſolaretur, qui non ſolum bona, quæ ſanctis & fidelibus ſuis redditurus, verum etiam mala, quibus erat hic mundus abundaturus, ante prędixit, ante conſcribenda curauit, vt bona poſt ſeculi finẽ ſequutura certiores exſpectaremus, quàm mala ſimiliter prænuntiata, ante ſeculi finem præcedentia ſentiremus, &c. Nam quid opus erat, vt ipſe Dominus IESVS non ſolum diceret; tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol

in

in regno Patris sui, quod post se[culum hoc] futurum est; verum etiam exclamaret; Vę mundo à scandalis: nisi vt nobis non blandiremur, venire non posse ad sedes felicitatis æternę, nisi temporalibus malis exercitati non deficeremus? Quid opus fuit, vt diceret; Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum, nisi vt illi, de quibus continuò loquutus adiunxit; Qui perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit, cum hac iniquitatis abundantia refrigescentem charitatem viderent, non perturbarentur, non expauescerent, nõ quasi rebus insperatis & inopinatis contristati deficerent, sed potius videntes accidere, quæ futura prædicta sunt ante finem, patienter perseuerarent vsque in finem, vt securi mererentur regnare post finem, in ea vita quæ non habet finem.

Certe quidem quisquis verè Christianus est, vti non potest non vehementer dolere, videns sponsam Christi scandalis & dissidiis lacerari; (qui enim ista nõ dolent, non est in eis charitas Christi, *inquit idem Augustinus*) *sic & qui constanter Christum diligit, nullo scandalo ad ruinam impelli potest.* Scimus enim, *teste Apostolo*, quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti.

Illi viderint, qui obliti status & professionis suæ, obliti muneris & dignitatis, cum scandala eiusmodi amoliri & comprimere deberent, fouent, stabiliunt, propugnant. Quibus rectè Augustinus in Psal. 49. accommodat, illud Psalmi; Os tuũ abundauit malitia, & lingua tua amplexata est dolositatẽ, *vel vt nos legimus,* concinnabat dolos. Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ *(Ecclesiæ)* ponebas scandalum. Maleuolentiam, *inquit sanctus Pater,* & dolositatem quorundam hominum dicit, qui per adulationem quamuis sciant mala esse, quæ audiunt, ne offendant eos, à quibus audiunt, non solum non reprehendendo, sed tacendo

 con-

consentiunt. Paru... est, quia non dicunt malè fecisti; sed dicunt, & bene fecisti, & norunt malum esse. Sed abundat os eorum malitia, & lingua eorum amplexatur dolositatē.

Profectò dolosi, qui cum amicè osculari & amplecti videantur titubantem, penitus ad terram allidunt, aut iam allisum detinent, ne resurgat. Præcipitas, *inquit Augustinus ibid.* hominem incautè vitia sua proferentem, & an sint vitia nescientem, tu qui scis vitium esse, non dicis, corruisse illum. *Quod quidem amici non esse, sed inimici facilè ibidem ostenditur.* Si quem enim videres, *inquit*, ambulare incautum in tenebris, vbi tu puteum esse scires, & taceres, qualis esses? Nonne inimicus deputareris animæ eius? Et tamen si in puteum caderet, non anima, sed corpore moreretur. *Iam verò ecce* proximus tuus præcipitat se in vitia sua, prædicat apud te malè facta sua, tu nosti mala esse, & laudas, & irrides apud te. O si conuertatur aliquando ad Deum ille, quem irrides, & quem corripere noluisti, & dicat, confundantur, qui dicunt mihi Euge euge. *Istis demum in specie blandis amicis, reipsa infestis hostibus quid fieret; quam à Deo gratiam, quam ab hominibus reportarent? Certe hoc vti facile est cuique, vel diuinando assequi, ita ex animo precor, vt potius vtrique, diuina misericordia oculis aspecti ad cor redeant, lapsum agnoscant, defleant, emendent.*

Interim verò vt in tanta Venetorum calamitate, pro meo modulo re ipsa aliquid opis in hæc vota conferrem, atq; etiam scandalo quod apud nonnullos, etiam viros Catholicos, quorundam scriptorum, præsertim verò Ioannis Marsilij Neapolitani, & Pauli Veneti Seruitæ, hinc inde volitantes chartæ, iam à Generali Inquisitione damnatæ & prohibitæ, concitarunt, pro viribus occurrerem, ideo aliorum tam authoritate, quam doctrina longè præstantissimorum authorum vestigiis insistens, hanc Ecclesiasticæ libertatis (qua de omnis cum Senatu Veneto controuersia est) defensionem qualemcunq; suscepi. Quod ob eam etiam causam feci libentius, tum vt

Catho-

Catholici, si qui hæc fortè leg[illegible] Reip. Venetæ periculo, diuinum ei Numen placatum [illegible] suis precibus reddere studeant; tùm vt hæretici cum malis Christianis, si tamen Christianis, etiam ipsi non Christiani redarguantur, illi præsertim, qui vt est id hominum genus, ad omnem Catholicæ Ecclesiæ infelicitatẽ exoptandam & fouendam procliue, suo etiam assensu, & praua doctrina in vulgus edita, Venetæ Reip. hactenus vtiq; Catholicæ, & talium Patronorum minimè appetenti, illudere potius in suo infortunio, quam patrocinari sunt ausi.

Ego verò statui hac tractatione, non minutatim, aut singulorũ, aut singularis alicuius scriptoris pro causa Veneta singula verba, & effata persequi, quod iam abunde ab aliis præstitum video, sed summa tantum rerum capita, & communia tantum ferè omnium principia, & quasi fundamenta, quibus tota eorum malè fabricata structura nititur, conuellere, iisq; contraria paulò firmius stabilire, vt nemo Christiano nomine censendus esse posit, quin causam Apostolicæ Sedis, ipsiusque Ecclesiæ, in hac controuersia, Iuris & æquitatis plenissimam manifestè perspiciat.

Qua de causa etiam tractatum in duos libros seu partes diuisi: primam confirmationi Catholicæ doctrinæ de Iure Ecclesiasticæ libertatis; alteram eiusdem contra aduersariorum obiectiones defensioni tribuens. Tu lector, quisquis hoc malo, quod sanatum cupimus, seriò tristaris, lege, & faue. Si irrisor tantũ, & irrisor es, ne sic quidem legẽtem repellimus; sed suo in interitu ridentem, quasi deploratum lugemus. Christianorum hæc vox est apud Augustinũ cit. epist. 137. Illos qui gaudent de istis doloribus nostris, de quibus in persona corporis Christi, tanto ante prædictum est; Aduersus me insultabant, qui sedebant in porta, & in me psallebant, qui bibebant vinum, *ita sustinemus, vt etiam pro* illis orare, & bonum eis velle didicerimus.

DEFENSIONIS ECCLESIASTICÆ LIBERTATIS

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

PROPONITVR SPECIES FACTI, ET STATVS TOTIVS CONTROVERSIÆ EXPLICATVR.

CONCERNIT hæc Controuersia generatim libertatem & im̃unitatem Ecclesiasticam, tàm quæ directè personis, quàm quæ bonis Ecclesiasticorum communi Iure cõuenit. Tributa est in quinq; capita principalia. Primum est, An Senatus Venetus propria autoritate, non consentiente Apostolica sede, ius habeat legem statuendi, ne quisquam siue secularis, siue Ecclesiasticus in ditione veneta Ecclesias, monasteria, hospitalia, atque alias religiosas domos & pia loca, absq; eiusdem senatus speciali licentia fundare & erigere possit, pœna exilij ac perpetui carceris, & publicationis fundi, contra im̃origeros decreta.

Secundum controuersiæ caput est. An Senatus Venetus propria autoritate, non consentiente Apostolica Sede, ius habeat legem statuẽdi, qua per Venetam ditionem bona Ecclesiastica Emphyteutica à Laicis possessa, ad Ecclesias

clesias & pia loca, quorum est directum dominum, vllo vnquam tempore, quouis titulo, redire prohibentur.

Tertiũ est, An Senatus venetus propria autoritate, non consentiente Apostolica Sede, ius habeat legem statuendi, nequis per venetã ditionem, bona imobilia, ad pias causas, aut in fauoré personarũ Ecclesiasticarum, testaméto, donatione inter viuos, aut quouis alio titulo, absq; senatus prædicti licentia, alienare, aut vltra certũ & præfinitũ tépus obligare ausit, sub pœna publicationis eiusmodi bonorũ, &c.

Quartũ est, An Senatus Venetus seu propria autoritate seu ex priuilegio à Pontificibus quondam concesso, repugnante tamen pro tempore summo Pontifice, propter quęlibet enormia crimina carceribus tradere, aut detinere captiuas possit personas Ecclesiasticas, præsertim in maioribus, etiam Ecclesiastica dignitate constitutas.

Quintum est, An Senatus Venetus expresso summi Pontificis mandato, quo sua eiusmodi decreta & ausa reuocare & retractare iussus fuerat, inobediens deprehensus, ab eodem Pontifice, iure fuerit Ecclesiastico anathemate adstrictus, ipsaq; ditio veneta Ecclesiastico Interdicto subiecta; quibus proinde sententiis illi dum ritè exoluantur, obtemperare teneantur.

Hunc scopũ, esse totius disceptationis, patet ex facti specie, seu narratione, prout ex vtraq; parte tam sumi Pontificis, Romæ vt existimo, quàm veneti senatus, Venetijs edita est; quam vtramque pro solidiori omnium eorum, quę dicenda sunt fundamento, omissis tamen iis, quæ ad præsens institutum non faciunt, ad verbum hìc oculis subiicere visum est. Ergo quoad primum controuersiæ caput superius expositum, sic habet Romanę Narrationis series, cum ipsis verbis Bullæ sumi Pontificis, per omnia consentiens. *Sub die decima Ianuarij M.D CIII.* (Ducem & Senatũ Venetum)

ad superiora quadã co[...]a, ab eorum Maioribus, vt etiã asserebãt, habita respicientes, quibus cauebatur, ne quisquã siue secularis, siue Ecclesiasticus in Vrbe Venetiarũ, Ecclesias, Monasteria, hospitalia, atq; alias religiosas domos & pia loca, sine eorũ speciali licentia fundaret & erigeret, in Consilio Rogatorum congregatos iterũ decreuisse, vt id eandẽ in omnibus Iurisdictionis eorũ locis vim obtineret, & præterea exilij ac perpetui carceris, & publicationis fundi, vẽditionisq; ædificij contra secus facientes pænã edixisse.

Veneta narratio, quã Paulus Seruita in suo libro Cõsiderationũ edidit, circa hoc punctũ ex Italico in latinum sermonẽ versa sic habet. *Inde usq; ab Anno MCCCXXXVII. Respub. Veneta, propria quadam lege sanxit, ne templa, monasteria, hospitales domus aut huiusmodi loca, eius rei facultate non impetrata, condi fas esset. Quam postea legem annis 1515. & 1561. instaurauit. At vero cum comperisset, idem cura genus & mediterraneis, & maritimis suæ ditionis oppidis esse necessarium, Anno MDCIII. Rectoribus dedit in mandatis, ne inposterum iniussu senatus, cuiquam vel sacro homini, vel prophano liceret, monasteria, templa, hospitales domos, aut quæcunq; vel pro Ecclesiasticorũ hominum, vel laicorum conuentu excipiendo domicilium extruere. Qui secus fecisset, exilio, & publicatione ædificij, ac fundi multaretur.* Quod si à Venetæ causæ Patronis quæras, qua autoritate senatus hanc legem tulerit, fatebuntur rotundè omnes, propria autoritate secularis principis superiorem non agnoscentis, vt inferius patebit.

Quoad secundum Controuersiæ caput, sic habet Romani scripti Relatio: *Sub die 23. mensis Maij Anni MDCII. sumpta occasione ex quadam lite, seu controuersia inter Doctorem Franciscum Zabarellam ex vna, & Monachos monasterij de Praglia nuncupatos, Ordinis S. Benedicti, Congregationis Cassinensis, aliàs sanctæ Iustinæ de Padua in diœcesi Paduana, ex altera, partibus vertente, in eorum concilio statuerunt inter cætera, non solum vt dicti Monachi*

Monachi tunc, aut deinceps vllo vnquam tempore actionem, per quam sub quouis titulo aut colore, in bonis Ecclesiasticis Emphyteoticis à Laicis possessis præferrentur, prætendere, ac etiam iure prælationis seu consolidationis directi cum vtili dominio, aut extinctionis lineæ in primis inuestituris comprehensa, aut alia quauis causa bonorum prædictorum proprietatem sibi vendicare minimè possent; sed tantummodo Ius directi dominij illis præseruatum esset: verum etiam vt idipsum quoad cæteras omnes personas Ecclesiasticas, seculares, Monasteria Monialium, hospitalia, & alia loca pia in eorum temporali dominio existentia, declaratum & firmiter deliberatum censeretur.

Eandem rem Paulus ille Venetus ita narrat: *Anno 1602. senatus vt nimiam Ecclesiasticorum hominum acquisitionem moderaretur, qui calumnia quadam nexus & mancipij, vel vt dici solet, nomine directi dominij, bona laicorum passim sibi arrogare conabantur, lite modo huic possessori, modo illi intentata, Emphyteusis nomine, censibus locationibusq; perpetuis attributo: ac proinde vel sibi prælationes, vt appellant, vbi res venderentur, quærebant, vel Possessores iure suo decidisse calũniabantur, vel bona non ad quoduis hæredum genus transire contẽdebant, graui ciuium damno q perpetuis inuoluti litibus vexabantur: statuit senatus per occasionem controuersiæ à Monachis Praglienſibus excitatæ, ne liceret Ecclesiæ bona à laicis possessa sibi attribuere, vel Iure prælationis lineæ vt vocant, vel consolidationis vtilis, eorum tamen directo dominio semper saluo. Quod statutum est suffragio consuetudinis ducentos annos, & eò longius productæ, iudiciorum innumerabiliũ hac forma institutorum, adde, ad tollendas litium controuersiarũq; occasiones, & certam iudiciorum formam Iudicibus in posterum præscribendam.*

Quoad tertium controuersiæ caput facti series in Romano scripto in hunc modũ refertur: *Vlterius eosdem Ducẽ & Senatum die 26. mensis Martij Anni M DCV. inhærentes alteri decreto*

creto anno M. DXXXVI. ab eodem senatu facto, in quo (vt asserebant) erat expressè prohibitum, ne quis sub certis in illo contentis pœnis, in vrbe Venetiarum, eiusq; ducatu bona immobilia ad pias causas testamento, seu donatione inter viuos relinqueret, aut alio quouis titulo alienaret, siue ad earum fauorẽ vltra certum tunc expressum tempus obligaret (quod in illum vsq; diem, vt ibi etiam dicebatur, vsu receptum & obseruatum non fuerat) non modo iterum vetuisse, sed expressè etiam prohibuisse, ne bonorum eiusmodi immobilium alienationes, in fauorem personarum Ecclesiasticarum sine senatus prædicti licentia fierent; ac insuper decretum ipsum, & pœnas in eo contentas per vniuersum eorum dominium extendisse, & per Rectores & potestates ciuitatum & locorum sui dominij promulgari fecisse, atq; bona immobilia omnia, quæ contra præmissorũ formã vendi, aut quouis modo alienari contingeret, vltra nullitatis pœnam publicari & vendi, eorumq; pretium inter Rempub. ipsam, Magistratum exequentem, & eius Ministros, ipsumq; denuntiatorem diuidi mandasse, & aliàs, prout in decretis & mandatis Ducis & Senatus prædictorum, latius dicitur contineri.

Paulus Venetus cùm de necessitate huius decreti constituendi, multa ex suo sensu præfatus esset, sic tandem infit: *Vt ergo huic adeò graui, notoq; incommodo mederetur Respub. edixit Anno M CCC.XXXIII. ne quisquam Ecclesijs bona stabilia in perpetuũ dono daret vel legaret, tum in vrbe, tũ ducatu veneto. Quod tamen si fieret, intra certum tempus illa diuenderentur, eorum pretio Ecclesijs restituto. Quæ lex non eodem modo seruata est vsq; ad annum 1536. Quo anno res in hunc modum constituta est: Ne cuiquam nisi in annos duos illa, de quibus dictum est, bona Ecclesijs legare liceret, intra quod tempus distraherentur, idq; nisi ab Ecclesiasticis fieret, faciendum curaret ex publico aliquis Magistratu.* Et infra: *Anno*, inquit, *1605. legẽ, quæ ea de re Venetijs sancita erat, vniuerso veneto Imperio propositam voluit, illudq; simul addidit, ne quisquam quouis colore quæsito, venditionis, donationis, alióue*

alioúe quocunq; modo in personam Ecclesiasticam transferre bona stabilia posset, sine senatus facultate eodem modo concedenda, quo in alienatione publicorum bonorum concedi consueuit. Si quid secus fieret, irritum esset ac nullum, bona publicarētur, Tabelliones multarentur.

Quo ad quartum Controuersiæ caput, Relatio Romana sic facti speciem enarrat: *Eosdem Ducem & Senatum, Scipionem Saracenum Canonicum Vicentinum, & Brandolinum Valdemarinum Foroiuliensem Abbatem Monasterij, seu Abbatiæ de Neruesa Taruisinæ diœcesis, personam in dignitate Ecclesiastica constitutam, ob quædam prætensa crimina, in ciuitate Vicentina, & alibi per illos (vt dicebatur) commissa, carceri mancipasse, & mancipatos detinuisse, sub prætextu, quòd eis hæc facere liceret, inter alia, ob quædam ipsis Duci & Reipub. à quibusdam Romanis Pontificibus concessa, vt asserebant, priuilegia.*

Paulus Venetus, præterquam quòd vtriusque supradicti casus speciatim meminit, hæc etiam generatim de potestate, quam Respub. Veneta in Ecclesiasticas personas exercere consueuerit scribit: *Cum sæpe,* inquit, *in atrocibus nefarijsque sceleribus homines Ecclesiastici deprehensi essent, quos tamen oportuerat vitæ morumq; integritate è Capitalium Quæsitorum iudicijs se eximere, sui muneris esse existimauit, huiusmodi etiam iudicia in illos exercere, quatenus id publica tranquillitas exegisset: non abrogato interim ad finitimorum Principum exemplum, iure Exemptionis in leuioribus cognitionibus criminum. Qua ratione improbos coercuit, miserè læsos solata est, atque potestatem à Deo sibi traditam exercendo, iam inde à suis incunabulis ad hæc vsque tempora, consueuit grauia cuiuscunque, ex quouis Ecclesiasticorum hominum ordine vel gradu, delicta punire. Quibus artibus intactam veri sui Imperij libertatem cum publica tranquillitate perpetuò coniunxit.*

Denique circa postremum controuersiæ caput, in Ro-

mano ſcripto facti forma in hunc modum narratur: *Cum itaque tot modis Senatus Veneti decreta omnem Eccleſiarum, perſonarum, & rerum Eccleſiaſticarum immunitatem, quaſi hoſtiliter oppugnarent atque ſubuerterent, ac ſæpe blandè & paternè monitus, ea reuocare & delere de ſuis Capitularibus renuiſſet, Paulus Pontifex, cauſa primum maturè diſcuſſa, & viris piis ac doctis ſæpe conſultis, denique non ſine magna mentis amaritudine & intrinſeco animi dolore, Anteceſſorum ſuorum more, ad cenſuras Eccleſiaſticas contra eundem ſenatum & ſenatores (quorum ſalutem ſpiritualem non minus deſiderat, quam eorum Reipub. & totius dominij felicitatem & incrementum) venire coactus fuit. Nouit enim ſe pro authoritate Eccleſiæ tuenda, vſque ad animam, & ſanguinem certare debere, &c. Si enim vel negligeret, vel conniuentibus oculis talia fieri permitteret, non minus quam Principes ſeculares, Eccleſiaſticam videretur libertatem violare, &c. Itaque & pro Eccleſiaſtica immunitate defendenda, & pro Sedis Apoſtolicæ authoritate tuenda, & pro Repub. Veneta à magnis calamitatibus, quas ſibi propter talia decreta impendere conſpicit, vendicanda, contra eorum decretorum Conditores, iuxta formam ſacrorum Canonum, Conſulto ſacro purpuratorum Patrum Collegio, qui magna Conſenſione, & religioſa pietate atque conſtantia, eius ſententiam comprobauerunt, per debitas cenſuras Eccleſiaſticas meritò procedendum eſſe decreuit, &c.*

Cæterum Paulus Venetus, cum proceſſus Apoſtolici contra Venetos ſeriem fusè denarraſſet, idq; in eo ſpeciatim, poſtremum Breue Apoſtolicum circa diem 17. Aprilis contra Venetos Romæ publicatum affixumq; fuiſſe, non amplius quinque menſium ſpatio, ab exordio negotij ad id vſque tempus interlapſo; cumq; proinde multa de nimia celeritate eiuſdem proceſſus, multa de aliis eiuſdem defectibus, conqueſtus eſſet, tandem concludit à pag. 50. ſentẽtias in ea latas, tanquã nullius valoris, ſpernẽdas, Principiſq;

cipisq; officium esse, vt contra iniustam vim, se, suosq; subditos pro viribus tueatur. Quod & alij Venetæ causæ patroni scribunt.

Ex quibus omnibus hæc duo Christianus lector diligenter obseruabit. Primum, causæ Venetæ Patronos, non id tantum contra Pontificem machinari, vt Reipub. Venetæ quouis modo ius transcribant, circa bona & personas Ecclesiasticorum leges in euidens Ecclesiæ damnum & præiudicium ferendi, prout exposita vtrinq; relatione fusius continetur, sed hoc agere, hoc quærere, hoc omnibus modis eniti, vt ei Ius hoc nō aliquo Sūmi Pontificis beneficio, aut gratia, quam ne admittant quidem, sed propria authoritate, & si fas est credere, diuino Iure conuenire euincant. Mala profecto causa, & quam inter Christianos Principes ne motam quidem hactenus, & tentatam, nedum obtentam quisquam facile monstrauerit, certè vel cognitam tantum & auditam, quisque iure damnarit.

Id autem verum esse, probat inprimis ea narratio facti, quam istorum Patronorum verbis superius explicatam proposuimus, in qua semper ita loquuntur, quasi quiuis Princeps nullum in sua Iurisdictione superiorem agnoscens, propria authoritate, imo diuino Iure, quod eiusmodi est, etiam in Ecclesiasticos præscribere & præcipere possit, nulla facultatis à Summo Pontifice impetratæ habita ratione. Nec excipere quidē necesse habeo penultimum illud controuersiæ punctum, in quo etsi vna quidem ex parte se Pontificum quorundam priuilegiis niti significét, rursum tamen ex altera parte, eo ipso dum facti speciem, eo quem superius explicauimus, modo proponunt, totam Iuris rationem in sola diuinæ legis authoritate, & supremi Principis potestate fundatam esse apertè asserunt.

Deinde probant idipsum ea, quæ circa suæ causæ defen-

sionem Patroni isti apertè asserunt. Sic enim Paulus Venetus pag. 33. cum rationes Iurisdictionis criminalis in Ecclesiasticos iure exercendę exposuisset, loquitur: *Scio,* inquit, *quidnam hoc loco respondebitur. Pontifici duas inesse, quas diximus, qualitates, alteram Pontificis, Principis alteram. Quà Principem à se, vt Pontifice, veniam plectendi seculari potestate enormia Clericorum delicta, quæ bono publico obessent petere; eandem reliquis etiam Principibus concessurum, si à se illam beneficij loco petant. Medicinam profecto ægritudine ipsa intolerabiliorem, imò & pernitiosiorē, &c.* Ecce nouus iste in Ecclesię schola Magister, non vult à seculari Principe beneficium Papæ agnosci, quod in Ecclesiasticas personas liceat Iurisdictioné exercere. Respuit medicinam, quam ne desperatus quidem facile recusaret. Omitto alia complura, quæ tum ex eodem, tum ex aliis in hanc sententiam possent adduci. Denique idipsum probant fundamenta & rationes, quibus præcipuè infelices isti causæ Venetæ Patroni, suam causam euincere conantur, quæ mox singulatim referemus.

CAPVT II.

QVIBVS FVNDAMENTIS ET RATIONIBVS PRINCIPALITER NITANTVR VENETÆ CAVSÆ DEFENSORES.

QVANQVAM nemo verè Catholicus tam stupidus esse possit, quin vel percepto duntaxat controuersię statu facile intelligat, à Reipub. Venetæ Patronis contra Summum Pontificem malam causam defendi; id tamen cuique longe adhuc luculéntius patescit, quando animum aduertit ad principales rationes & fundaméta, quibus Veneti Patroni suam causam pro-

propugnant; quæ idcirco plurimum intereſt palam omnibus patefieri,& breui quadam ſylloge comprehenſa ob oculos poni. Equidem nil dubito, quin Chriſtianus lector his auditis, magna ſit admiratione percellendus,vix credens fieri potuiſſe,vt Chriſtiani,præſertim qui ſe Magiſtros indigitant, in tam abſurda pronuntiata delaberentur.

Qualia ſunt iſta. I. Libertatem & immunitatem Eccleſiaſticam rem eſſe planè incognitam, & ne à Canoniſtis quidem hactenus intellectam. Ita Paulus Venetus pag. 8. *Neque enim,* inquit, *in vniuerſo Iure Canonico eius definitio reperitur, neque quid illa comprehendat, exprimitur; neque regula vnde iudicetur affertur. Quare neque inter Canoniſtas conuenit, Cum quæritur, ſit ne aliquid contra libertatem Eccleſiaſticam.*

II. Eandem libertatem Eccleſiaſticam & re, & nomine nouam eſſe. Ita Paulus Venetus, pag. 7. *Certũ eſt,* inquit, *nomen hoc recens eſſe, & duodecim ipſis ſeculis* (nempe vſque ad annum Chriſti milleſimum ducenteſimum) *in Eccleſia inauditum.* Et infrà cum de re ipſa agit, ita loquitur: *Quare & propria Clericis libertas attributa eſt, cuius primus videtur Honorius III. meminiſſe, circa annum Domini milleſimum, ducenteſimum vigeſimum.* Et Ioannes Marſilius in Iudicio de Cenſura Summi Pontificis, ſub titulo Anonymi cuiuſdam Doctoris edito, propoſitione quarta. *Tempore,* inquit, *primitiuæ Eccleſiæ vſque ad Iuſtinianum Imperatorem, nullum in Iure legitur priuilegium, de facta Eccleſiaſticorum exemptione, &c.*

III. Eandem libertatem nunquam in Eccleſia Moſaica fuiſſe receptam, cum conſtet, in ea Sacerdotes principibus politicis fuiſſe ſubiectos. Ita Marſilius propoſitione 1. & 4. Et Paulus Venetus paſſim.

IV. Eandem immunitatem & libertatem Eccleſiaſticarum perſonarum à iudicio ciuili, ſolo ſeculariũ principum

priuilegio constare, ac proinde non aliter vim habere, quam prout à principibus vel concessa, vel admissa fuerit. Ita Paulus Venetus pag. 26. vbi ait: *Respub. Veneta Theologorum, & optimi cuiusque Canonistæ sententiam pro indubitata habet, Ecclesiasticorum exemptionem in criminibus non Ecclesiasticis, sed temporalibus, aut (vt Iustinianus loquitur) ciuilibus, non esse de iure diuino, sed principum priuilegio.* Idem innuit Ioan. Marsilius circa primam propositionem, cum ait: *In primitiua Ecclesia non fuit distinctio fori, fuit enim Iustinianus Imperator primus, qui ad preces Episcopi Constantinopolitani, Ecclesiasticis concessit, vt in causis ciuilibus, à suis Prælatis iudicari possint, ipso tamen non impedito, quo in casu & in delictis criminalibus permittit, vt Ecclesiastici subiecti sint Principi, & ministris principis temporalis, vt videre est in constitutione nouella Iustiniani Imperatoris.*

V. Principem politicum superiorem in sua iurisdictione non agnoscentem, ipso iure diuino, & quidem immediatè à Deo habere potestatem regendi, & gubernandi suos subditos. Ita Ioannes Marsilius propositione prima. *Potestas,* inquit, *quam habent Principes sæculares, imò & ipse Pontifex, tanquam Princeps temporalis, Statuum & prouinciarum, quas possidet, est ipsis à Deo immediatè absque vlla exceptione concessa.* Idem mox referetur in sequenti propositione.

VI. Principem politicum habere diuino Iure, & ab ipso Deo, potestatem Iurisdictionis in omnes dominij sui incolas, etiam Ecclesiasticos, sine exceptione. Ita Ioannes Marsilius in adducta propositione; quod etiam paulo inferius repetit, dicens: *Sunt igitur omnes Ecclesiastici & sæculares Iure diuino subiecti Principibus sæcularibus.* Et rursum propositione 6. ait. *Principem Venetum legitimum & naturalē dominum sui status, qui excepto Deo, nullum alium superiorē in temporalibus agnouit vnquam, Iure leges statuere supra bona Ecclesiasticorū, quæ* sub

sub suo dominio sunt, punire Ecclesiasticas personas, in casibus grauibus & atrocibus, &c. idq́, authoritate quam à Deo immediatè habet. Ita etiam Paulus Venetus cùm alibi, tum iis verbis, quæ capite præcedenti circa quartum Controuersiæ caput fusè adduximus.

VII. *Deum cum imperium tradidit Principi, non obnoxiæ alteri potestatis in temporalibus, eidem condendarum legum, eius dominio seruientium liberam dedisse potestatem*. Ita ad verbum Paulus Venetus pag. 22. Liberam verò intelligit quę Ecclesiasticorum Canonum decretis nullatenus sit adstricta. Idem asserit Marsilius circa primam propositionem, vbi disertè ait, Principes sæculares habere authoritatem *cōdendi leges in quacunque materia, quæ obligent omnes personas*.

VIII. Visibilem Ecclesiæ Monarchiam non esse Iuris diuini, sed posse ab Ecclesia in aliam regiminis formam transmutari. Ita Marsilius in defensione octauæ propositionis contra Cardinalem Bellarminum: *Errat*, inquit, *Cardinalis Bellarminus, cùm dicit; Etsi quidem in politia temporali mutari poßit regimen Aristocraticum in Monarchiam, aut è contra, id tamen in Ecclesia fieri non posse*. Et addit Marsilius, posse Ecclesiæ regimen, *ad reip. regimen reuocari*.

IX. Pontificem in rebus temporalibus statuere nil posse, extra proprias ditiones Ecclesiæ Romanę. Ita Paulus Venetus pag. 10. vbi cùm dixisset, posse Principem propria authoritate vetare, ne in sua ditione Ecclesiæ exædificentur, addit; *Neq́, aliter Pontificē sanxisse, neq́, verò sancire posse, quippe in re tēporali*. Et inferius, pag. 24. cū de Pōtificis potestate loquitur, videtur eam restringere ad ministerium verbi diuini, sacramentorum, & eleemosynarū. *Certum est*, inquit, *oneris pastoralis summam in Euangelij prædicatione, sanctis monitis, & morum Christianorum informationibus, ministerio SS. Sacramentorum, cura pauperum, peccatorum quibus è cælorum regno*

gno excludimur, eliminatione sitam esse. Hæc Christus Dominus noster S. Petro commendauit, atq; adeò imposuit. Idem innuit Ioann. Marsilius, tum propositione quarta, in qua dicit, potestatem Pontificis esse *merè spiritualem, & de peccato, & in animas solum, &c.* tum propositione sexta, vbi ait. *Principem Venetum in temporalibus nullum agnouisse vnquam superiorē*, &c.

X. Decreta Canonum ad Ecclesiasticam disciplinā & gubernationem pertinentia, subinde esse errori obnoxia, adeoq; inualida. Hæc propositio virtute continetur in septima, ac præterea clarius asseritur à Ioan. Marsilio propositione tertia, vbi vt obiectionem ex Canonum decretis oppositam amoliatur, hoc tantum respondet, *Canones, tanquam leges humanas, concurrentibus diuinis, non posse habere æqualem autoritatem.* Quasi dicat, suam doctrinam niti lege diuina, parum ergo curandum, quid in contrarium statuere Canones videantur. Eodem modo sæpius ex iure diuino malè intellecto, Canonum doctrinam oppugnat Paulus Venetus.

XI. Pontificis authoritatem non esse infallibilem, nisi in rebus fidei. Ita Paulus Venetus pag. 50. vbi ait, *Propositio illa, Papa non potest errare, circumscripta est intra res ad fidem solummodo pertinentes.* Eadem propositio continetur præcedente propositione.

XII. Imò nec in rebus fidei absolutè infallibilem esse Pontificis authoritatem, sed tunc solum, cum Papa debita media, diuinæ inuocationis, humanique Consilij non prætermittit. Indicat Paulus Venetus ibidem, cum supradictæ propositioni, *Papa non potest errare*, etiam hanc limitationem & restrictionem addit: *Papa debita media diuinæ inuocationis, humaniq; consilij non prætermittente. Nunc adulatio* inquit, *refractis repagulis absolutè veram prædicat.* Et pag. 54. ait: *Omnes præter Deum posse errare, & Pontifices eatenus solum non*

non errare, si se conforment legi diuinæ, iuxta illud Deut. 17. Facies quæcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius. Quæ est ipsissima hæreticorum huius temporis sententia.

XIII. Tantam vim opum temporalium, quanta Iure Ecclesiasticæ libertatis, acquiritur ab Ecclesia, vel defenditur, aduersari voluntati diuinæ, Concilijsq; & intentioni Christi ac Apostolorum. Indicat hoc non semel Paulus Venetus. Vt cum ait pag. 10. *Deũ non omnia quæ sibi fideles offerre vellent, acceptare, sed solummodo quãtum satis est. Deus,* inquit, *permittit humanis vsibus tribui, quod sibi superest, sibi verò illud tantum accipit, quod decet.* Item cum ait, Clericos potius impediri à sua vocatione per diuitias, quã iuuari, pag. 17. *Non è re Ecclesiasticorum est,* inquit, *superflua possidere; inde enim à diuinis auertuntur, & negotijs secularibus implicantur, contra præceptum S. Pauli, &c.*

XIV. Libertatem & immunitatem Ecclesiasticam rem esse perniciosam sæculari statui, & temporali felicitati Reipub. Repetit hoc ad nauseam Paulus Venetus, cùm sæpius ingerit. Pacem & tranquillitatem Reipub. saluam consistere non posse, nisi princeps personas etiam Ecclesiasticas, saltem in grauioribus criminibus puniendi ius habeat, potestatemq; leges ferendi, quibus Ecclesiasticis frenum iniiciatur, ne bonorum immobilium acquisitione, in immensum excrescant.

XV. Veneta decreta tota Europa vsurpari. *Id re certum,* inquit Paulus Venetus, *non disputatione ambiguum est, Veneta statuta* (de quibus controuertitur) *tota Europa vsurpari.* pag. 46.

Atq; hæc sunt, vt dixi, illa pronunciata, quibus tanquã fundamentis, Doctores isti sui ædificij structuram imponunt, & ex quibus tandem concludunt, summi Pontificis

contra Venetos decreta, nulla eſſe, quia in re, & ex ſuo obiecto iniuſta ſint. Adduntetiam, quia nullo ſeruato Iuris ordine edita, vt tam Ioannes Marſilius propoſitione 7. & 8. & Paulus Venetus paſſim impudenter proclamant. Iudices ſui Iudicis, cuius plane iudicium non refugerent, ſi tales eſſent, vt iure non pertimeſcerent. Sunt autem pleraq; vt per ſe cuilibet facilè pateſcit, talia, vt nõ ſolum tanquã falſa & abſurda, ſed etiam vt ſcandoloſa, temeraria, partim etiam in fide erronea, imo hæretica, meritò damnentur, prout etiam re ipſa à Generali Inquiſitione Romana iſtorum huius generis libri, hoc ipſo nomine damnati, & prohibiti fuerunt.

Quod ſi rationes tam enormis per deuia itionis requiras, nullam inuenies aliam, quam aut arbitrariam iſtorum hominum temeritatem, vel neceſſitatem à mala cauſa partam. Nam ſi Patroni iſti hoc tantum agerent, vt Dominis Venetis ſpeciali aliqua gratia & conceſſione Apoſtolicæ Sedis, eius generis ſtatuta, qualia ſuperius adduximus, decernendi ius aſſererent; quid attinebat, eos ſummi Pontificis in Eccleſia poteſtatem, adeò turpiter deprimere & eneruare? Quid ſæcularem poteſtatem principum, præter omne ius & fas, præter omnium verè Chriſtianorum Principum mentem adeò extollere? Quid adeò contemptim libertatem, & immunitatem Eccleſiaſticam traducere? An non ſatis erat dicere, Rempub. Venetam, non ſua propria authoritate ſibi Ius in perſonas & bona Eccleſię vendicare, ſed Indulgentia & priuilegio Romanæ & Apoſtolicæ Sedis? cui proinde meritò obedientiam & reuerentiam ſingularem, hoc etiam nomine debeat? cuiuſq; fauore & beneuolentia etiam nunc ſperet, priuilegia tanta vetuſtate confirmata, (ſi quæ habet) tanquam firma & rata ſibi meritò in perpetuum eſſe relinquẽda. Bonis quidem alioquin

quin rationibus,& præclara authoritate, Ecclesiasticam libertatem, & imunitatem niti,ac proinde in omnibus sartam, tectam vtiq; custodiendam, nisi quoad fortasse per ipsum Ecclesiæ Caput Romanum Pontificem fuerit relaxata,attamen serenissimamRemp. eiusq; Principem in sua ditione pecularibus rationibus vrgeri, cur sibi quidpiam præter commune Ius,Pontificis Indulgentia,concedi tantopere flagitet. An nō hic fuisset affectus,qui Christianum Principem in Rempub. filium erga Patrem,ouem erga Pastorem, subditum erga superiorem decuisset? qui &in filio obseruantiam commēdasset, & paternam à patre beneuolentiam & prouidentiam facilè extorsisset.

Iam verò postquam Veneti Scriptores hoc defendendum susceperūt,Rempub.Venetam,propria authoritate, ius & potestatem circa eiusmodi res disponendi habere, quid aliud talis causæ patroni facerent, si vllo modo patrocinari vellent,quam vt Ecclesiasticam authoritatem deprimerent,sęcularemq; in immensum quodammodo eueherent,omnem Ecclesiasticæ hierarchiæ ordinem conuellētes? Quid aliud dicerent, quam Principem quemlibet sæcularem immediatè ab ipso Deo potestatē in omnes suos subditos accepisse; Clericos quoq; ei iusta in qualibet materia imperanti,diuino Iure subiici: Pontificem in temporalibus statuere nil posse?&c. Quid, Ecclesiasticam libertatem è medio tollere satagens, aliud pronunciaret, quam eam rem nouam esse,& necdum ipsis quidem Doctoribus cognitam,item à Christi mente alienam, statuiq; seculari perniciosam esse? &c.

Hæc ergo generalis ratio,& vera causa est, quæ compulit homines istos ad huiusmodi absurda, qualia ipsi (si modo verè Catholici erant) nunquam fortasse antea cogitauerant. Nimirum Necessitas. Planè durum telum Necessitas,

& quæ multos ſemel errorem amplexos, in extremam adegit pernitiem,& deſperationem. Nimirum ex vero nunquam cōcluditur falſum,vt proinde ſi falſum hoc vllo modo probandum ſit, neceſſariò ſint aſſumenda falſa principia; quæ rurſum non niſi ex aliis falſis, vſque ad prima denique principia,deducantur.

Nam quid Lutherum aliud ad hanc plenam arrogantiæ vocem impulit,qua palam aſſeruit, *ſe prorſus nullius quātumlibet S. Patris authoritate cogi velle, niſi quatenus iudicio diuinæ Scripturæ fuerit probatum.* Et rurſus: *Nemo ergo mihi opponat,* inquit, *Papæ aut ſancti alicuius authoritatem, niſi ſcripturis munitam,&c.* Quid hæreticos noſtri temporis omnes ad proculcandam Summi Pontificis authoritatem induxit? Certè neceſſitas,quam malè ſemel cœptus, & pertinaciter defenſus error peperit. Quomodo enim ſtare poſſet eorum hæreſis, ſi Iudicis legitimi authoritati, per quam palā damnantur acquieſcerent? Quomodo Veneta cauſa contra Pontificem propugnari poſſet,niſi prius Pontificis authoritati temerè & impudenter detraheretur? Quomodo libertas & immunitas Eccleſiaſtica conuelli vel impugnari à quoquam poſſet, ſi quod res eſt, ex Apoſtolorum traditione,imò diuina inſtitutione deſcendiſſe admitteretur? Et certè quo principio authores iſti inducti ſunt, vt ſemel Pontificiam authoritatem diminuere occiperent, eodem nî maturè reſipiſcant,induci poterunt, vt ſi opus fuerit, eam penitus cum hæreticis contemnant & peſſundent; vt ſic pernitioſa gradatione poſtquam aut timor, aut cupiditas malam cauſam ſuſcepit, cauſa mala temeritatem, temeritas errorem,error hæreſin, hæreſis deſperationem, deſperatio ſempiternam damnationem progignat.

Facile enim abſurda qualibet capit opinari eos, vt cùm Tertulliano lib. prēſcription. cap.44. loquar, *qui exorbitāt, & fidei verita-*

veritatis periculum non cauent. Facilis descensus auerni, sed reuocare gradum, superasq; euadere ad auras; Hoc opus, hic labor est. *Nam si semel,* inquit Lirinensis, cap. 31. *admissa fuerit hac impia fraudis licentia* (vt in re vel minima à fidei regula discedatur) *horreo dicere, quantũ excindenda, atq; abolenda religionis periculum consequatur. Abdicata enim qualibet parte Catholici dogmatis, alia quoque atque item alia, ac deinceps alia & alia, iam quasi ex more ac licito abdicabuntur. Porro autem singulatim partibus repudiatis, quid aliud ad extremum sequetur, nisi vt totum pariter repudietur? Sed è contra si nouitia veteribus, extranea domesticis, & prophana sacratis admisceri cœperint, proserpat hic mos in immensum necesse est, vt nihil posthac apud Ecclesiã relinquatur intactum, nihil illibatum, nihil integrum, nihil immaculatum; sed erit ibidem impiorum ac turpium errorum lupanar, vbi erat ante casta, incorrupta sacrarium veritatis. Sed auertat hoc à suorum mentibus nefas diuina pietas, sitq; hic potius impiorum furor.* Ita Lirinensis.

Quid vero, quòd nouelli isti Doctores, promptam fidelium erga Ecclesiam obedientiam, nomine *Simplicitatis* traducunt. Quid quod Theologorum prǽstantissimos, Ecclesiæ libertatem & authoritatem studiosius defendentes *adulatores* appellant? Nónne hoc est, quod idem Tertullianus cap. 41. hǽreticorum proprium asserit: *Simplicitatem volunt esse prostrationem disciplinæ, cuius penes nos curam, lenocinium vocant.* Quid, quod tam procaciter Apóstolicæ Sedi insultant, sine rubore, sine verecundia, absq; affectu, sine reuerentia, sine conscientia, ea vndiq; congerentes contra Romanum Pontificem, quæ non nisi hæreticis hactenus in ore fuisse constat? Malæ profectò mentis hæc sunt indicia.

CAPVT III.

QVID SIT ECCLESIASTICA LIBERTAS, QVIQVE EIVS EFFECTVS IN GENERE, CONTRA PAVLVM VENEtum declaratur.

PAVLVS Venetus, cum suis Commilitonibus, in hoc vnum totus intentus, vt Iuri Ecclesiasticę libertatis & Immunitatis, omnem authoritatem detrahat, mirum est, quam insulsè, ne quid grauius dicam, tam de eius natura ac ratione, quam vi & efficacia disputet. Nam cum multa ille à re aliena de libertate Christiana, cuius S. Paulus ad Rom. 6. & ad Galat. 4. meminit, attulisset, eamque ipsam forte libertatem à sanctis Patribus Ecclesiasticam libertatem (at vbi?) fuisse vocatam dixisset, addit pag. 7. *Ecclesiæ nomen, quod ad omnes olim Christi fideles pertinebat, nunc ad Clericos tantum plerumq; significandos reuocatum videri.* Falsum. Quasi verò cum Ecclesiastica libertas Ecclesiis tantum ipsis, earumque bonis ac ministris tribuatur, Ecclesiæ nomen reuocatum videri possit tantum ad Clericos. Videtur ille, vt apparet, non tantum Ius Ecclesiasticæ libertatis Reipub. Venetæ, sed etiã ipsum Apostolorum Symbolum adimere; seu potius à Catholicis iam abolitum, persuadere velle. Alioqui certè constat, in ipso Symbolo Apostolorum omnes Catholicos, tam Clericos, quam laicos quotidie profiteri *sanctam Ecclesiam Catholicam*; an verò hic *Ecclesiæ* nomen tantum Iure ad Clericos restrictum videri potest?

Sed prætereamus ista, quæ vti insulsa quidem sunt, & malitiosè cõficta, ita neminem lędunt nisi authorem, cuius parum synceram & Catholicam mentem satis ostendunt; nec verò ad institutum quicquam pertinent: Maiora

ra nunc ex Paulo Veneto canamus; & insignem in eo Iuris Canonici & Ecclesiasticæ disciplinæ peritiam admiremur. Sic enim originem Ecclesiasticæ libertatis magna scilicet dexteritate edisserit, pag 8. *Clericis*, inquit, *propria libertas attributa est, cuius primus videtur Honorius III. meminisse, circa annum Domini 1220. Quid autem tùm ipse Honorius libertatis Ecclesiasticæ nomine intellexerit, tum Fridericus II. qui eodem tempore eiusdem rogatu Pontificis, idem nomen vsurpat, neque ipsi declarant, neque apud Canonici Iuris Interpretes satis constat. Neque enim in vniuerso Iure Canonico eius definitio reperitur, neque quid illa comprehendatur exprimitur; neque regula vnde iudicetur affertur, quare neque inter illos conuenit, cum quæritur, sitne aliquid contra Ecclesiasticam libertatem.*

Sed in his verbis Doctor iste multa nugatur, in quibusdam etiam turpiter fallitur, aut fallere conatur.

Nugæ sunt, quod ab Honorio Pótifice, & Friderico Imperatore libertatem Ecclesiasticam publicis legibus egregiè sancientibus, declarationem vocabulorum exigere videtur. Quasi verò Pontifices seu Imperatores Lexicographos seu Nomenclatores se præstare debeant in suis legibus ferendis; quasi Legislator ipse suam statim, atque fert legem, interpretari debeat. Et quid ergo faciant illi, qui magno labore Lexica Iuris componũt? Quid Interpretes Iuris vtriusque actitant aliud, quam vt leges Principum vtriusque Iuris interpretentur & explicent? Sed bonus iste vir, credo neq; lexica Iuris nouit, nec quod officiũ sit Iurisconsultorum didicit. Tam bonus est Iurisconsultus.

Nugæ sunt, quod in Iure Canonico definitioné Ecclesiasticæ libertatis desiderat. Quasi verò innotescere res non possit, nisi integrè semel & simul tota rei definitio exprimatur; equidem ex dialectica hactenus didici, si genus & differen-

differentia rei, ſeparato quãquam orationis filo prodatur, nihilominus ipſam rei eſſentiam ſatis explicari. Quaſi verò Ius Canonicum, cuius eſt officia & actiones Chriſtiani hominis ad omnem ſtatum, & ad quemlibet vitæ caſum accommodatè præſcribere, in ipſis rerum eſſentijs explicandis multum debeat laborare. Quaſi verò ſyncere Ius Eccleſiaſticæ libertatis & immunitatis colenti, facile non ſit, etiã abſq; definitione, eius effecta & officia perdiſcere; ſicut & Chriſtiani multi Deum ſanctiſſimè colere, virtutumq; officia exercere norunt optimè, tametſi nec Dei, nec virtutũ definitiones norint. Quaſi verò fruſtra Ariſtoteles lib. 1. Moralium, cap. 7. ſcripſerit, non oportere eodem modo *in omnibus diſciplinis, exactam tractationem requirere, ſed in ſingulis prout ſubiecta materia poſtulat; atque id eatenus, quatenus arti vnicuiq; conuenit.* Quaſi verò non cuilibet atheo, facile eſſet ex Deo ludum facere, ſi ludibundis huius Doctoris Strophius vellet inſiſtere.

Quidnì enim diceret, Deũ, & Biblia, quæ vocant ſacra, iſti Bibliorum interpretes Theologi, ſæpius ipſi quidem nominant, & magnopere commendant, ſed quid tandem Deus ſit, neq; ipſi ſatis declarant, neq; in vniuerſis eorum libris eius definitio reperitur. Quidnì ergo Deum potius figmentum quoddam eſſe putemus, quàm myſterium? &c. Et quid in hunc modum impiè ſimul & imperitè ratiocinanti reſponderet Venetus iſte Doctor? Certè reſponſum quod ipſe dabit, ſibi habeat. Qutnquam enim ex ſua ratiocinatione non ita apertè collegit: Ius Eccleſiaſticæ libertatis tanquam nouitium quoddam figmentum, quod nec ipſi quidem eius Auctores ſatis intelligant, ſpernendum, & pro nihilo habendum eſſe, tota tamen eius cogitatio ad hunc ſcopum collimat, vt ex ſequentibus patebit.

Quod ſi quid Eccleſiaſtica ſit libertas, ex Iure Canonico,

eiuſq;

eiusq; interpretibus discere potius modestè, & intelligere animus erat huic Doctori, quam petulãter exagitare, quod legit, facilè intellexisset, eam aliud nihil esse, *quam liberam facultatem vtendi, fruendiq́; omnibus Iuribus, & priuilegijs, quibus vniuersim seu diuino, seu humano Iure, res & personæ Ecclesiasticæ sunt affectæ*. Sicut enim libertas naturalis, Ciceroni in paradoxis, est *potestas viuendi vt velis*; Iurisperitis autem, *naturalis facultas eius, quod cuiq; facere licet, nisi si quid ei iure prohibetur*. leg. 4. Digestis, de statu hominũ: ita Ecclesiastica libertas ea, quam dixi facultate, seu potestate rectissimè circumscribitur. Vide Caietanum Verbo Excõmunicatio cap. 31.

Hinc autem colligitur, effectus Ecclesiasticæ libertatis & immunitatis duplices esse. Prioris generis sunt positiuæ quędam actiones, nempe agere, facere, acquirere omnia, nemine obstante, quæ Ecclesiastici iure possint agere; posterioris generis effectus in negatione consistũt, non pati, non postulari ea, quæ Iuris non sint, seu in fauorem Ecclesiarum, Ecclesiasticarumq́; personarum vniuersim prohibita sint; quæ idcirco etiam propriè *exemptio* seu *immunitas* dicitur.

Neq; verò ad Ecclesiasticam libertatem, generatim loquendo, tantum pertinent ea, quę peculiaribus priuilegiis, rebus, seu personis Ecclesiasticis vniuersim concessa sunt, (quanquam hæc propriè comprehendit Ecclesiasticæ libertatis nomen, vt notarunt Caietanus in summa V. Excommunicatio cap. 31. Nauarrus in man. cap. 27. nu. 119.) sed etiam quæ illis alioquin communi Iure, quo quęuis hominum societas gaudet, competunt. Vt patet ex capitulo *Eos qui*, de Eccles. immunit. in 6. Vnde etiam Panormitanus lib. 1. cap. 83. dicit, id statutum esse contra Ecclesiasticam libertatem, quod tendit contra ea, *quæ concessa sunt Ecclesiæ vniuersali generaliter, aut singulariter, vel à Deo, vel à Papa,*

vel ab alijs Principibus secularibus: additq; hanc esse communem sententiam Doctorum, sicut planè de re ipsa nulla est controuersia, quidquid in contrarium significet Paulus Venetus.

Nugæ sunt etiam, quod pro magno velut præiudicio, ad parui pendendam libertatem Ecclesiasticam, obiicit, nec inter ipsos quidem Iuris Canonici interpretes conuenire, cùm quæritur, sit ne aliquid contra libertatem Ecclesiasticam. Nugæ nugarum. Quid enim est in mundo tam liquidum, tam certum, tam aspectabile, tam sacrosanctum, circa quod, si omnia, quæ vocari in quæstionem possunt, sigillatim expendantur, non infinita dubia occurrant? Quid hac terra cui insistimus, hoc aëre quem haurimus, hoc sole, his astris, hoc mundo in quo viuimus, liquidius, quid notius? Et tamen quis hodie facile deciderit, quæstionem illam, ante quot annos, quoq; anni tempore, mundus cum rebus suis quas continet, fuerit conditus; vt innumeras alias quęstiones, quę de his rebus dubitantur potius, quàm deciduntur, præteream. Quid sanctius Christo, eiusq; sanctissima morte, imò & quid certius? tamen nec inter ipsos quidem Sanctos Patres, ne dum inter Doctores recentiores exploratum est, quot annos vitæ expleuerit, quo anno, quoque anni die sit mortuus & passus. An ergo quisquam tam insulsus erit, ne dicã impius, vt ex eiusmodi dubitationibus, quę de particularibus rerum omnium circumstantiis, quotidie oriũtur, res quoq; ipsas in se, omnemq; rerum fidem, penitus è medio sublatas velit? vt negetur Christus, negetur eius mors, negetur hæc terra, hic aër, hic dies, sol ipse, cum suis astris, & vniuersus tandem mundus, cum omnibus quæ ambitu suo continet, aboleatur, quia multa de singulis dubia, nec dum satis liquide decisa extant?

Quod si hæc rationandi forma non placet Paulo Veneto.

to,cur eius nobis ratiocinatio comprobetur? Multa inter Doctores adhuc controuertuntur, cum in particulari inquiritur, sitne hoc, vel illud contra libertatem Ecclesiasticam: Ergo totius Ecclesiasticæ libertatis authoritas in dubium iure vocari debet. Aut: Ergo etiam in Veneta causa iure dubitari potest, an Ecclesiasticæ libertati sit derogatũ. Aut si ita nõ ratiocinatur, cur illa velut principia & fundamenta sui in libertatem Ecclesiasticam odij præstruit? nisi vanè nugari, ac fuco, & præstigiis Lectori simplici illudere voluit?

Addo tamen, si quid ex iure Canonico circa Ecclesiasticam libertatẽ controuertatur, eius rei decisionem publica authoritate faciendam, nec ad Paulum Venetum pertinere, quia est homo priuatus, nec ad Senatum Venetum, quia laicus est; cum tamen non solum ipsa hæc causa, sed etiam regulę è quibus diiudicanda est, planè sint Ecclesiasticæ, ab illo vtiq; declarandæ, si quid iuris dubij, qui eas vel statuendi, vel interpretandi peculiarem à Deo accepit potestatem.

Falsum est autem, & turpis error, quod Honorius III. Ecclesiasticæ libertatis primus meminerit, vt sequentibus capitibus fiet manifestum. Quod si vocabulum nouum esset, quid hoc absurdi? An vox *homousios*, & latina *consubstantialis*, itidem nouiter in Ecclesiã olim introducta nõ est? Anne vox *transubstantiatio*, vox gratiæ *sufficientis & efficacis*, eo sensu, quem nunc apud Theologos habent, semper fuerunt vsurpatæ? An nunquam licet nouare voces, vt vitentur errores, & antiqua veritas defendatur? An nunquã potest Ecclesia proficere in dogmatum explicatione, retenta antiqua veritate?

Vide quid hac de re Vincentius Lirinensis in suo commonitorio à cap. 28. scripserit. Sed forsitan dicit aliquis:

Nullusne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur religionis? Habeatur planè & maximus. Nam quis ille est tam inuidus hominibus, tam exosus Deo, qui istud prohibere conetur? Sed ita tamē, vt verè profectus sit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, vt in semetipsa vnaquaq; res amplificetur, ad permutationem verò, vt aliquid ex alio in aliud transferatur. Crescat igitur oportet, & multum vehementerq; proficiat, tam singulorum, quàm omnium, tam vnius hominis, quàm totius Ecclesiæ, ætatum ac seculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademq; sententia.

Imitetur animarum religio rationem corporum, quæ licet annorum processu numeros suos euoluant & explicent: eadem tamen quæ erant, permanent. Multum interest inter pueritiæ florem & senectutis maturitatem: sed ijdem tamen ipsi fiunt senes, qui fuerant adolescentes, vt quanuis vnius eiusdemq; hominis status habitusq; mutetur, vna tamen nihilominus eademq; natura, vna eadēq; persona sit. Parua lactentium membra, magna iuuenum, eadem ipsa sunt tamen. Quot paruulorum actus, tot virorum, & si qua illa sunt, quæ æui maturioris ætate pariūtur, iam in seminis ratione proserta, vt nihil nouum in senibus, quod non in pueris iam antea latitauerit. Vnde non dubium est, hanc esse legitimam & rectam proficiendi regulam, hunc ratū atque pulcherrimum crescendi ordinē, si eas semper in grandioribus partes ac formas numerus detexat ætatis, quas in paruulis Creatoris sapientia præformauerat.

Quod si hominum species in aliquam deinceps non sui generis vertatur effigiem, aut certe addatur quippiam membrorum numero, vel detrahatur, necesse est, vt totum corpus vel intercidat, vel prodigiosum fiat, vel certè debilitetur. Ita enim Christianæ religionis dogma sequatur has decet profectuum leges, vt annis scilicet cōsolidetur, dilatetur tempore, sublimetur ætate, incorruptum tamen illibatumq; permaneat, & vniuersis partium suarum mensuris cū-

etisq; quasi membris ac sensibus propriis plenum atq; perfectum sit, quod nihil praeterea permutationis admittat, nulla proprietatis dispendia, nullam sustinet definitionis varietatem.

Quocirca etiam inferius cap. 30. author iste Ecclesiam agro comparat, in quo idem in specie triticum, quod primitus in semente agro creditum est, postea etiam demetitur. *Ita etiam hoc rectum & consequens est*, inquit, *vt primis atque extremis sibimet non discrepantibus, de incrementis triticeæ institutionis, triticei quoque dogmatis frugem demetamus, vt cum aliquid ex illis seminum primordiis accessu temporis euoluatur, & nunc laetetur, & excolatur; nihil tamen de germinis proprietate mutetur, addatur licet forma, species, distinctio, eadem tamē cuiusque generis natura permaneat. Absit enim vt rosea illa Catholici sensus plantaria in carduos spinasq; vertantur. Absit, inquam, vt in isto spiritali paradiso, de cynamomi & balsami surculo lolium repētè atque aconita proueniant. Quodcunque igitur in hac Ecclesia Dei agricultura fide Patrum satum est, hoc idem filiorum industria decet excolatur & obseruetur: hoc idē floreat & maturescat, hoc idem proficiat & perficiatur. Fas est etenim vt prisca illa cælestis philosophiæ dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur. Sed nefas est, vt commutentur, nefas vt detruncentur, vt mutilētur. Accipiant licet euidentiam, lucem, distinctionem, sed retineāt necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem, &c.*

Quocirca Ecclesia, inquit, *sedula & cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in iis vnquam permutat, nihil minuit, nihil addit: non amputat necessaria, non apponit superflua, non omittit sua, nō vsurpat aliena; sed omni industria hoc vnum studet, vt vetera fideliter sapienterq; tractando, si qua sunt illa antiquitus informata & inchoata, accuret & poliat; si qua iam expressa & enucleata, consolidet, firmet, si qua iam confirmata & definita custodiat. Denique quid vnquam aliud Conciliorum decretis enisa est, nisi vt quod antea simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentius cre-*

deretur? quod antea lentius prædicabatur, hoc idē postea instantius prædicaretur? quod antea securius colebatur, hoc idem postea sollicitius excoleretur? Hoc inquam semper, neque quicquam præterea hæreticorum nouitatibus excitata, Conciliorum suorum decretis Catholica perfecit Ecclesia, nisi vt quod prius à maioribus sola traditione susceperat, hoc deinde posteris etiam per scripturæ chirographum consignaret; magnam rerum summam paucis literis comprehendendo, & plerunque propter intelligentiæ lucem, non nouum fidei sensum nouæ appellationis proprietate signando.

Hæc contra istos, qui sub specie antiquitatis præsentem Ecclesiæ formam innouare student, paulò fusius describere placuit, ne quisquam ab istis in eam sententiam trahatur, quasi nihil in religionis materia quicquam explicatius tradi, statui & definiri possit; quin ipso nouitatis nomine suspectum haberi debeat.

Falsum est, quod à Doctoribus, & in Iure Canonico, nulla adferatur regula, ex qua iudicium fiat, quid Iure Ecclesiasticæ libertatis contineatur. Ecce enim non vnam tantum, sed quatuor regulas eius rei diiudicandæ, ab omnibus Catholicis probatas, & exploratas. Prima est Scriptura sacra. Secunda, Traditio Ecclesiastica. Tertia, Canones & decreta Patrum. Quarta sunt etiam priuilegia Principum Ecclesiasticis concessa, atque ab ipsa Ecclesia approbata, & suscepta.

Ex his intelligitur, quid Ecclesiis & personis Ecclesiasticis, seu communi Iure, seu peculiari priuilegio concessum fuerit. Quæ si quis violare ausit, is Ecclesiasticam libertatem violare apertè conuincitur; ex posita superius Ecclesiasticæ libertatis definitione. Quibus adde, si lubet, etiam quintam regulam, nempe ipsam rationem naturalem; nam & hæc Ecclesiasticæ libertati adstipulatur, vt videbimus. Et has scilicet regulas magnus hic Doctor ignorauit? Aut adeo

vel

vel incertas, vel ambiguas putauit, vt colligi inde perſpicuè nil poſſe iudicauerit?

Falſum eſt, in Iure Canonico non exprimi, quid Eccleſiaſtica libertate, eiuſque Iure contineatur. Vide enim Cõcilium Colonienſe celebratum Anno 1536. part. 9 ca. 20. quàm perſpicuè hac de re loquatur: *Immunitas Eccleſiaſtica vetuſtiſſima res eſt; iure pariter diuino & humano introducta, quæ in duobus potiſſimum ſita eſt. Primum, vt Clerici, eorumq́; poſſeſſiones, & bona vectigalibus & tributis, aliiſq́; muneribus laicis liberi ſint, &c. deinde, ne rei criminis ad Eccleſiam confugientes inde extrahantur, &c.* Et vnde hæc Patres huius Concilij intellexerunt? Nonne ex Iure Canonico?

Deinde ad hanc falſitatem redarguendam, vti nil opus eſt, hoc loco, omnia quæcunque hac de re Iure Canonico præſcripta ſunt, commemorare, ita operæ pretium eſt, velut totius reliquæ diſſertationis noſtræ baſin præmittere quædam Iuris Canonici decreta, quibus ſpeciatim damnãtur ea, quæ in præſenti controuerſia Domini Veneti contra Eccleſiaſticam libertatem & immunitatem malè attentarunt, & malorum Conſultorum ſuaſione & inſtinctu decepti, periculosè hactenus defenderunt. Ex quibus luce clarius patebit, quam falsò dicat Doctor ille, non exprimi, quid Eccleſiaſtica libertate comprehendatur.

Quocirca ordine demonſtrabimus, omnia & ſingula decreta Senatus Veneti, de quibus modò controuerſia eſt, apertè Iuris Canonici decretis, adeoq; libertati Eccleſiaſticæ aduerſari. Qua in re, ſi forte nimium prolixi, & moleſti videbimur lectori, is culpam in Paulum Venetum conferat, qui adeo confidenter ſuam cauſam agit, tanquam ſi aut Canones ſacri, totumq; Ius Canonicũ iamdudum è mundo ſublatum eſſet, aut lumina hominibus adempta, quibus

quæ

quæ in eo de Ecclesiastica libertate & immunitate, adeoq; in fauorem Ecclesiarum & Ecclesiasticarum personarum cõstituta sunt, legant, causæq; eius, quę modo contra Roman. Pontificem defenditur, iniquitatem perspicuè intelligant.

CAPVT IV.

PRIMVM ILLVD DECRETVM SENATVS VENETI, NE SACRÆ ÆDES ABSQVE EXPRESSA EIVSDEM LICENTIA CONstruantur, & apertè sacris Canonibus, & Ecclesiasticæ libertati aduersari.

ETENIM primum illud decretum capite I. recensitum, quo Senatus Venetus cauit, ne quis, seu Ecclesiasticus, seu sęcularis, Ecclesias, Monasteria, hospitalia, atq; alia pia loca, absque eiusdem Senatus speciali licentia fundare & erigere possit, sub pœnis exilij, &c. esse contra libertatem Ecclesiasticam, & quidem ex duplici capite, tum quia leges directè Ecclesiasticis pręfigit, cum pœnæ etiam corporalis cõminatione; tum quia obstat locorum sacrorum liberæ ædificationi, diuiniq; cultus propagationi, apertum est ex Iure Canonico.

Primò enim compertum est, nullum secularem Principem propria authoritate directè clericis leges præscribere posse, quanquam indirectè & ex consequenti non rarò Clerici etiam statutis Laicorum principũ teneantur. Statuit id apertè Innocentius III. in cap. Ecclesiæ S. Mariæ de constit. vbi ita loquitur: *Nos attendẽtes, quòd laicis (etiam religiosis) super Ecclesiis & personis Ecclesiasticis, nulla sit attributa facultas, quos obsequẽdi manet necessitas, non auctoritas imperandi; à quibus si quid motu proprio statutum fuerit, quod Ecclesiarum etiam*

etiam respiciat commodum & fauorem, nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum. Vnde statutum Basilij, de non alienandis pradijs rusticis, vel vrbanis ministerijs, & ornamentis Ecclesiarum, illa reprobatum fuit potissima ratione, quod authoritate non fuit Romanis Pontificibus roboratū, &c. Quòd si, vt expressè statuit Pontifex, laicis nulla est potestas, propria authoritate, seu *motu proprio*, vt loquitur Pontifex, personis Ecclesiasticis imperandi quippiam etiam pro commodo Ecclesiarum, quantò minus, si quid in earundem detrimentum & manifestum præiudicium vergit, vt est hoc Veneti Senatus decretum.

Deinde grauiter in eo Ecclesiastica læsa est exemptio, quòd Ecclesiasticis non tantum absolutè, sed etiam addita comminatione pœnæ corporalis, nempe exilij seu carceris perpetui, ędificatio eiusmodi locorum sine licentia senatus attentata prohibita est contra plurimos canones Ecclesiasticæ exemptionis vindices, vt infra cap. 7. dicemus.

Tertiò grauiter quoq; Ius Ecclesiasticæ libertatis eodē decreto violatum est, quòd Senatus propria authoritate sibi potestatem sumpsit, disponendi non tantum de rebus sacris & ad diuinum cultum pertinentibus, puta Ecclesiis, monasteriis, &c. sed etiam liberę eorum amplificationi obstaculum posuit, cum tamen non minus de rebus, quàm de bonis Ecclesiasticis disponendi laicis sit interdicta Iure facultas. Exempli causa prodeat id, quod in Concilio Rom. ante annos circiter mille, centum, sub Symacho Papa gestū est, & refertur can. Bene quidē dist. 96. cum n. Basilius Patritius Romanus, qui vicos gerebat Regis Odoacris, propria autoritate statuisset, vt non liceret alicui prædium Ecclesię alienare, statutū illud, etsi in Ecclesia laudabiliter constitutum, communi Concilij illius Romani, atq; inprimis authoritate Symmachi Pontificis abrogatum est. Statutum &

eius damnatio in hunc modum loco citato recitantur: *Hormisda Diaconus legit. Et is qui prædium rusticum vel vrbanum iuris Ecclesiastici fuerit consecutus, nouerit, se nulla lege vel præscriptione munitum: sed siue is, qui alienauerit, siue qui eum sequetur, voluntate contraria prædium huiusmodi alienatum reuocare voluerit, id cum fructibus restituat, quos illic fuerit consecutus. Hæc cum legeret Stephanus Episcopus Venusinæ Ecclesiæ surgens à consessu dixit: perlegatur. Hormisda diaconus legit. Qua pœna placuit etiam accipientis hæredes afficere. In qua re cuilibet clericorum contradicendi libera sit facultas. Iniquum est enim & sacrilegij instar, vt quæ vel pro salute, vel pro requie animarum vnusquisque venerabili Ecclesiæ pauperum causa contulerit, aut certè reliquerit, ab his, quos hæc maximè seruare conuenerat, in alterum transferantur. Plane quæcunque in gemmis, vel auro, atque argento, necnon & vestibus minus apta vsibus vel ornatui videbuntur Ecclesiæ, quæ seruari, ac diu manere non possunt, sub iusta æstimatione vendantur, & erogationi religiosæ proficiant.*

Cumque lecta fuisset, Laurentius Episcopus Mediolanensis Ecclesiæ dixit. Ista scriptura nullum Romanæ ciuitatis potuit obligare Pontificem, quia non licuit laicos statuendi in Ecclesia, præter Romanum Pontificem habere aliquam potestatem, quos obsequendi manet necessitas: non auctoritas imperandi, maximè cum nec Papa Romanus subscripserit, nec alicuius secundum Canones Metropolitani legatur assensus. Petrus Episcopus Rauennatis Ecclesiæ dixit. Scripturam quæ in nostra congregatione vulgata est, nullis eam viribus subsistere manifestum est, quia nec canonibus conuenit, & à laica persona concepta videtur, maximè quia in ea nullus præsul Sedis Apostolicæ interfuisse, vel propria subscriptione firmasse monstratus. Eulalius Episcopus Syracusanæ Ecclesiæ dixit. Scripturam quæ in Sacerdotali Concilio recitata est, euidentissimis argumentis constat esse inualidam.

Primum. Quod contra Patrum regulam, à laicis, quamuis religiosis

giosis (quibus nulla de Ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi legitur vnquam attributa facultas) facta videtur: deinde quod nullius pr̃sulis Apostolicæ Sedis subscriptione firmata docetur. Quod si cuiuslibet prouinciæ sacerdotes intra terminos suos concilio habito, quidquid sine Metropolitani sui authoritate tentauerint, irritũ esse debere, sancti Patres sanxerunt, quanto magis quod in Apostolica Sede, non existente præsule, (qui meritò B. Petri Apostoli per vniuersum orbem primatum obtinens sacerdotij, statutis synodalibus consueuit tribuere firmitatem) à laicis (licet consentientibus aliquantis Episcopis: qui tamen Pontifici, à quo consecrati probantur, præiudicium inferre non potuerunt) præsumptum fuisse cognoscitur viribus carere, non dubium est, nec posse inter Ecclesiastica vllo modo statuta censeri. Sancta Synodus dixit, licet secundum prosecutionem venerabilium fratrum nostrorum, Laurentij, Petrj, Eulalij, Cresconij, Maximi vel Stephani, nec apud nos incertum habetur hanc ipsam scripturam nullius esse momenti: veruntamen etiam si aliqua posset ratione subsistere, modis omnibus in synodali cõuentu, prouida beatitudinis vestræ sententia eneruari conueniebat, & in irritum deduci, ne in exemplum remaneret præsumendi quibuslibet laicis, quamuis religiosis, vel potentibus, in quacunq; ciuitate, quolibet modo, aliquid decernere de Ecclesiasticis facultatibus, quarum solis sacerdotibus disponendi indiscussè, à Deo cura commissa censetur. Vides rursum lector laicis propria authoritate de bonis Ecclesiæ ne profuturas quidem leges statuere fas esse, quantò minus obfuturas, & diuino cultui perniciosas.

Idem verò in specie de Ecclesiiis constitutum reperimus, in capitulo, Nemo Ecclesiam, de Consecrat. dist. I. & passim alibi. Canon ille ex Conc. Aurelianen. desumptus, sic habet: *Nemo Ecclesiam ædificet, antequam Episcopus ciuitatis veniat, & ibidem crucem figat, publicè atrium designet, & ante præfiniat, qui ædificare vult, quæ ad luminaria, & ad custodiam, &*

ad stipendia custodum sufficiant: & ostensa donatione sic domum ædificet, & postquam consecrata fuerit, atrium eiusdem Ecclesiæ sancta aqua aspergat. Quod si ergo locum & atrium Ecclesiis destinare ad Episcopum pertinet, quid Principes politici huius rei decidendæ sibi solis potestatem omnem vendicant?

Ex ea verò parte qua decretum illud Senatus Veneti liberam Ecclesiarum ædificationem interdicit, multò adhuc euidentius in sacros Canones, & constitutam illis Ecclesiasticam libertatem incurrit. Primum etenim, decreto Constantini Imperatoris omnibus conceditur libera potestas Ecclesias ædificandi; quod decretum refertur, & approbatur iure Canonico Can. futuram Ecclesiam, causa 12. q. 1. *Futuram Ecclesiam in gentibus Apostoli præuidebant; idcirco prædia in Iudæa minimè sunt adepti, sed pretia tantummodo ad fouendos egentes. At verò cum inter turbines, & aduersa mundi succresceret Ecclesia, eousque peruenit, vt non solum gentes, sed etiam Romani Principes, qui pene totius orbis Monarchiam tenebant, ad fidem Christi, & Baptismi sacramenta concurrerent. E quibus vir religiosissimus Constantinus, primus fidem veritatis patenter adeptus, licentiam dedit per vniuersum orbem sub suo degentes imperio, non solum fieri Christianos, sed etiam fabricare Ecclesias, & prædia tribuere posse constituit. Denique idem præfatus princeps donaria immensa contulit, & fabricam templi primæ Sedis beati Petri Principis Apostolorum instituit, adeò vt Sedem imperialem, quam Romani principes possederant, relinqueret, & beato Petro, uccessoribusque suis profuturam concederet. Idem verò præsidens in sancta Synodo, quæ apud Nicæam congregata est, cum querelam quorundam conspiceret, coram se delatam, ait. Vos à nemine diiudicari potestis, quia solius Dei iudicio reseruamini. Dij etenim vocati estis, & idcirco non potestis ab hominibus iudicari. Ab illo etenim tempore & deinceps viri religiosissimi non solum possessiones, &*

prædia

prædia quæ possederant, sed etiam semetipsos Domino consecrarũt, ædificantes basilicas in suis fundis in honorem sanctorum Martyrum per ciuitates ac monasteria innumera: in quibus cœtus Domino seruientium conueniret.

Nec minus luculentus est Canon Marcelli Papæ dist. 96. cuius verba sunt: *Boni principis est, ac religiosi, Ecclesias contritas atque conscissas restaurare, nouas ædificare, & Dei Sacerdotes honorare atque tueri. Vnde sanctos Apostolos eorumque successores sub diuina contestatione constituisse legimus, non debere fieri persecutiones, nec inferri fluctuationes, nec inuidere laborantibus in agro Dominico, neque expellere æterni regis dispensatores.* Quod si boni principis est Ecclesias contritas restaurare, nouasq; ædificare, cuius quęso erit, ne nouę ædificentur, aliis etiam interdicere?

Quid quod decretum hoc toti quodammodo titulo decretalium de Ecclesiis ædificandis aduersatur, in quo quicquid demum est, quod statuitur, eiusmodi est, vt vel ex eo colligatur, non modo posse, sed et debere quandoque Ecclesias nouas ædificari, collapsasq; reparari, vel certè omnem hanc de Ecclesiis dispositionem ad Magistratum Ecclesiasticum pertinere. Certè capite 1. statuitur, vt habentes beneficium teneantur contribuere ad Ecclesiæ reparationem; cap. 2. vt leprosis peculiare templum destinetur; cap. 3. vt ob nimiam distantiam ab Ecclesia parochiali, possit noua Ecclesia ædificari: cap. 4. vt rectores etiam Ecclesiarum compelli quandoq; possint, ad constructionem seu reparationem Ecclesiæ: cap. 5. vt Ecclesia secularis, possit ad statum regularem reparari: cap. 6. vt Episcopus ob necessitatem nouam Ecclesiam, etiam de bonis Ecclesiæ ædificare possit, &c.

Denique etiam idem decretum Iuri Ciuili aduersatur, in quo non solum libera sacrarum ædium ædificatio per-

mittitur, ſed etiam ſi quis à cœpta ædificatione deſtiterit, ad conſum̃andum opus Epiſcopi authoritate adigendus dicitur, in authentico de Eccleſiaſticis titulis §. ſi quis voluerit. Vbi ſic legimus: *Si quis autem voluerit fabricare venerabile oratorium, aut monaſterium, præcipimus non aliter inchoandam fabricam, niſi locorum ſanctiſsimus Epiſcopus orationem ibi fecerit, & venerabilem fixerit Crucem. Si verò ſemel cœperit, aut nouam ædificare baſilicam, aut veterem renouare, modis omnibus compellatur à beatiſsimo locorum Epiſcopo, & œconomis eius, & ciuili iudice, eam explere, & ſi is diſtulerit, hoc moriente hæredes eius opus inchoatum adimpleant.*

CAPVT V.

DECRETVM SENATVS VENETI, NE BONA ECCLESIASTICA EMPHYTHEVSIS NOMINE A LAICIS POSSESSA, VNQVAM ad Eccleſiam redire poſſint, apertè aduerſari libertati Eccleſiaſticæ, iurique tam diuino & naturali, quam Canonico & Ciuili.

HOc decretum, vt breuiter dicam, planè intolerabile eſt, & aduerſum non ſolum diſpoſitioni, & decretis Iuris poſitiui, ſed etiam ipſi iuri naturali & diuino. Cum enim naturali & diuino iure quiſque Dominus rei ſuæ, alteri locatæ, ſeu quomodolibet ad vſum cõceſſæ, poſſit eandem rem ſibi rurſum vendicare, poſtquam tempus elapſum eſt, quo alterius vſui, pro diuerſa contractus ratione, deſtinata intelligitur; & vero bona Emphyteutica alteri conceſſa, certis caſibus, vti ob lineæ deſitionem, &c. ex ipſa contractus ratione, communi omnium iurium diſpoſitione probata, poſſint & debeant ad proprios dominos redire, iam hoc ius Eccleſiis velle denegare, quid eſt aliud quam non tantum humana, ſed

etiam

etiam diuina & naturalia iura violare? Certè si in cuiuslibet principis ditione, contra abiectissimos quosq; lixas tale decretum statueretur, nemini dubium esset, quin palam omnes iniuriam, & diuini pariter ac humani iuris violationem exclamarent. Et iam Ecclesia Christi possit eiusmodi decretum dissimulare, & quidem non tam circa bona sua, quàm ipsius Christi Domini; & nisi dissimulet, imo bene factum acclamet, iniustè agere existimetur? Quis credat? Sed his omissis ad ius Canonicum veniamus, palamq; demonstremus, quam apertè decretum istud sacris Canonibus, & quæ in eis sancita est Ecclesiasticæ libertati aduersetur.

Et vt prætereã nunc illa, quibus generatim laicis principibus omnis dispositio de rebus Ecclesiasticis vetatur; quorum nonnulla, capit. præcedente adducta sunt. Primus in medium prodeat ex synodo Romana sub Symacho 3. celebrata Canon, *Non liceat*, qui refertur causa 12. quęst. 2. his verbis: *Non liceat Papæ prædium Ecclesiæ alienare aliquo modo, pro aliqua necessitate, nec in vsum fructum rura dare: nisi tantummodo domos, quæ in quibuslibet vrbibus, nõ modica impensa substentantur. Qua lege omnes custodes astringantur, vt donator, accensator, venditor honorem perdat. Et qui subscripserit, anathema sit cũ eo, qui dedit, vel qui recipit, nisi restituatur. Liceat etiam quibuslibet Ecclesiasticis personis contradicere, & cum fructibus alienata reposcere. Quod non modo in Apostolica seruandum est Ecclesia, verumetiam vniuersis Ecclesijs per prouincias quidem dicitur conuenire.* Si ergo nec Præsulibus quidem ecclesiasticis licet prędium Ecclesiæ quanquam minimum, sub perpetua alienatione ad cuiuslibet iura transferre, quanto minus hoc licebit laicis authoritate laica?

Deinde huc pertinet decretum Bonifacij Papæ, quo sacrilegij damnatur omnis vsurpatio illicita, rerũ Ecclesiæ, vt refer-

refertur can. *Nulli liceat*. 12.q.2. *Nulli* inquit Pontifex, *liceat ignorare omne quod Domino consecratur, siue fuerit animal, siue ager, vel quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum Domino erit, & ad ius pertinebit sacerdotum. Propter quod inexcusabilis erit omnis, qui à Domino & Ecclesia, cui competunt, aufert, vastat, inuadit, vel eripit, & vsq; ad emendationem, Ecclesiaeq; satisfactionem, vt sacrilegus iudicetur: & si emendare noluerit, excommunicetur.*

Nec alia sententia est Pij Pontificis in Can. *prædia* ibid. *Prædia*, inquit, *diuinis vsibus tradita, quidam humanis applicant vsibus, & Domino, cui tradita sunt, ea subtrahunt, vt sibi inseruiãt. Quapropter ab omnibus illius vsurpationis contumelia depellenda est; ne prædia vsibus secretorum cœlestium dicata; à quibusdam irruentibus vexentur. Quod si quispiam præsumpserit, vt sacrilegus habeatur.*

Oportunus est etiam huic loco Canon quintus: de rebus Ecclesiæ non alienandis, qui sic habet: *Nulli liceat, alienare rem immobilem Ecclesiæ suæ, siue agrum, siue rusticum mancipium, neq; specialis hypothecæ titulo obligare. Alienationis autẽ verbum continet conditionem, donationem, venditionem, permutationem, & emphyteusis perpetuum contractum. Vnde omnes Sacerdotes ab huiusmodi alienatione abstineant, pœnas timentes, quas Leonina constitutio comminatur.* Quæ lex etsi non vndiquaque iam obliget, vt ibidem notat glossa, facile tamen inde colligitur, quam à laicis alienatio rerum Ecclesiasticarum aliena esse debeat.

Consimile est capitulũ 6. eod. tit. *Si quis Presbyterorum, diaconorum, seu defensorum alienanti prædium Ecclesiæ subscripserit, quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur: nisi forte & alienator, & qui acceperit, celeri restitutione sibi prospexerint, &c.* Est hoc decretum Symmachi Papæ in Synodo Romana editum circiter Annum Domini 506.

Sed

Sed & generatim statuit Pontifex cap. *verum*, de foro cõpetenti, vt quęstiones feudi, si quę incidant, à domino feudi cognoscantur, nempe Ecclesiastico, si feudum ad Ecclesiam pertineat; aut sęculari, si ad istũ. Verba Canonis sunt: *Verum quoniã de quibusdam feudis aduersus præpositum quæstio mota fuit. Statuimus, vt ex quo Episcopus in Ecclesia fuerit consecratus, de feudis ipsis sub suo iudicio cognoscatur, si ad Ecclesiasticam cognitionem ptineant, alioquin Imperiali beneplacito, sicut iustum fuerit, relinquatur.* Quod si verum est, vt quid Senatus Venetus de bonis emphytheuticis non tantum sententiam dixit, sed & legem tulit, & quidem adeo communi iure, iniquam?

Cæterum multo expressior est casus Capituli *de in Ecclesiarum*, de constitutionibus, vbi Innocentius III. Pontifex damnat statutum quoddam laicorum, quo decreuerunt, vt causa egestatis feuda etiam Ecclesiastica alienare fas esset. *Sanè*, inquit Pontifex, *peruenit ad audientiam nostram, quod ciues Teruisini constituerunt, vt si quis se ad inopiam vergere probabiliter allegauerit, alienandi feudum, quod ab Ecclesia vel alijs tenet, liberam habeat facultatem.* Et infra. *Volentes igitur Ecclesiarum indemnitati consulere, constitutionem huiusmodi, & venditionem feudorum Ecclesiasticorum factas, sine legitimo Ecclesiasticarum personarum assensu, vires decernimus non habere.* Hæc Domini Veneti in suos aliquando ciues statuta, iure etiam ad se pertinere censere debent.

Accedunt his omnibus aperta etiam quatuor Conciliorum generalium decreta, quibus eiusmodi bonorum Ecclesiasticorum alienationes, tanquam Ecclesiis perniciosæ damnantur. Primũ est, Concilij Lateranensis sub Innocentio III. cap. 44. relatum in cap. *cum laicis*, de rebus Ecclesiæ non alienandis. *Cum laicis, quamuis religiosis disponendi de rebus Ecclesiæ nulla sit attributa potestas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi: dolemus in quibusdam ex*

*illis sic refrigescere charitatem, quòd immunitatem Ecclesiasticæ libertatis, quam non tantum sancti Patres, sed etiam Principes sæculares priuilegijs multis munierunt, non formidant suis constitutionibus, vel potius destitutionibus (*aliàs cõflictionib⁹*) impugnare, non solum de alienatione feudorum, ac aliarum possessionum Ecclesiæ, & vsurpatione iurisdictionum, sed etiam de mortuarijs, nec non & alijs, quæ Iuri spirituali annexa videntur, illicitè præsumẽdo. Volentes igitur super his indemnitatibus consulere Ecclesiarum, ac tantis grauaminibus prouidere, cõstitutiones & venditiones huiusmodi feudorum, seu aliorum bonorum Ecclesiasticorum, sine legitimo personarum Ecclesiasticarum assensu præsumptas, occasione constitutionis laicæ potestatis (cum non constitutio, sed destitutio, vel destructio dici possit, nec non vsurpatio iurisdictionum,) sacri approbatione Concilij decernimus, non tenere, præsumptoribus per censuram Ecclesiasticam compescendis.*

Secundum est Concilium Lugdunense, in quo Gregorius Papa X. ita statuit, vt refertur etiam libr. 6. de rebus Ecclesiæ non alien. cap. 2. *Hoc consultissimo prohibemus edicto, vniuersos & singulos Prælatos Ecclesias sibi commissas, bona immobilia, seu Iura ipsarum laicis submittere, subijcere, seu supponere, absque capituli sui consensu, & Apostolicæ Sedis licentia speciali. Nõ concedendo bona ipsa, vel Iura, in Emphyteusin, seu aliàs alienando in forma & casibus à Iure permissis: sed constituendo vel recognoscendo, seu profitendo, ab illis ea, tanquam à superioribus teneri, &c.* Et infrà: *Laici verò qui Prælatos, vel capitula Ecclesiarum, seu alias patronos Ecclesiasticos ad submissiones huiusmodi faciendas hactenus compulerunt, nisi post competentẽ mentionem (remissa submissione, quã per vim, vel metum exegerant) Ecclesias & bona Ecclesiastica eis submissa taliter in sua libertate dimittant: Illi verò qui de cætero Prælatos vel personas easdem ad talia facienda compulerint, cuiuscunque sint conditionis aut status, excommunicationis sint sententia innodati, &c.* En quanta cura, quamque

que seuera cautione bona Ecclesiæ alienari præter canonum statuta vetentur.

Tertium est, Concilium Tridentinum, quod sess. 22. de reformatione cap. 11. ita statuit: *Si quem Clericorum, vel Laicorum, quacunq; is dignitate, etiam Imperiali, aut Regali præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupauerit, vt alicuius Ecclesiæ, vel cuiusuis sæcularis aut regularis beneficij, Montium pietatis, aliorumq; piorum locorum iurisdictiones, bona, census, ac iura, etiã feudalia & emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascunq; obuentiones, quæ in ministrorum & pauperum necessitates conuerti debent, per se vel per alios, vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas clericorum, aut laicorum, seu quacunq; arte, aut quocunq; quæsito colore, in proprios vsus conuertere, illosq; vsurpare præsumpserit, seu impedire, ne ab alijs, ad quos iure pertinent, recipiantur, is anathemati tam diu subiaceat, quamdiu iurisdictiones, bona, res, iura, fructus & redditus, quos occupauerit, vel qui ad eum quomodocunq; etiam ex donatione suppositæ personæ, peruenerit, Ecclesiæ, eiusq; administratori siue beneficiato integrè restituerit, ac deinde à Romano Pontifice absolutionem obtinuerit. Quod si eiusdem Ecclesiæ Patronus fuerit, & iure patronatus, vltra prædictas pœnas, eo ipso priuatus existat. Clericus verò, qui nefandæ fraudis & vsurpationis huiusmodi fabricator, seu consentiens fuerit, eisdem pœnis subiaceat, nec non quibuscunq; beneficiis priuatus sit, & ad quæcunque alia beneficia inhabilis efficiatur, & à suorum Ordinum executione, etiam post integram satisfactionem, & absolutionem, sui Ordinarij arbitrio suspendatur.* Est ergò plane cur timeant, tam domini Veneti, qui impediunt, ne bona Ecclesiastica, eorumq; fructus percipiantur ab iis, ad quos iure pertinent; quam alij Veneti ciues quicunque, qui eiusmodi Senatus Veneti decreto nixi bona illa contra statuta Canonum vsurpare præsumunt.

Nec silentio prætereundum decretum eiusdem Conci-

lij Tridentini, Sess. 25. de reformatione, cap. 1. vbi non tantum perpetuæ alienationes, seu locationes rerum Ecclesiasticarum, sed & diuturniores, quæ scilicet à Canonibus præfixum excedunt terminum irritæ pronunciantur. Verba sunt: *Locationes verò rerum Ecclesiasticarum etiam authoritate Apostolica confirmatas, sancta Synodus irritas decernit, quas triginta annis citra, ad longum tempus, seu vt in nõnullis partibus, ad viginti nouem, seu bis viginti nouem annos, vocãt, factas, Synodus prouincialis, vel deputandi ab ea in damnum Ecclesiæ, & contra Canonicas sanctiones contractas fuisse indicabunt.*

Quartum quod prius referri oportebat, est Concilium Lateranense sub Leone X. celebratum, in quo Pontex litteris, quæ incipiunt, *Regimini vniuersalis Ecclesiæ*, & sacro approbante Concilio publicatæ sunt, apertè excommunicationem, aliasque censuras & pœnas innouat, in eos qui suo arbitrio, bona Ecclesiastica, etiam in emphytheusin, ab Ecclesiis extorquent; *Et quia sæpius*, inquit, *& multiplici relatione percepimus, quam plurimas Ecclesias, & illis præsidentes Episcopos, tam citra, quam vltra montes, vexari in eorum iurisdictionibus, iuribus, & dominiis, ac turbari à domicellis, principibus, & nobilibus eorundem, qui sub colore iurispatronatus, quod in beneficiis Ecclesiasticis habere cõfingunt, nullo priuilegio Apostolico suffulti, sine ordinariorum collationibus & litteris, & absque aliquo saltem colorato titulo, beneficia non solum Clericis, sed etiam laicis conferre, Sacerdotes & Clericos delinquentes ad eorum libitum punire, decimas omnium rerum, ad quarum solutionem de iure tenentur, ad Cathedralium, & alia, quæ legis Diœcesanæ, & iurisdictionis sunt, & ad ipsos Episcopos duntaxat pertinent, temere auferre, fraudare, vsurpare, seu vt præmissa fiant, mãdare, ac ipsa & fructus quoscunque, ne à ciuitatibus, terris & locis eorum extrahantur, prohibere, feuda, possessiones & prædia occupare, & indebitè detinere, seu ad feuda, & bona ipsarum Ecclesiarum eis concedendum; ac beneficia,*

Eccle-

Ecclesiastica per eos nominatis conferendum, minis & terroribus, & aliis viis indirectis inducere, & compellere, & alia quam plurima damna, iacturas & iniurias, ecclesiis & earum prælatis, ac clericis præfatis referri: Attendentes igitur, quod laicis in Clericos, & personas Ecclesiasticas, ac bona Ecclesiastica non est attributa facultas, atque æquum & iustum esse, vt in eos iure insurgant, quia illa offendere præsumunt: nec non considerantes, quãtum ex his tam nostro, & Apostolicæ Sedis honori, quam personarum Ecclesiasticarum quieto & prospero statui, non sine damnanda pernicie derogetur: accipientes eos, quos ad obseruantiam iurium, virtutum præmia non inducunt, tam adiectarum exaggeratione pœnarum, quam adiiciendarum de nouo formidine, à temerariis ausibus refrenare, omnes & singulas constitutiones, quæ super decimarum solutione, & contra violatores & raptores ecclesiarum, & incendiarios, agrorum depopulatores, & tam S. R. E. Cardinales, quam venerabiles fratres nostros Episcopos, & alias personas Ecclesiasticas sæculares & regulares capientes, detinentes, & eorum iurisdictionem, & iura quomodolibet indebitè occupantes, aut eos in eorum iurisdictionis exercitio perturbantes seu molestantes, eos quoque ad conferendum beneficia Ecclesiastica personis per eos nominatis, aut alias de illis pro eorum libito voluntatis disponendum, & feuda ac bona Ecclesiastica in emphyteusim concedendum, aut alias vendendum temerè compellentes, nec non statuta contra libertatem Ecclesiasticam facientes, & ad præmissa auxilium, cõsilium, vel fauorem præstantes, hactenus emanarunt, innouamus. Et cum ea nedum iuri contraria, sed etiam Ecclesiasticæ libertati opprobriosa sint quam plurimum, & aduersa, vt de officio nobis credito dignam Deo possimus reddere ratione͂, affectibus & monitis paternis, Imperatorem, Reges, Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, & quoscunque alios alterius cuiuscunque nobilitatis, praeminentiæ, potentiæ seu potestatis, excellentiæ vel dignitatis existentes, attente hortamur in Domino, eisdem in virtute sanctæ Obedientiæ mandan-

tes, vt ipsi constitutiones prædictas obseruent, & faciant à suis etiam subiectis inuiolabiliter obseruari, quacunq;, consuetudine contraria non obstante, si diuinam offensam, & sedis Apostolicæ vitare debitam voluerint vltionem, &c.

Tandem ex omnibus statutis Ecclesiasticis, nullum in hoc genere seuerius reperire est, nullaq; sententia acrior vspiam legitur, quam quæ singulis annis in bulla cœnæ Domini solenniter promulgatur, vbi graui anathemate damnantur *condentes statuta, ordinationes, constitutiones pragmaticas, seu quauis alia decreta, in genere vel in specie, quibus libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur vel deprimitur, aut quouis modo restringitur, seu sedis Apostolicæ, & quarumcunq; Ecclesiarum iuribus directè vel indirectè, tacitè vel expressè quomodolibet præiudicatur.* Ita Bulla. An non verò apertè præiudicat Ecclesiarum iuribus, statutum illud, quo bona Ecclesiarum propria ad ipsas Ecclesias vllo vnquam tempore redire prohibentur?

Quid quod in eadem Bulla etiam vsurpationes reddituum & prouentuum Ecclesiasticorum damnantur, sic enim habet paragraphus 17. recentioris editionis. Excommunicamus. &c. *Qui iurisdictiones, seu fructus, redditus & prouentus ad nos & sedem Apostolicam, & quascunq; Ecclesiasticas personas, ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes vsurpant, vel etiam quauis occasione, vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum, ad id legitimam facultatem habentium, expressa licentia sequestrant.*

Sed iam ad ius ciuile veniamus. Certè Iustinianus Imp. in authentico de non alienandis aut permutandis rebus Ecclesiasticis §. emphiteusim, apertè cauet, ne bona immobilia Ecclesię perpetua emphyteusi alienentur, sic enim statuit. *Emphyteusim autem siue in sanctissima maiore Ecclesia, siue in omnibus reliquis adorandis domibus fieri sinimus, & in accipientis*

pientis persona, & in duobus eiusdem personæ hæredibus deinceps, filijs tantum solis, masculis, aut fœminis, aut nepotibus vtriusque naturæ, aut vxore, aut viro, si hoc videlicet de vxore, aut viro, expreßim nominetur, alioquin non transire ad aliquem alterum hæredem: sed vsq; ad solam vitam percipientium standum, nisi filios aut nepotes habuerint. Aliter autem penitus emphyteusim agi Ecclesiasticæ cuiusdam, aut ptochij rei immobilis, aut mancipij rustici, & ciuilis annonæ, nullo permittimus modo, neq; quod fit, habere aliquod penitus robur sinimus. Omitto cætera, in re manifesta.

In capitularibus Caroli Magni lib. 7. cap. 104. inter alia hæc legimus: *Præcipientes iubemus, vt nullus tam nostris, quàm futuris temporibus, à nobis vel successoribus nostris, vllo vnquam tempore, absq; consensu & voluntate Episcoporum, in quorum parochijs esse noscuntur, res Ecclesiarum, petere, aut inuadere, vel vastare, aut quocunq; ingenio alienare proponat. Quod si quis fecerit, tam nostris, quam & successorum nostrorum temporibus, pœnis sacrilegij subiaceant, & à nobis atque successoribus nostris, nostrisq; Iudicibus vel comitibus sicut sacrilegus, & homicida, vel fur sacrilegus, legaliter puniatur, & ab Episcopis nostris anathematizetur, ita vt mortuus etiam sepultura, & cunctis Ecclesiæ Dei precibus & oblationibus careat; nec eleemosynam suam quisquam recipiat. Quod autem maximum sacrilegium sit, res Ecclesiæ auferre, alienare, vastare, vel subripi maximè omnes scripturæ diuinæ testantur, &c. & multa sanctorum Canonum decreta &c. quæ scrutari & scire cupientibus perfacile patet.* Notet hoc Paulus Venetus contra suam Iuris Canonici ignorantiam. Ne quis verò dicat legem Venetam non de bonis, quorum directum dominium ad Ecclesiæ pertinet, loqui, sed de bonis censualibus, quæ solummodo ad certam portionem obligata sint Ecclesiæ, quod recentiores quidam Veneti scriptores insinuant, in memoriā reuocandum est Senatus Veneti statu-

tum

tum, prout, etiam ex Paulo Veneto supra cap. 1. recitatũ est. Vbi expressa in fine habentur hæc verba, *Ecclesiasticorum tamen directo dominio*, (in eiusmodi videlicet bonis, de quibus in ea lege est sermo) *semper saluo*. Loquitur ergo lex de bonis quorum directũ dominium ad Ecclesiasticos pertineat. Et de alijs quid quæso opus fuit legem statuere; an Ecclesiastici bonorum ad se non pertinentium sibi dominium vendicabant, au t si id inquam tentassent, adeo ne iniquitas rei obscura est, vt eam noua lege prohiberi necessum fuerit? Effugia sunt hæc vanitatis non patrocinia veritatis.

CAPVT VI.

DECRETVM TERTIVM VENETI SENATVS QVO CAVETVR, NE BONA IMMOBILIA LAICORVM IN ECCLESIAS vnquam transferantur, dono, legato &c. Iuri naturali, Canonico, & ciuili repugnare.

DE Iure naturali non est magnopere laborandum: constat enim neminem in Rep. adeò vilis esse conditionis, cui non fas sit, & verò iure gentium esse debeat, dominium rerum etiam immobilium, honesto aliquo titulo sibi vendicare, vt si dono offerantur, si legato, seu testamento relinquantur, si iusta emptione, debitoque precio soluantur, an ergo iuris sit, vt quod vilissimis quibusq; in republica iustum est, id sacerdotibus, Ecclesijs, Deo, iuris esse non possit? Meritò iam olim super hac re indignatus S. Ambrosius Valentinianum Imperatorem impulit, vt similia quædam decreta, tanquam naturali æquitati aduersa reuocaret.

Documentum huius rei extat in epistolis S. Ambrosij lib. 5. epist. 31. seu lib. 2. epist. 12. in qua hæc Ambrosius.

At

At contra nobis priuatæ successionis emolumenta præsentibus legibus denegantur; & nemo conqueritur. Non enim putamus iniuriam, quia dispendium non dolemus. Si priuilegium quærat Sacerdos, vt onus curiale declinet, patria atque auita, & omnium facultatum possessione cedendum est. Quomodo hanc gentiles, si haberent, ingrauarent querelam, quod Sacerdos ferias ministerij sui emat totius patrimonij sui damno, & priuatus vniuersæ commoditatis dispendio vsum publici mercetur obsequij: prætendens communis salutis excubias, domesticæ inopiæ se mercede solatur, quia ministerium non vendidit, sed gratiam comparauit. Conferte caussas. Vos excusare vultis decurionem; cum Ecclesiæ excusare non liceat Sacerdotem. Scribuntur testamenta templorum ministris, nullus excipitur prophanus, nullus vltimæ conditionis, nullus prodigus verecundiæ; soli ex omnibus clerico commune ius clauditur, à quo solo pro omnibus votum commune suscipitur, officium commune defertur. Nulla legata vel grauium viduarum, nulla donatio. Et vbi in moribus culpa non deprehenditur, tamen officio mulcta præscribitur. Quod sacerdotibus phani legauerit Christiana vidua, valet; quod ministris Dei, non valet. Quod ego non querar; Sed vt sciant quid non querar, comprehendi. Malo enim vos pecunia minores esse, quam gratia. Sed referunt, ea quæ vel donata, vel relicta sunt Ecclesiæ, non esse temerata. Dicant & ipsi, quis templis dona detraxerit, quod factum est Christianis. Quæ si facta essent gentilibus, redderetur potius, quam inferretur iniuria, &c.

Nec verò eiusmodi leges probauit S. Hieronymus in sua ad Nepotianum epistola, cum ait: *Pudet dicere, Sacerdotes Idolorum, mimi, & aurigæ, & scorta, hæreditates capiunt; Solis Clericis & Monachis hoc lege prohibetur, & prohibetur non à persecutoribus, sed à principibus Christianis, &c.*

Sed quid, inquis, sibi volunt illa, quæ mox ibidem subiungit S. Hieronymus. *Nec de lege conqueror, sed doleo, cur meruerit*

ruerimus hanc legem: cauterium bonum est, sed quo mihi vulnus, vt indigeam cauterio? Prouida, seueraq́ legis cautio, & tamen nec sic refrenatur auaritia. An non his verbis leges eiusmodi probare videtur S. Hieronymus? Minimè verò; *non queror*, inquit S. Hieronymus, quia locus & tempus querendi non erat, cum ex ipsa legis occasione, seu iusta esset, seu iniusta, acrius obiurgandam sumpsit Clericorum auaritiam, qui indecoris modis fidelium patrimonijs insidiabantur. Cauterio comparauit bono; Sed comparauit tantum, non æquauit. notum est illud vulgatum omnis similitudo claudicat. Parem legis & *cauterij* rationem esse voluit, quod & malum vtrumq;, & neutrum, nisi *malo remedium* adhibeatur. *Prouidam seueramq́* legis cautionem dixit, & quod qualicunq; demum prouidentia, malis clericorum moribus obuiam ire conaretur; iustam dixit nunquam, imo verò non nisi iniustè Ecclesiam à legatis fidelium excludi posse apertè ibidem significauit. *Sit hæres*, inquit, *Sed mater filiorũ, id est gregis sui, Ecclesia, quæ illos genuit, nutriuit & pauit. Quid nos inserimus inter Matrem & liberos? gloria Episcopi est, pauperum inopiæ prouidere, ignominia sacerdotis est proprijs studere diuitiis.* Hoc ergo plane improbauit S. Hieronymus, Clericos studio propriarum diuitiarum, patrimonijs fidelium insidiari, ipsas verò Ecclesias in hæreditatibus & legatis fidelium locum inuenire, non tantum probauit, sed etiam summi iuris & æquitatis esse censuit.

Et quanquam eiusmodi leges Ecclesiasticæ libertati aduersæ, in quas sancti Patres depugnarunt, etiamnum hodie in codice Theodosiano extent, non tamen vim vllam habent, non solum quod codex ille cum suis legibus, iam dudum est, à Iustiniano Imp. improbatus; sed etiam quia Valentinianus Imperator legem malam, quã bono zelo quidem dixit, sed non secundum scientiam, meliori & sapientiori.

tiori lege abrogauit. Sic enim rescripsit, vt habetur l. 28. de Episcopis & Clericis Cod. Theodosiano: *Legem, quæ de Diaconissis vel viduis nuper promulgata est, ne quis videlicet Clericus, neue sub Ecclesiæ nomine, mancipia, supellectilem, prædam velut infirmi sexus dispoliator inuaderet, & remotis affinibus ac propinquis, ipse sub prætextu Catholicæ disciplinæ se ageret viuentis hæredem, eatenus animaduertat esse reuocatam, vt de omnium chartis (si iam nota est) auferatur, neq; quisquam aut litigator ea tibi vtendum, aut iudex nouerit exequendam. Dat. Mediolani X. Kal. Decembris, Valentiniano quartum, & Neoterio Coss.* Sed de naturali æquitate hæc satis. Ad Canones veniamus.

Et vt omittam capitulum, *Cum Laici*, de rebus Ecclesiæ non alienandis, & Canonem, *Futuram Ecclesiam*, causa 12. q. 1. quos præcedente capite adduximus, & æque ad hoc propositum accommodare licet; insignis est Canon Vrbani Papæ, ex eadem 16. q. 1. qui sic habet. *Videntes autem summi Sacerdotes, & alij, atq; Leuitæ, & reliqui fideles, plus vtilitatis posse conferre, si hæreditates, & agros, quos vendebant, Ecclesijs, quibus præsidebant Episcopi, traderent, eò quod ex sumptibus eorum, tam præsentibus, quam futuris temporibus, plura & elegantiora ministrare possent fidelibus, communem vitam ducentibus, quàm ex pretio ipsorum; cœperunt prædia & agros, quos vendere solebant, matricibus ecclesijs tradere, & ex sumptibus eorum viuere. Ipsa verò res in ditione singularum parochiarum Episcoporum (qui locum tenent Apostolorum) erant, & sunt vsq; adhuc, & futuris semper debent esse temporibus. E quibus Episcopi, & fideles dispensatores eorum, omnibus communem vitam degere volentibus ministrare cuncta necessaria debent, prout melius potuerint, vt nemo in eis egens inueniatur. Ipsa enim res, fidelium oblationes appellantur, quia Domino offeruntur.* Et infrà cap. 3. *Memoratis ergo augmentationibus ac cultibus, in tantum Ecclesia,*

quibus Episcopi præsident, Domino adminiculante, creuerunt, & tantis maxima pars earum abundat rebus, vt nullus sit in eis communem ducens vitam, indigens; sed omnia necessaria ab Episcopo, suisq; ministris percipit. Ideo si aliquis extiterit modernis aut futuris temporibus, qui hæc auellere nitatur, iam dicta damnatione feriatur.

Inter decreta Symmachi Papæ hoc etiam legimus; *Possessiones, quas vnusquisq; Ecclesiæ propriæ dedit aut reliquit arbitrio, alienare quibuslibet titulis atq; distractionibus, vel sub quocunq; argumento non patimur, nisi forsitan aut Clericis honorum meritis, aut monasterijs religionis intuitu, aut certè peregrinis, si necessitas largiri suaserit; sic tamen, vt hæc ipsa non perpetuò, sed temporaliter perfruantur.* Ex quo saltem hoc discimus, quàm inuiolatas seruari pias fidelium voluntates sanxerit antiquitas; in cæteris valorem legis hic non expendo.

Luculenter etiam, & grauiter eiusmodi decreta condemnat Concilium Constantiense, in confirmatione constitutionum Friderici II. & Caroli IV. quæ extat in fine eiusdem Concilij. Verba quæ ad hoc propositum faciunt, sic habent. *Deinde ad euidentiam diuæ memoriæ Caroli IV. etiam Romanorum Imperatoris semper Augusti, deducto, quòd nonnullæ sæculares personæ, in potestatibus & officijs publicis constitutæ, videlicet Duces, Marchiones, Comites, & alij Domini temporales, nec non Consules ciuitatum, oppidorum, villarum & locorum rectores in eorundem prouincijs, Dei timore postposito, statuta singularia, & iniquas ordinationes motu proprio, & de facto contra personas Ecclesiasticas & Ecclesiarum libertates, & harum priuilegia condiderant, illisq; de facto & publicè vtebantur, contra canonicas, & legitimas sanctiones, vtpote quod nulla bona temporalia, in vim & potestatem Ecclesiasticam transferantur, &c.*

Et infra, quid super hac re decreuerit idem Imperator, sic refertur. *Idem Carolus Imp. tanquam Christianissimus princeps,*

ceps, volens in præmissis prouidere de remedio salutari, etiam de quorundam Principum, Ducum, Comitum, Baronum, fideliumq́; aliorum consilio, authoritate imperiali, quæcunq́; statuta & consuetudines prædictas, tanquam per canonicas & ciuiles sanctiones expressè reprobata, cassauit, irritauit, & annullauit, ac cassa, & irrita, nulliusq́; roboris esse voluit penitus & momenti, præcipiens sub indignatione Banni Imperialis, vniuersis ac singulis Principibus ac Dominis temporalibus, Consulibus, potestatibus, & alijs in officijs publicis constitutis, quatenus ex tunc ipsorum statuta, & ordinationes, sicut in præiudicium Ecclesiasticæ libertatis edicta fuerant, omnia reuocarent, & de luce tollerent, quodq́; secundum ea non iudicarent amplius, nec sententias ferrent, aut eisdem in iudicio, vel extra iudicium, quomodolibet, pro & contra Ecclesiasticam libertatem potirentur.

Quod Decretum Imperatoris approbans Concilium, ita statuit. *Quia non tantum in prouincijs & regnis, quæ Romanum profiterentur Imperium, sed fere modernis temporibus, vbiq́; in toto Christiano orbe, neglectis huiusmodi Lateranensis Concilij constitutionibus, Imperialibus, ac sacris sanctionibus quibuscunq́;, ab impiorum malitia, aduersus Ecclesias & Clericos nulla reuerentia, nullo Dei timore, nulloq́; animarum interitu pensatis, eorundem temerè audacia creuit insolenter: Igitur authoritate Dei omnipotentis, prædicta omnia innouat, statuit, & confirmat, perpetuisq́; futuris temporibus ab omnibus Christi fidelibus vbilibet, in omnibus, & per omnia, iuxta ipsarum constitutionum tenores, sub bannis, alijsq́; pœnis, & censuris supra in eisdem comprehensis, inuiolabiliter obseruandis.*

Nec abs re est, capitulum 5. de Immunitate Ecclesiarum, in 6. vbi hæc Bonifacius Papa: *Eos qui temporale dominium obtinentes, suis subditis, ne Prælatis, aut Clericis, seu personis Ecclesiasticis quicquam vendant, aut emant aliquid ab eisdem, neq́; ipsis bladum molant, coquant panem, aut alia obsequia exhibere*

præsumant, aliquando interdicunt: (cum talia in derogationem libertatis Ecclesiasticæ præsumantur) eo ipso excommunicationis sententiæ decernimus subiacere. Audis excommunicatione obligari eos, qui Laicis communes cum Clericis contractus celebrare interdicunt; eò quod talia *in derogationem libertatis Ecclesiasticæ præsumantur.*

In Concilio Tridentino Sess. 22. cap. 8. de Reformat. hæc legimus: *Episcopi tanquam sedis Apostolicæ delegati, in casibus à iure concessis omnium piarum dispensationum, tam in vltima voluntate, quam inter viuos sint executores, &c.* Et infra: *Et omnia, quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, & seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo iuxta sacrorum Canonum statuta cognoscant & exequantur, non obstantibus quacunque consuetudine, etiam immemorabili, priuilegio, aut statuto.* Quo ergo Iure quæso, contra tanti Concilij autoritatem dispositiones eneruantur, quas Episcopi executioni mandare iussi sunt?

Non minus liquidè aduersatur Venetum illud decretum Iuri ciuili Cod. de sacrosanctis Ecclesijs, cuius tituli lex prima, quæ est Imperatoris Constantini, sic habet. *Habeat vnusquisque licentiam, sanctissimo, catholico, venerabilique Concilio, decedens bonorum, quod optauerit relinquere, & non sint cassa iudicia eius; nihil enim est, quod magis hominibus debeatur, quam vt supremæ voluntatis, postquam iam aliud velle non possunt, liber sit stylus, & licitum, quod iterum non redit arbitrium.*

Eandem vim habet lex 13. eiusdem tituli Imperatoribus Valentiniano, & Marciano, edita, quæ sic habet. *Generali lege sancimus, siue vidua, siue Diaconissa, vel Virgo Deo dicata, vel sanctimonialis mulier, siue quocunque alio nomine religiosi honoris, vel dignitatis fœmina nuncupata, vel testamento, vel codicillo suo (quod tamen aliàs omni iuris ratione munitum sit) Ecclesiæ, vel martyrio, vel clero, vel Monachio, vel pauperibus aliquid, vel*

ex integro, vel ex parte, in quacunq; re, vel specie credidit, relinquendum, id modis omnibus ratum firmumq; consistat, siue hoc institutione, seu legato, aut fideicommisso per vniuersitatem, seu speciali, seu scripta, siue non scripta voluntate fuerit relictum: omni in posterum in huiuscemodi negotijs ambiguitate submota.

Idem addito etiam priuilegio, ne nisi præscriptione centum annorum, rerum quæ Ecclesijs legatæ sunt, vendicatio prohibeatur, statuitur lege 19. eiusdem tituli, quæ talis est. *Vt inter diuinum, publicumq; ius, & priuata commoda competens discretio sit, sancimus: si quis aliquam reliquerit hæreditatem, vel legatum, vel fideicommissum, vel donationis titulo aliquid dederit, vel vendiderit, siue sacrosanctis Ecclesijs, siue venerabilibus Xenonibus, vel ptochijs, vel Monasterijs, masculorum vel virginum, vel Orphanotrophijs, vel Brephotrophijs, vel Gerontocomijs, nec non iuri ciuitatum; vel donatorum, vel venditorum, vel relictorum eis sit longæua exactio, nulla temporum solita præscriptione coarctanda; sed et si in redemptionem captiuorum, quædam pecunia, vel res relicta, vel legitimo modo donata sunt; & earum exactionem longissimam esse censemus. Et nobis quidem cordi erat, nullis temporum metis huiusmodi actiones circumcludi, sed ne videamur in infinitum hanc extendere, longissimum vitæ hominis tempus eligimus: & non aliter eam actionem finiri concedimus, nisi centum annorum curricula excesserint: tunc enim tantummodo huiuscemodi exactiones euanescere sinimus. Siue itaque memoratis religiosissimis locis, vel ciuitatibus, hæreditas, vel legatum, vel fideicommissum fuerit relictum: siue donatio vel venditio processerit, in quibuscunque rebus mobilibus vel immobilibus, vel se mouentibus; siue pro redemptione captiuorum quædam fuerint derelicta vel donata, sit eorum pæne perpetua vindicatio, & ad annos centum (secundum quod dictum est) extendatur, nulla alia exceptione temporis inhibenda, siue contra primas personas, siue contra hæredes, vel contra successores eorum moueatur. In*

his autem omnibus casibus, non solum personales actiones damus, sed etiam in rem, & hypothecariam, secundum nostra constitutionis tenorem, qua legatarijs, & fideicommissarijs, & hypothecariam donauit: & supradictis omnibus vnum tantummodo terminum, humana vita imponimus, id est, centum metas annorum. Hac autem omnia obseruari sancimus, & in ijs casibus, qui vel postea fuerint nati, vel iam in iudicium deducti sunt. Ecce quanta deuotione, & fauore, antiqui Imperatores testamenta & Legata pia sint prosecuti. Plura inferius lib. 2. cap. 14.

CAPVT VII.

VSVRPATIONEM CRIMINALIS IVRISDICTIONIS IN CLERICOS, SEV ECCLESIASTICOS, QVAM SIBI VENETVS Senatus vendicare cupit, penitus aduersari Ecclesiasticæ immunitati.

BReues erimus circa hoc caput, tum quia si de communi iure agamus, nimis clarum est, eiusmodi iudicij vsurpationem sacris Canonibus, & Ecclesiasticæ immunitati aduersari, tum quia multa huius generis, quæ hoc capite referri possent, ad Ecclesiasticam exemptionem stabiliendam, deinceps in sequentibus adducenda erunt: tum quia multa huc spectantia, iam etiam superioribus capitibus producta sunt. Hæc ergo paucula in præsenti sufficiant.

Ioannes Papa in Cap. *si Imperator* dist. 96. *Non à legibus publicis*, inquit, *non à potestatibus seculi, sed à Pontificibus & Sacerdotibus omnipotens Deus Christianæ religionis Clericos & Sacerdotes voluit ordinari, & discuti, & recipi de errore remeantes. Imperatores Christiani subdere debent executiones suas Ecclesiasticis præsulibus, &c.*

Cele-

Celestinus III. capitulo, *cum non ab homine*, de iudicijs, apertè decernit, Clericos, sæcularibus iudicijs non esse subiectos. *A nobis*, inquit, *fuit ex parte tua quæsitum, vtrum liceat Regi, vel alicui sæculari personæ, iudicare Clericos, cuiuscunq; ordinis, siue in furto, siue in homicidio, vel periurio, seu quibuscunq; fuerint criminibus depræhensi; Consultationi tuæ taliter respondemus, quod si Clericus in quocunq; ordine constitutus, in furto, vel homicidio, vel periurio, seu alio crimine fuerit depræhensus legitimè, atq; conuictus, ab Ecclesiastico iudice deponendus est. Qui depositus si incorrigibilis fuerit, excommunicari debet, deinde contumacia crescente, anathematis mucrone feriri, postmodum verò si in profundum malorum veniens, contempserit, cum Ecclesia non habeat vltra quid faciat, ne possit esse vltra perditio plurimorum, per sæcularem comprimendus est potestatem; ita quod ei deputetur exilium, vel alia legitima pœna inferatur.*

Æquè perspicuum est decretum Innocentij III. capitulo, *qualiter & quando*, de Iudicijs, vbi pariter cauetur, ne Clerici à Laicis trahantur ad iudicium sæculare, *Præcipiatis*, inquit, *ex parte nostra prælatis, vt Laicis de Clericis conquerentibus, plenam faciant iustitiam exhiberi. Non obstantibus appellationibus frustratorijs, quas in eorum grauamen Clerici frequenter opponunt. Ne pro defectu iustitiæ Clerici trahantur à Laicis ad iudicium sæculare, quod omnino fieri prohibemus.*

Quin & Honorius III. hoc adeo sacrosanctum voluit esse, capitulo *significasti*, de foro competenti, vt nec ipsis quidem Clericis fas esse permiserit, iudicio sæculari se submittere, quod & ab alijs Pontificibus sæpius constitutum reperitur, verba citati Canonis sunt: *Significasti nobis quod P. Clericus ad petitionem C. Mercatoris se tuæ iurisdictioni subiecit, si in termino, nunc elapso, de pecunia mutuata non satisfecisset eidem.* Et infra. *Inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod licet priuatorum consensus, cum qui iurisdictioni praeesse dignoscitur,*

suum possit iudicem constituere, Clerici tamen in iudicem non suum (nisi forte sit persona Ecclesiastica, & Episcopi diœcesani voluntas accedat) consentire non possunt.

Huc pertinet seuera illa Pontificum sententia quę quotannis contra eiusmodi iudicij vsurpatores solenniter publicari solet in bulla Cœnæ Domini, cuius paragraphus 15. ex noua editione, sic habet, Excommunicamus, &c. *Qui vel ex prætenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcunque, personas Ecclesiasticas, capitula, conuentus, collegia Ecclesiarum quarumcunq; coram se ad suum tribunal, audientiam, Cancellariam, consilium, vel parlamentum, præter iuris Canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè, quouis quæsito colore, nec non qui statuta, ordinationes, constitutiones pragmaticas, seu quæuis alia decreta in genere vel in specie, ex quauis causa, & quouis quæsito colore, ac etiam prætextu cuiusuis consuetudinis aut priuilegij, vel alias quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis & ordinatis vsi fuerint: vnde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quouis modo restringitur, seu Nostris & dictæ sedis, ac quarumcunq; Ecclesiarum iuribus quomodolibet directè vel indirectè, tacitè vel expressè præiudicatur.*

Et infra paragraphus 19. sic habet. *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes & quoscunq; Magistratus, & iudices, Notarios, scribas, executores, subexecutores, quomodolibet se interponentes in causis capitalibus seu criminalibus, contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, specifica, & expressa huius sanctæ sedis Apostolicæ licentia, quiq; eiusmodi licentiam, ad personas & casus non expressos extendunt, vel alias illa perperam abutuntur, etiamsi talia committentes fuerint Consiliarij, Senatores, Præsidentes, Cancellarij, Vicecancellarij, aut quouis alio nomine nuncupati.*

Sed

Sed, & iure Ciuili, Ecclesiastici in causis ciuilibus à tribunali sæculari eximuntur. *Quidam*, inquit Iustinianus Nouella constitutione 79. *Volentes corrumpere orthodoxa fidei honestatem, siquidem litem habuerint quasi cum Monachis, aut Ascetrijs, ciuiles iudices interpellant, &c. propterea igitur sancimus, si quis quamcunque habuerit causam cum aliquibus venerabilibus sanctimonialibus, aut sacris Virginibus, aut mulieribus, omnino in monasterijs consistentibus; de eo amabilem ciuitatis illius Episcopum interpellet, &c.*

Et rursum Nouella 83. *Petiti sumus*, inquit Iustinianus Imp. *à Menna Deo amabili Archiepiscopo huius felicissimæ Ciuitatis, & vniuersali Patriarcha, Reuerendissimis Clericis hoc dare priuilegium, vt si quis habet aduersus eos quamlibet pecuniariam causam, prius ad Deo amabilem Archiepiscopum pergat, sub quo constitutus est, & interpellet eum, & ex non scripto iudicium mereatur. Et si hoc fiat, nec inquietet eum, nec trahat ad auditoria ciuilia, &c.*

Nec obstat, quod ibidem Iustinianus Ecclesiasticos in criminalibus sæcularibus iudicijs decreuerit esse subiectos, etsi non damnandos, nisi prius ab Episcopo sacerdotali dignitate spoliatos. Quia vti in alijs, ita in hoc etiam plus nimium ipse sibi potestatis assumpsit, cui meritò per Canones fuit derogatum. Nam vt dicitur Can. 14. dist. 10. *constitutiones contra Canones & decreta Præsulum Romanorum, vel bonos mores, nullius sunt momenti.* Et ibid. can. 5. *Imperium suis publicæ rei quotidianis administrationibus decet esse contentum, non vsurpare, quæ sacerdotibus Domini solum conueniunt.* Atque hæc in præsenti sufficiant. Ex his verò, quæ copiose hactenus adduximus, facilè intelligitur, statuta Veneti Senatus planè eius generis esse, quæ iam olim ab Imperatore Friderico II. per Italiam damnata & abolita sunt; hoc peculiari rescripto, quod in hæc verba ex Vaticano Codice

refert Cardinalis Baronius tom. 11. Annalium, ſub Annum Chriſti 1097. num. 78. *Fridericus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, & Rex Siciliæ, Poteſtatibus, Conſulibus, ac Comitibus vniuerſorum Comitatuum & Caſtrorum Italiæ. Cum diuæ memoriæ Imperatores Romani, ſacroſanctam Eccleſiam multiplici libertate dotarint: nos diſponente Deo, à quo eſt omnis poteſtas, ad faſtigium culminis Imperialis electi, quæ piè ab illis, & à ſanctiſſimæ ſedis Præſulibus pro ſtatu Eccleſiarum & Eccleſiaſticorum virorum ſunt edita, conſeruare volumus inconcuſſa; & illis contraria, ſicut ad nos ſpectare dignoſcitur, amputare. Cum igitur ad aures Celſitudinis noſtræ peruenerit, nonnullos veſtrum, cupidine cæca ſeductos, quædam deteſtanda edidiſſe ſtatuta, præiudicantia Eccleſiaſticæ libertati, ac diuino & humano iuri obuiantia: manifeſtè nos ea tanquam de radice prauitatis hæreticæ prouenientia, authoritate præſentium caſſamus, ſub pœna mille marcharum, diſtrictius inhibentes, ne quis veſtrum illis de cætero inhærere præſumat, aut eorum prætextu Eccleſias & Eccleſiaſticos viros contra ſanctiones Canonicas & legitimas moleſtare. Quinimmo ea de veſtris capitularibus ſeu breuiarijs condemnata penitus abolentes, Eccleſias & Eccleſiaſticas perſonas, permittatis indulta ſibi libertate gaudere, ſi vultis pœnam effugere prænotatam, & indignationem regiam euitare. Datum in caſtris apud S. Leonem Anno Domini milleſimo ducenteſimo vigeſimo. Indictione octaua, Kalend. Octob.*

Quocirca etiam non immeritò Paulus Papa V. Pontifex Opt. Max. hæc ipſa decreta falce Apoſtolicæ autoritatis & ſententiæ ſibi neceſſariò reſecanda duxit, cum olim in ſimili cauſa, contra Fridericum II. male à ſtatutis ſuarum met legum deſciſcentem, ita reſcripſerit Gregorius Papa IX. apud eundem cardin. Baronium ibidem: *Aſcendit ad nos clamor*, inquit Pontifex, *vlulatus & ſtridor miſerabilis, validus & horrendus Eccleſiarum & Clericorum Regni Siciliæ & Apuliæ, quod in eos vltra, quam de facili exprimi valeat, inique deſæuiens,*

sæuiens, ipsos affligis cruciatibus infinitis, bona eorum diripiens & extorquens, in manifestam contumeliam Redemptoris, & atrocem iniuriam Ecclesiæ generaliter, vt taceamus Apostolicæ sedis contemptum, in quam cadunt ex hoc opprobria exprobrantium. Cum igitur hæc nequeamus sine periculo sustinere, qui Christi Vicarij licet immeriti constituti, pro tuenda iustitia, & defendenda Ecclesiastica libertate tenemur, & volumus impendere nosmetipsos, ab eo nobis digna vicissitudine rependenda, qui beatificat tribulationem propter iustitiam patientes: Imperialem celsitudinem tuam monemus & hortamur attentè, quatenus Ecclesijs & personis Ecclesiasticis ablata restituens integrè vniuersa, ab illorum molestatione penitus conquiescas, famæ tuæ consulens, & saluti. Alioqui ne contra Deum homini deferamus, super hoc procedemus, dante Domino, sicut fuerit procedendum. Ad hoc autem dilectos filios B. & R. fratres minores ad te mittimus, si forsitan, saltem sero monitionibus nostris aures aperias, quas hactenus nimium inconsultè clausisti. Datum Reate. Non. Maij. Pontificatus nostri anno secundo.

Terribile est autem illud Honorij Papæ III. quod habetur cap. *Nouerit*, de sententia excommunicationis, vbi ita rescribit Pontifex: *Excommunicamus omnes hæreticos vtriusque sexus, quocunque nomine censeantur; fautores & receptatores, & defensores eorum. Necnon & qui de cætero seruari fecerint statuta edita, & consuetudines introductas contra Ecclesiæ libertatem: nisi ea de capitularibus suis infra duos menses post huiusmodi publicationem sententiæ fecerint amoueri. Item excommunicamus statutarios, & scriptores statutorum ipsorum: nec non potestates, Consules, Rectores, & Consiliarios locorum, vbi de cætero huiusmodi statuta & consuetudines editæ fuerint vel seruata: necnon & illos, qui secundum ea præsumpserint iudicare, vel in publicam formam scribere iudicata.* Ita Pontifex.

CAPVT VIII.

IVS ET VSVM ECCLESIASTICÆ LIBERTATIS RETRO, AD VSQVE TEMPORA CAROLI MAGNI, SEMPER IN ECclesia extitisse; contra Paulum Venetum & Ioannem Marsilium.

QVid hac de re Doctores isti scripserint, & quam turpiter Ecclesiasticæ libertatis antiquitati detraxerint, ex antecedentibus patet; ac præcipuè ijs quæ cap. 2. diximus. Nempe Marsilius ait: *vsque ad Iustinianum Imperatorem, nullum in Iure priuilegium exstare, de Exemptione Ecclesiasticorum.* Et Paulus Venetus, *duodecim*, inquit, *ipsis sæculis*, (nempe vsque ad annum Christi millesimum ducentesimum) *in Ecclesia inauditum esse nomen Ecclesiasticæ libertatis.* Et rursum, *propriam Clericis libertatem*, ait, *tributam, cuius primus meminisse videatur Honorius tertius, circa annum millesimum, ducentesimum, vigesimum.*

Ego vero palam faciam, Ecclesiasticam libertatem à tempore Apostolorum vsq;, semper in Ecclesia viguisse. Quod vt clarius fiat, totum tempus ab Anno millesimo, ducentesimo, vigesimo, quod superest, ad Apostolorum ætatem retrò, de quo solo nobis controuersia est, per certa capita distinguam; & in singulis manifestè ostendam Institutum Ecclesiasticæ libertatis & immunitatis, non solum quoad bona, sed præcipuè etiam quoad personas, Iudicio sæculari minimè subiectas, continua successione, semper in Ecclesia perseuerasse & viguisse. Neq; verò mihi propositum est, integram huius rei historiam pertexere, aut omnia omnino, quæ ad Ecclesiasticæ libertatis auctoritatem comprobandam faciunt, testimonia ex antiquitate congere-

gerere, sed in singulis duntaxat ætatibus aliqua seligere, quibus illa Fratris Pauli ac Ioannis Marsilij vanitas coarguatur, simulq; lector edoceatur, Ecclesiasticam immunitatem semper in Ecclesia constitutam & vsurpatam fuisse.

Et quidem ab Anno millesimo, ducentesimo, vigesimo; ad quod tempus Honorij Pontificatus, seu constitutio de Ecclesiastica immunitate refertur à Paulo Veneto, regrediendo, statim occurrit Innocentius III. qui non solum ipse multa pro Ecclesiastica libertate & immunitate sanciuit, vt capitibus antecedentibus vidimus, sed etiam Concilium Lateranense conuocauit, cuius Canone 46. ita statuitur, vt refertur etiam in decretalibus de immunit. Ecclesiarum. *Aduersus Consules & Rectores ciuitatum, & alios, qui Ecclesias & viros Ecclesiasticos tallijs seu collectis, & exactionibus alijs grauare nituntur, volens immunitati Ecclesiasticæ Lateranense Concilium prouidere, præsumptionem huiusmodi, sub anathematis districtione prohibuit, transgressores & fautores eorum excommunicationi præcipiens subiacere, donec satisfactionem impendant competentem. Verum si quando forsan Episcopus, simul cum Clericis, tantam necessitatem vel vtilitatem prospexerint, vt absq; vlla coactione, ad releuandas vtilitates, vel necessitates communes, vbi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias duxerint conferenda, prædicti Laici humiliter & deuotè recipiant, cum actionibus gratiarum. Propter imprudentiam tamen quorundam, Romanum prius consulent Pontificem, cuius interest communibus vtilitatibus prouidere, &c.* Omitto alia ex eodem Concilio, quæ supra cap. 5. contra secundum decretum Venetum recitauimus, quibus luce clarius, & nomen, & res ipsa Ecclesiasticæ libertatis & immunitatis firmatur.

Circa Annum Domini 1180. sedit Alexander tertius Pontifex, qui ad Ducem ita scripsit: *Cum essemus Venetiæ, &*

ibi

ibi diutinam moram fecissemus, proposuisti nobis constanter, atque sollicitè, sæpe contingere, quòd cum inter Clericum & Laicum tuæ Iurisdictionis, de pecuniaria causa controuersia vertitur, Clericus ad nostram appellat audientiam, & personis extra terram tuam existentibus, Iurisdictionis causam impetrant quandoque committi, qui super huiusmodi causis iudicare nolunt, aut nesciunt legem, aut consuetudinem Veneticorum. Vnde quia occasione ista tam frequenter à Laicis Clerici indebitè fatigantur, & damna grauia sibi prouenire proclamant: Nos fauore tuæ deuotionis inducti, & tuis precibus inclinati, authoritate Apostolica tibi duximus indulgendum, vt si aliquando Clericus de terra tuæ Iurisdictionis, super pecuniaria causa, contra Laicum, ad nostram audientiam appellauerit, non nisi personis, quæ de terra tuæ Iurisdictionis sunt, & secundum legem & consuetudinem Veneticorum iudicare debeant, committamus; ita quòd indulgentia nostra non debeat nisi nostro tempore durare. Ecce iam ipsius Principis Veneti testimonio conuictum tenemus Venetum, quòd sexaginta iam annorum interuallo à veritatis scopo aberrauerit. Vbi etiam lector notabit, quæ tum temporis fuerit Veneti Principis erga sedem Apostolicam obseruantia. Exstat autem hæc decretalis epistola tom. 3. Conciliorum part. 2. edi. nouissimæ Coloniens. pag. 1421.

Sub eodem Pontifice, eodemq; anno celebratum est Concilium Lateranense III. cuius Canone 19. Ecclesiastica libertas, seuerissima constitutione sancitur, vt refertur cap. *Non minus*, de Eccles. immunit. & nos infra cap. 16. alia occasione recitabimus.

Sub Annum Domini M. L. XXX. Anshelmus Episcopus Lucensis, pro defensione Gregorij VII. & Ecclesiasticæ libertatis, contra Guibertum Antipapam, eiusque propugnatorem Imperatorem, duos eruditos admodum libros edidit, quos nuper tom. 6. Antiquit. in lucem dedit

Cla-

Clarissimus in hac Academia Iuris Canonici Professor D. Henricus Canisius. Quocirca lib. 1. mox ita aduersarium adoritur: *Audi itaq; sceleratissime omnium &c.* Et paulo inferius Iura Ecclesiæ ab Imperatore violata condolens; *Adultera,* inquit, *quæ nunc est in parte tua, olim videbatur Hierusalem, sancta videlicet Ecclesia, filia Regis Dauid. Sed prô dolor corrupta est à patre suo, & constuprata vsq; ad verticem. Omnis decor eius recessit ab ea, facta est quasi vidua domina gentium, quia Rex Babylonis possidet eam. Cum enim Dominus dicat B. Petro: Tibi dabo claues regni cælorum, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & pasce oues meas. Et alibi, vna est columba mea, quæcunq; alterius Iuris vsurpatione corrumpitur, non iam Sponsa Christi, sed adultera, non libera, sed ancilla conuincitur. Sicut dicit B. Ambrosius: Conuenior à Comitibus ac tribunis, vt per me Basilicæ fieret mutua traditio.* Sed de hoc inferius dicendum erit. Sub finem libri secundi, etsi de facultatibus Ecclesiæ agat nihil, sed agere solummodo constituat, (quæ tractatio intercidisse videtur) satis tamen etiam de illis suam mentem explicat: *Nunc restat,* inquit, *de facultatibus Ecclesiæ dicere, quas ÿdem contendunt, sub regia ditione manere, &c.*

Anno Domini 895. in Concilio Triburiensi cap. 10. ita statuitur: *Statutum est, in hac sancta & vniuersali synodo, vt nullus Episcopus deponatur, nisi à duodecim Episcopis, Presbyter à sex, Diaconus à tribus. In Concilio Carthaginensi capite duodecimo, Felix Episcopus dixit: Si quis Episcopus in reatum aliquem incurrerit, & non potest plurimos congregare Episcopos; ne in crimine remaneat, à duodecim Episcopis audiatur. Et Presbyter à sex, cum proprio suo Episcopo, & Diaconus à tribus Episcopis audiatur. Et in eodem Concilio cap. vigesimo: Vt Presbyter à sex, Diaconus à tribus discutiatur Episcopis. Reliquorum Clericorum causas etiam solus Episcopus loci cognoscat & definiat.* Non ergo Laicorum, sed Episcoporum iudicio causæ Clericorum

cognoſcendæ ſunt, idq́; ſtatuto Synodi, quæ ab hinc ſeptingentis amplius annis celebrata eſt.

Anno Domini 869. ſub finem VIII. Synodi Generalis Conſtantinopoli celebratæ, Baſilius Imperator Græcus Eccleſiaſticarum cauſarum iudicium Laicis penitus abiudicauit: *Laico verò*, inquit, *nulla ratione, de Eccleſiaſticis ſanctionibus diſputandi, aut vniuerſam Eccleſiam, œcumenicamque Synodum oppugnandi poteſtas fiat. Hæc enim excutiendi, & in vtramq́; partem agitandi, Patriarcharum, Sacerdotum, & Doctorum eſt officium, quibus à Deo ſoluendi & ligandi poteſtas eſt conceſſa. Nam Laicus etſi pietatis & ſapientiæ laude præſtet, tamen Laicus eſt, & ouis, non Paſtor. Epiſcopus autem, quamuis omni religionis virtute deſtitutus oſtendatur, tamen Paſtor eſt, quandiu in Pontificatus munere verſatur; nec oportet, vt oues Paſtori repugnent.* Si, vt Imperator dixit, repugnare non decet, quantò minus inuadere? quantò minus capere? quantò minus obtruncare?

Sub Annum Domini 860. Nicolaus I. Papa, epiſtola 8. ad Michaëlem Imperatorem, multa in hunc ſenſum egregiè perſcripſit: Primum enim quanto honore Sacerdotes etiam à Principibus colendi ſint, & quam non deceat à Principibus iudicari, tùm varijs alijs documentis, ac præcipue authoritate S. Gregorij lib. 4. epiſt. 31. tùm exemplo pijſſimi Imperatoris Conſtantini oſtendit: *Sicut nos*, inquit, *propter Deum, etiam à non vera dicentibus iniurias à nobis illatas æquanimiter ferimus; ita quoq; oportet pietatem veſtram Sacerdotibus, qualeſcunq́; ſint, propter eum, cui deſeruiunt, reuerentiam potius, quam iniurias exhibere.*

Sed de his iam cum Sancto Papa vobis loquamur Gregorio: Nam in diuinis eloquijs Sacerdotes, aliquando Dij, aliquando Angeli vocantur. Nam & per Moſen de eo, qui ad iuramentum deducendus eſt, dicitur: Applica eum ad Deos, videlicet ad Sacerdo-

tes. Et rursum scriptum est, Dijs non detrahes, scilicet Sacerdotibus. Et Propheta ait, Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.

Quid ergo mirum, si illos Imperialis pietas honoret, quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos aut Angelos, aut Deos ipse appellet Deus? Ecclesiastica quoq; testatur historia, quia cum piæ memoriæ Constantino Principi, scripto oblatæ accusationes contra Episcopos fuissent, libellos quidem accepit, & eosdem, qui accusati fuerant, Episcopos conuocans, in eorum conspectu libellos, quos acceperat, incendit dicens: Vos Dij estis à vero Deo constituti; ite & inter vos causas vestras deponite; quia dignum non est, vt nos iudicemus Deos. In qua sententia sibi magis ex humilitate, quam illis aliquid præstitit ex reuerentia impensa. Ante eum quippe pagani in Republica principes fuerant, qui verum Deum nescientes, Deos ligneos & lapideos colebant, & tamen eorum Sacerdotibus honorem maximum tribuebant. Quid igitur mirum, si Christianus Imperator veri Dei Sacerdotes honoret, dum Pagani (vt prædiximus) Principes honorem impendere sacerdotibus nouerunt, qui Dijs ligneis & lapideis seruiebant?

Deinde arguens Imperatorem, quòd in Episcopum ipse Laicus, etsi non absq; Concilio, iudicium vsurpasset, ostendit hoc à praxi Ecclesiæ, sacrorumque Canonum statutis prorsus alienum esse: *Congregastis Concilium aduersus eum, & ad Imperij vestri nutum cuncti sunt famulati minores, & ad votum sæcularium (vt cum pace vestra dicamus) de solio Imperiali descendentes, cathedram præsularem, vt ita fateamur, ascendistis, & pro desiderio hostium eius, augustalium obliti sceptrorum, quendam Regem Israël imitantes, aduersus illum Sacerdotalis ministerij arripuistis officium: præsertim cum Imperium vestrum suis publicæ rei quotidianis administrationibus debeat esse contentum, nec vsurpare, quæ sacerdotibus Domini solum conueniunt. Dicite quæsumus, vbi nam legistis Imperatores Antecessores vestros, in*

synodalibus conuentibus interfuisse? nisi forsitan in quibus de fide tractatum est, quæ vniuersalis est, quæ omnium communis est, quæ non solum ad Clericos, sed etiam ad Laicos, & ad omnes omnino pertinet Christianos.

Vos autem non solum synodo, in causa sacerdotis collectæ interfuistis, verum etiam numerosa sæcularium millia ad videndum eius opprobrium aggregastis, cum magis debueratis in hoc imitari Constantinum, Pium, Augustum, de quo scriptum est, quod dixerit: quia si vidissem aliquem eorum, qui religioso circum amicti sunt habitu, turpitudinem aliquam operantem, chlamydem meam explicassem & cooperuissem eum, ne videretur à quoquam. Sed in viro hoc omnia hæc obliuioni traduntur, fit plausus de domini Sacerdote, scurris & histrionibus.

Heu quomodo obscuratum est aurum, libet cum Hieremia exclamare, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum. Deinde verò contra ritum Ecclesiasticum, contraq́ venerandas leges producitur accusator de Imperialibus ædibus, & cui imperari potest, ad falsum dicendum testimonium adhibetur. Fiunt suspecti iudices; & mercenarij, & lupi, custodes, qui videbantur esse pastores; (audiant hoc Venetæ causæ patroni) *non ascendentes ex aduerso, potestatibus mundi, iuxta Ezechielem, (cap. 13.) nec opponentes murum pro domo Domini, sed descendentes in infernum viuentes, hoc est, scientes. Submittitur minorum, inferiorum, & subiectorum deliberationibus; cum sacris Canonibus præcipientibus, & exemplis sanctorum Patrum, semper vbi est maior authoritas, sit eundum, & in omnibus controuersiis, ad potioris sedis iudicia dirigatur. Quod non solum à Catholicis, verum ab ipsis constat obseruatum hæreticis. Alioquin Acephalum liquet esse Concilium, vbi de tanta persona agitur, & maiorum non expectatur sententia, cum nec in causa clericorum inferiorum, solius Episcopi sui iudicium tantummodo præstò sit.*

Sed

Sed ne ſine auctoritate Canonica quicquam proſequi videamur, nunc Chalcedonenſis Concilij ſanctiones ad memoriam reducamus, quæ ita decernunt. Si Clericus habet cauſam aduerſus Epiſcopum proprium, vel aduerſus alterum, apud Synodum prouinciæ iudicetur; quodſi aduerſus eiuſdem prouinciæ Metropolitanum, Epiſcopus, vel Clericus habet querelam, petat primatem diœceſeos, aut ſedem regiæ vrbis Conſtantinopolitanæ, in quo hic tenor obſeruandus eſt; vt ſi videlicet Clericus aut Epiſcopus aduerſus Metropolitanum habet querelam, & tanta vrgetur neceßitate, vel ſi hoc graue non ferat, vbicunq; ſit poſitus, Primatem diœceſeos petat, quodſi iuxta Conſtantinopolitanam vrbem quiſquam eorum conſtitutus, & ſolius præſulis eius iudicio velit eſſe contentus, petat eandem regiam vrbem. Cum enim dixiſſet: petat Primatem diœceſeos, præceptum poſuit eadem Synodus, regulamq; conſtituit, cum verò diſiunctiua coniunctione addidiſſet, aut ſedem regiæ vrbis Conſtantinopolitanæ; liquet profecto, quia hoc ſecundum permiſſionem indulſit. Ergo ſaltem nunc non videtis ad maiora ſemper properandum? Et quanto magis ad potioris authoritatis iudicium tenditur querimonia, tanto adhuc amplius culmen maius petendum eſt, quouſq; gradatim perueniatur ad eam ſedem, cuius cauſa aut à ſe negotiorum meritis exigentibus, in melius commutatur, aut ſolius Dei, ſine quæſtione reſeruatur arbitrio.

Denique vtriusque Epiſcopi ſcilicet, & Principis poteſtatem aſſerens, eſſe diſtinctam, nec inter ſe confundendam, monet Imperatorem, vt intra ſuos ſe terminos contineat, ne alienos inuadens, vindice Deo, etiam de proprijs periclitetur: *Sicut*, inquit, *non leue diſcrimen incumbit Pontificibus ſiluiſſe pro diuinitatis cultu, & Eccleſiæ correctione, quod congruit, ita his (quod abſit) non mediocre periculum eſt, qui cum debeant parere, deſpiciunt. Et ſi cunctis generaliter Sacerdotibus diuina tractantibus, fidelium conuenit corda ſubmitti, quanto potius ſedis illius Pontifici conſenſus eſt adhibendus, quem cuncta Ec-*

clesiæ generalis iugiter pietas celebrauit? vbi clementia vestra euidenter aduertit, nunquam quouis penitus humano consilio, eleuare se quemquam posse contra illius priuilegium, vel Confessionem, quem Christi vox prætulit vniuersis, quem Ecclesia veneranda confessa semper est, & habet deuota Primatem: Impelli non valent humanis præsumptionibus, quæ diuino sunt iudicio constituta.

Desinant ergo rogamus, temporibus vestris, quidam per occasionem, perturbationem Ecclesiasticam præcipitanter appetere, & quæ non liceat, ambire, alioquin & quod male appetiuerint, non perfruentur, & ipsam quoque Christianitatem, nisi resipuerint, amittent. Vos autem, quæsumus, nolite præiudicium Dei Ecclesiæ irrogare; illa quippe nullum imperio vestro præiudicium infert, cum magis pro stabilitate ipsius, æternam diuinitatem exoret, & pro incolumitate vestra, & perpetua salute ingi deuotione precetur. Nolite, quæ sua sunt, vsurpare: Nolite quæ ipsi soli cõmissa sunt, velle surripere: scientes, quia tanto nimirũ à sacris debet omnis mundanarũ rerum administrator esse remotus, quanto quemlibet ex catalogo Clericorum, & militantium Deo, nullis conuenit negotijs sæcularibus implicari. Denique hi, quibus tantum humanis rebus, & non diuinis præesse permissum est, quomodo de his, per quos diuina ministrantur, iudicare præsumant, penitus ignoramus.

Fuerunt hæc ante aduentum Christi, vt quidam typicè reges simul & sacerdotes existerent: quod sanctum Melchisedech fuisse, sacra prodit historia: quodque in membris suis Diabolus imitatus (vtpote qui semper, quæ diuino cultui conueniunt, sibimet tyrannico spiritu vendicare contendit) vt pagani Imperatores, ijdem & maximi Pontifices dicerentur. Sed cum ad verum ventum est, eundem Regem ac Pontificem, vltra sibi nec Imperator iura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium vsurpauit: Quoniam idem mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, sic actibus proprijs, & dignitatibus distinctis, officia potestatis vtriusque discreuit, propria volens medicinali humilitate sursum efferri, non huma-

humana superbia rursus in inferna demergi, vt & Christiani Imperatores, pro æterna vita, Pontificibus indigerent; & Pontifices pro cursu temporalium tantummodò rerum, imperialibus legibus vterentur, quatenus spiritalis actio, carnalibus distaret incursibus. *Vterentur*, inquit Pontifex, non constringerentur, non coërcerentur. Qui subdit. *Et ideo militans Deo, minimè se negotijs sæcularibus implicaret; ac vicissim non ille rebus diuinis præsidere videretur, qui esset negotijs sæcularibus implicatus, vt & modestia vtriusq; ordinis curaretur, ne extolleretur vtroq; suffultus, & competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur. Quibus omnibus ritè collectis, satis euidenter ostenditur, à sæculari potestate nec ligari prorsus, nec solui posse Pontificem, quem constat à pio principe Cōstantino (quod longè superius memorauimus) Deum appellatum, nec posse Deum ab hominibus iudicari manifestum est.*

Ne quis verò existimet, iudicio eiusdem Pontificis Nicolai, Episcopos tantum à Laicorum iudicio exemptos esse, videamus, quid idem vigilantissimus Pontifex ad consulta Bulgarorū de sacerdotibus rescripserit: Sic enim habet caput 70. *Consulendum decernitis, vtrum presbyterum vxorem habentē, debeatis sustentare, & honorare, an à vobis proijcere: In quo respondemus, quoniam licet ipsi valde reprehensibiles sint, vos tamen Dominum imitari conuenit, qui solem suū, vt Euangeliū testatur, oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Deijcere verò eum à vobis ideo non debetis, quoniam nec Iudam Dominus cum esset mendax discipulus, de numero Apostolorum deiecit. Verum de presbyteris qualescunq; sint, vobis qui Laici estis, nec iudicandum est, nec de vita ipsorum quippiam inuestigandum, sed Episcoporum iudicio, quidquid est, per omnia reseruandum.*

Sub Annum Domini 858. Episcopi Franciæ, è castro Carissiaco, ad tuendam Ecclesiasticam immunitatem, epistolam ad Ludouicum Germaniæ regem scripserunt, plenam Apostolici Spiritus, quam recitat Cardinalis Baronius

Anno

Anno Christi 858. n. 18. In ea sic inter alia monent. *Si Ecclesiam Dei, sicut nobis scripsistis quaritis restaurare; debita Episcopis & sibi commissis Ecclesiis priuilegia intemerata, sicut diuinitus constituta sunt, custodite, pracepta, immunitates, & honorem earum, sicut auus vester conseruauit, conseruare curate. Et qua frater vester, dominus Carolus scilicet, qui & paterna donatione, & vobiscum, cum vestris vestrorumq́ fidelium, cum suis firmitatibus Regni partem accepit, pro cultu & honore Ecclesiarum egit, similiter conseruate, & Rectores & Pastores Ecclesiarum vt Patres & Christi Vicarios colite, sicut scriptura sancta pracepit dicens* (Eccl. 4.) *Sacerdotes Dei sanctifica & magnalibus humilia caput tuum, eorumq́ spiritualia consilia obaudite. Et item* (Agg. 2.) *Interroga sacerdotes meos legem meam, & dicent tibi. Et Dominus per Malachiam Prophetam.* (cap. 2.) *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. Eosq́ tempore incongruo & inopportuno nolite inquietare, sed liceat eis ministerium sacrum ad quod ordinati sunt, in populi salutem peragere, sibiq́ domestica cura subiectos nolite concutere, & non sinatis dehonestare, siue opprimere. Vt Presbyteris honor congruus & Iura debita, qua Canones & Capitula aui & proaui vestri statuerunt, conseruentur, satagite. Vt Episcopi quietam libertatem suas parochias circumeundi & pradicandi, ac confirmandi, atq́ corrigendi habeant, ordinate.*

Et infra: *Res & facultates Ecclesiasticas, qua sunt vota fidelium, pretia peccatorum, stipendia ancillarum & seruorum Dei, depradari; & ab Ecclesiis discindi nolite sustinere: sed fortiter, vt Rex Christianus, & Ecclesia alumnus, resistite & defendite. De quibus consecratis Deo rebus, quod habent liberi homines Ecclesiis seruientes, per dispositionem Rectorum ipsarum Ecclesiarum, ideo constituerunt Apostolorum successores hoc ordinari, vt quia creuerunt fidelium vota, & increbuerunt infidelium mala, augeretur per dispensationem Ecclesiasticam Regni militia ad resistendum malo-*

rum

rum nequitia, quatenus ipsi defensionem Ecclesiæ haberent & pacem, & Christianitas obtineret tranquillitatem. Quapropter sicut illa res & facultates, de quibus viuunt Clerici, ita vt illi, sub conseruatione immunitatis sunt, de quibus debent militare Vasalli, & pari tuitione à regia potestate in Ecclesiarum vsibus debent muniri. Et infra: *Ecclesiæ siquidem nobis à Deo commissæ non taliæ sunt beneficia, vt eiusmodi Reges, & pro libito suo, inconsultè illas possint dare vel tollere, quoniam omnia quæ Ecclesiæ sunt, Deo consecrata sunt. Vnde qui Ecclesiæ aliquid defraudat, aut tollit, sacrilegium secundum sanctam scripturam facere noscitur, &c.*

Anno 856. in Epistola synodali è Synodo Carissiaca (vt habetur tom. 3. Concil. edit. nouæ Coloniensis) ita scribitur: *Audiant raptores & prædones rerum Ecclesiasticarum, quod sanctus Anacletus Papa ab ipso Petro Apostolo presbyter ordinatus cum totius mundi sacerdotibus iudicauit; dicit namq́: Qui abstulerit aliquid patri vel matri, homicidæ particeps est: Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creauit, mater vero nostra Ecclesia, quæ nos in baptismo regenerauit: Ergo qui Christi pecunias & Ecclesiæ rapit, vel fraudat, homicida est, vtq́ homicida ante conspectum iusti iudicis deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur: qui autem pecuniam, vel res Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit, & vt sacrilegus iudicandus.*

Item S. Vrbanus Papa & Martyr: Res & facultates Ecclesiæ oblationes appellantur, quia Domino offeruntur, & vota sunt fidelium, & pretia peccatorum, & patrimonia pauperum. Si quis illa rapuerit, reus est damnationis Ananiæ & Sapphyræ, & oportet huiusmodi tradi Satanæ, vt Spiritus saluus sit in die Domini. Item Sanctus Lucius Papa: Rerum Ecclesiasticarum & facultatum raptores, à liminibus sanctæ Ecclesiæ anathematizatos, Apostolica autoritate pellimus & damnamus, atq́ sacrilegos esse indicamus; & non solum eos, sed etiam omnes consentientes: quia non solum

qui faciunt, rei iudicantur, sed etiam qui facientibus consentiunt. Par enim pœna agentes & consentientes comprehendit.

Et S. Augustinus, in sermone Euangelij S. Ioannis dixit ita: Fur sacrilegus loculorum sacrorum & Dominicorum est Iudas; & qui aliquid de Ecclesia furatur, & rapit, Iudæ perdito comparatur. Item in sacris Canonibus sancto Spiritu dictatis, & Christi sanguine confirmatis scriptum est: si quis oblationes Ecclesiæ extra Ecclesiam accipere, & dare voluerit, præter conscientiam Episcopi, & eius cui huiusmodi officia commissa sunt, nec cum eius voluerit agere consilio, anathema sit.

Sub Annum Domini 845. in Synodo Meldensi eiusdem Galliæ, cum Ecclesiastica libertas sæculari potentia miserabiliter oppressa iaceret, Patres Concilij diuino Spiritu, cum alia multa Regem Carolum de officio suo admonuerunt, tùm hæc etiam decreuerunt, vt habetur tom. 3. Conciliorum edit. nouæ Coloniensis.

In cap. 53. decernunt, vt pro Canonicorum opportuna habitatione claustra siue Collegia erigantur. Et additur: *Qui verò Episcoporum, loci conuenientiam aut facultatem non habuerit, vt hoc perficere & ordinare possit, Princeps secundum Constitutionem Domini Imperatoris Ludouici annuat, id est, si vicina Episcopis terra, de eadem Ecclesia esse reperta fuerit, & ab alio possidetur, Ecclesiæ Rectori, ad claustra Clericorum, vel aliâ quælibet Ecclesiæ commoda facienda reddatur. Si autem de fisco fuerit, regia liberalitas eandem terram ad seruorum Dei habitacula construenda largiri dignetur. Si autem de alia casa Dei, aut de cuiuslibet proprio fuerit, ex conuenientia commutandi licentia tribuatur; & si paupertas loci ad ædificandas domos necessarias non suffecerit, eos ad adiutorium ædificandi, potestas regia cogat, qui res de eadem Ecclesia in beneficijs retinent.* Ecce quantam libertatem esse voluerint Patres construendi opportuna Ecclesijs ædificia.

In

In capite 61. hæc statuunt: *Vt peruasores rerum Ecclesiasticarum, qui easdem res, vel contra authoritatem non solum retinere, verum & crudeliter depopulari noscantur, quidam etiam & facultates Ecclesiæ in diuersa collaboratione & reditibus eas expoliant, sed & pauperes, atq; vicinos, & circummanentes immisericorditer expoliant, deuastant, & opprimunt, vt rapaces, qui secundum Apostolum à regno Dei excluduntur, ex criminali & publico peccato publica pœnitentia satisfaciant, &c. Et contra leges est, si quis quod venerabilibus locis relinquitur, praua voluntatis studijs, suis tentauerit compendijs retinere. Quapropter secundum statuta Canonum, ab omni Ecclesiastica communione, vt sacrilegus debet arceri, donec studeat digna satisfactione, quod admisit, corrigere.*

Ibidem cap. 63. ita statuitur: *Vt secundum Canonicam authoritatem & constitutionem Domini Imperatoris Ludouici, de agro Ecclesiastico, & manso, ac mancipijs, quæ ipse suis capitulis constituit, vel si quilibet pro loco sepulturæ, aliquid largitus Ecclesiæ fuerit, neq; de decimis & oblationibus fidelium cuiquam Presbyteros aliquem censum persoluere cogat, nec quisquam cuiuslibet ordinis vel dignitatis ex inde quicquam subtrahat, aut redhibitionem quamcunq; exigat temporalem. Quod si fecerit, communione vsq; ad satisfactionem priuetur, & regia potestate hoc emendare legaliter cogatur.*

Et inferius hæc inter alia speciatim ad ipsum Regem Carolum à Patribus eiusdem Concilij directa sunt. Capite 81. *Vt Ius Ecclesiasticum, & legem Canonicam nobis ita conseruetis, sicut antecessores vestri, qui hoc bene & rationabiliter, ita quod sciri poterit, & Deus vobis posse dederit, nostris Prædecessoribus conseruauerunt.*

Et cap. 84. *Vt præcepta illicita de rebus Ecclesiæ mihi commissæ* (videntur dici nomine Hincmari Episcopi Rhemensis) *à vobis facta rescindantur, & vt de cætero ne fiant caueatis.*

Et cap. 85. *Vt ab Ecclesia mihi commissa indebitas consuetudines, seu iniustas exactiones, de cætero non exactetis, sed sic eas conseruetis, sicut tempore aui & Patris vestri, conseruatæ fuerunt.*

Et cap. 86. *Vt contra depradatores & oppressores Ecclesiarum nostrarum, & rerum ad eas pertinentium, defensionem secundum ministerium vestrum, quantum posse dederit Deus, exhibeatis.*

Neq; verò obstat, quod pleraq; Concilij Meldensis statuta à Carolo Rege acceptata non sunt, eo quòd, vt sub finem librorum Capitularium dicitur, *factione quorundam motus est animus ipsius Regis contra Episcopos.* Non enim sinister Regis affectus eneruare potuit Episcopalem authoritatem, & vigorem, quo in præfatione eius Concilij palam edixerant: *Consilium*, inquiunt, *Dei, iuxta Pauli vocem adnuntiamus, & mundos nos à sanguine audientium exhibemus. Indeq; non obedientibus, quam non optamus, iram ac indignationem ac tribulationem, sicut idem sanctus Apostolus docuerat, denuntiamus: omni autem obedienti, ac operanti bonum, ac perseueranti in bono, Christi Dei nostri voce promittimus, quam & deposcimus gloriam, & incorruptionem, & vitam æternam in secula seculorum, Amen.* Quòd verò hoc istorum Patrum vaticinium immorigeris denuntiatum, incassum non ceciderit, patebit ex ijs, quæ dicentur libro 2. cap. 14. Vbi plura ex hoc Concilio referemus, & simul infortunatos Regis & Regni illius casus, vtiq; ex Ecclesiastica libertate violata, & contemptis sacrorum Antistitum admonitionibus, subsequutos referemus.

Ne verò nimis diu in singulis immoremur, sub Annum Christi 780. Adrianus Papa I. diligenter cauit, ne Clericus nisi in suo foro, hoc est, coram Episcopo iudicaretur. Sic enim refert Gratianus cap. 48. causa 11. q. 1. *Clericus siue Laicus, si crimine aut lite pulsatus fuerit, non alibi, quàm in foro*

ro

ro suo prouocatus audiatur. Et rursum cap. sequenti: *In Clericorum causa, huiusmodi forma seruetur, ne quenquam eorum sententia à non suo Iudice dicta constringat.* Hactenus Adrianus.

CAPVT IX.

A TEMPORE CAROLI MAGNI RETRO, VSQVE AD ÆTATEM S. AVGVSTINI, IVS ECCLESIASTICÆ LIBERTATIS semper in Ecclesia viguisse.

SVb Annum Domini octingentesimum Carolus Magnus legem statuit, quæ refertur causa 11. q. 1. can. 37. *Volumus atq; præcipimus, vt omnes ditioni nostræ, Deo auxiliante, subiecti, tam Romani, quam Franci, Alemanni, Bauari, Burgundiones, Saxones, Thuringi, Frisones, Galli, Brittones, Longobardi, Guascones, Beneuentani, Ghoti, Hispani, cæteriq; nobis subiecti, omnes quocunq; videantur legis vinculo constricti, vel consuetudinario more connexi, hanc sententiam, quam ex sexto decimo Theodosij Imperatoris libro, capitulo videlicet vndecimo, ad interrogata Ablauij Ducis* (nos infra cap. 14. ex Codice Theodosiano integrũ recitamus) *illi, & omnibus rescriptam sumpsimus, & inter nostra capitula, pro lege tenendam, consultu omnium fidelium nostrorum, tam Clericorum, quam & Laicorum, posuimus, lege cuncti perpetua teneant: id est, quicunq; litem habens, siue possessor, siue petitor fuerit, vel in initio litis, vel decursis temporum curriculis, siue cum negotium peroratur, siue cum iam cœperit promi sententia, iudicium elegerit sacrosanctæ sedis antistitis; illico sine aliqua dubitatione, etiam si alia pars refragatur, ad Episcoporum iudicium, cum sermone litigantium dirigatur.*

Exstat eadem hæc lex integra in capitularibus Francorum lib. 6. cap. 281. quam recitat etiam Illustrissimus Car-

dinalis Baronius tom. 9. Anno Christi 801. vbi sub finem hæc addit: *Ista sunt quæ ex Theodosio Carolus Imperator ab Imperatore mutuatus, pius ex pio, iustissimus à iustissimo, vtroq; Christianæ religionis decore maximo & ornamento, siue virtutem militarem spectes in eis, siue cultum fidei orthodoxæ, vel erga subditos sibi populos regimen probatissimum. Hæc audiant & erubescant illi, qui his penitus aduersarias leges statuunt, & contraria edicta proponunt, timoribus exagitantes populos, nouis adinuentionibus inhibentes, quacunq; occasione prætensa, via indirecta procurant, ne Laici ipsi attingant limen Ecclesiastici fori. Timeo, timeo istis, nequando, si ista facere perseuerant (quod absit) Deus vindex tandem exurgens, virga furoris ferrea, secundum illud Dauidicum, tanquam vas figuli confringat eos. Vnde & ob imminens, quod astat, periculum, æquè cum eodem ex alto corde vociferor: Nunc Reges intelligite, & erudimini, qui iudicatis terram; & exemplo discite Caroli, ex obedientia & obseruantia erga Apostolicam sedem, regna & Imperia propagare, atque firmiter stabilire.* Ita Baronius Cardinalis.

Ne quis verò asserere ausit, Carolum Magnum propria nihilominus autoritate facinorosos Clericos suo subegisse iudicio, ecce quid in capitularibus ipsius Caroli lib. 5. ca. 33. legatur, ab ipsomet Rege, Patribus Concilij habiti in villa Theodonis, in hæc verba propositum, vt refert etiam Cardinalis Baronius tom. 9. Anno 806. n. 28. *Et hoc vobiscum,* inquit Carolus Magnus, *magno studio pertractandum est, quid de illis Presbyteris criminosis, vnde approbatio non est, & semper negant, faciendum sit. Nam hoc sæpissimè à nobis, & progenitoribus, atq; antecessoribus nostris ventilatum est, sed non ad liquidum hactenus definitum. Vnde ad consultandum Patrem nostrum Leonem Papam sacerdotes nostros mittimus, & quicquid ab eis, vel à suis perceperimus, vobis vna cum illis, quos mittimus, renuntiare non tardabimus. Vos interim vicissim tractate atten-*

tius

tius, quid ex his vobiscum constituamus, vna cum prædicti sancti Patris institutionibus; vt murmur cesset populi, & nos his satisfacientes, illæsi, Domino auxiliante, ab vtrisq; maneamus. Optimum planè consilium, nec aliud vitandi criminis medium, nisi absque autoritate Episcoporum, ac præsertim Romani Pontificis nihil in his attentare.

Sed vide, quam non irritum fuerit sapienter hoc à Rege tentatum remediũ. Sic enim mox eodem libro cap. 34. subiungitur: *Omnibus vobis visu aut auditu notum esse, non dubitamus, quòd sæpissimè suadente antiquo hoste, sacerdotibus crimina diuersa obijciantur; sed quoniam qualiter ex eis, ab his rationabilis examinatio & satisfactio fiat, licet tempore bonæ memoriæ Domini genitoris nostri Pipini, siue priscis temporibus, à sanctis Patribus, & reliquis bonæ deuotionis hominibus sæpissimè ventilatũm fuerit: nos tamen pleniter & ad liquidum definitum reperire minimè quiuimus. Nostris quippe temporibus, id ipsum à sanctis Episcopis, & reliquis sacerdotibus, & cæteris Ecclesiasticæ dignitatis ministris nostris in Regnis, seu in alijs Deo degentibus: nobisq; vna cum eis agentibus, sæpissimè propter multas & nimias reclamationes, quæ ex hoc ad nos ex diuersis partibus venerunt, ventilatum est. Sed qualiter consultu Domini, & Patris nostri Leonis Apostolici, cæterorumq; Romanæ Ecclesiæ Episcoporum, & reliquorum Sacerdotum, seu orientalium & græcorum Patriarcharum, & multorum sanctorum Episcoporum, & Sacerdotum, necnon & nostrorum Episcoporum, omniumq; cæterorum sacerdotum ac Leuitarum authoritate & consensu, atq; reliquorum fidelium, & cunctorum Consiliariorum nostrorum consultu definitum est, vobis omnibus vtriusq; ordinis ministris scire volumus.*

Statutum est namq; ratione, & necessitate, & auctoritate prædicta, consultu omnium; vt quotiescunq; cuiquam Sacerdoti crimen imponitur, si ipse accusator talis fuerit, vt recipi debeat (quia quales ad accusationem sacerdotum admitti debeant, in Canonibus pleni-

pleniter expreſſum eſt.) Si autem, vt dictum eſt, ille accuſator, qui Canonicè eſt recipiendus, eum cum legitimo numero verorum & bonorum teſtium approbare in conſpectu Epiſcoporum poterit, tunc Canonicè diiudicetur; & ſi culpabilis inuentus fuerit, Canonicè damnetur.

Si verò eum ſupradicto prætextu approbare ipſe accuſator minimè poterit; & hoc Canonicè definiatur. Ipſe ergo ſacerdos, ſi ſuſpicioſus, aut incredibilis ſuo Epiſcopo, aut reliquis ſuis Conſacerdotibus, ſiue bonis & iuſtis de ſuo populo, vel de ſua plebe hominibus fuerit: ne in crimine, aut in prædicta ſuſpicione remaneat, tunc tribus, aut quinque, vel ſeptem bonis ac vicinis ſacerdotibus, exemplo Leonis Papæ, vel eò amplius, ſi ſuo Epiſcopo viſum fuerit, aut neceſſe propter tumultum populi id eſſe proſpexerit; & cum aliis bonis & iuſtis hominibus ſe ſacramento coram populo, ſuper quatuor Euangelia dato, purgatum Eccleſiæ reddat. Si quis autem ſcire deſiderat, quales teſtes ad accuſationem ſacerdotum recipi debeant, & quicquid de accuſatore faciendum ſit, pleniter in Canonibus reperire poterit. Hucuſque, inquit Cardinalis Baronius, Caroli Conſtitutio in Epiſcoporum Concilio comprobata, ex ſententia Leonis Romani Pontificis confirmata.

Sanè quidem quantopere idem Imperator Romanam coluerit ſedem, quamq; nullum ipſe in Clericos ius ſibi vſurpauerit, ex hac eius lege pateſcit, quam idem Cardinalis Baronius eodem anno recitat: *In memoriam Beati Petri Apoſtoli honoremus ſanctam Romanam, & Apoſtolicam ſedem, vt quæ nobis ſacerdotalis eſt mater dignitatis, eſſe debeat Eccleſiaſticæ magiſtra rationis. Quare ſeruanda eſt cum manſuetudine humilitas, vt licet vix ferendum ab illa ſancta ſede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus. Si verò (quod non decet) quilibet, ſiue ſit Presbyter, ſiue Diaconus, aliquam perturbationem machinando, & noſtro miniſterio inſidiando, redarguatur falſam ab Apoſtolica ſede detuliſſe epiſtolam, vel aliud aliquid,*

quod

quod inde non venerit, salua fide, & integra circa Apostolicum humilitate, penes Episcopum sit potestas, vtrum eum in carcerem, aut aliam detrudat custodiam, vsquequo per epistolam, aut per idoneos suæ partis legatos Apostolicam interpellet sublimitatem; vt potissimum tam sancta legatione dignetur decernere, quid de talibus iusto ordine statuat lex Romana definire, vt & is corrigatur, & cæteris modus imponatur. Refertur hoc idem capitulum dist.19.cap.3.& recitatum apparet in Concilio Triburiensi cap. 30.

Addit verò idem illustrissimus Annalium scriptor hanc ad Lectorem apostrophen: *Vidisti, lector, Caroli Magni erga sedem Apostolicam reuerentiam, animiq́; submissionem erga Romanum Pontificem, omnibus Christianis Principibus positam in exemplum, vtpote potentissimi atq; prudentissimi Principis, cui idcirco dederit Deus, subijcere sibi Reges & populos, cum nouerit ille se subijcere propter Christũ successori hominis Piscatoris. Considerasti pariter, quàm modestè agat de cognitione Apostolicarum literarum, vt nolit ipse, nec aliquis ex suis prouinciarum præsidibus, eas, an veræ sint, vel falsæ, cognoscere & perscrutari, etiamsi de læsa maiestate causa tractetur, sed totum iudicium vult per Episcopum agitari, & eius sententiam exspectari. Ista cum egit, & adeò se legibus Ecclesiasticis obsequentem exhibuit, bene consuluit regno Francorum, vt Deo protegente, licet ciuilibus & externis bellis diu multumq́; fuerit fatigatum, permanens semper fuerit, liberumq́; à gente Sarracenorum, longe lateq́; vbique locorum terrarum orbis dominantium, atq; semper diuino auxilio fuerit integrum feliciter propagatum ad posteros.*

Sed nec hoc eiusdem Caroli Magni rescriptum in postremis habendum est, quod ad Pipinum Filium in Italia regnantem pro Ecclesiastica Immunitate datum ex Sigonio ad annum 802. recitat Cardinalis Baronius loco citato his verbis: *Carolus Serenissimus Augustus, à Deo coronatus,*

M *Magnus,*

Magnus, pacificus Imperator, Romanorum gubernans Imperium, ac per misericordiam Dei Rex Francorum & Longobardorum, dilectissimo filio suo Pipino, glorioso Regi, sempiternam in Domino salutem. Peruenit ad aures clementiæ nostræ, quòd aliqui Duces, eorumq; iuniores Castaldij, Vicarij, Centenarij, Venatores, & cæteri per singula territoria habitantes, vel discurrentes mansionaticos & par * * *accipiunt non solum à liberis hominibus, sed etiã ab Ecclesijs Dei, monasterijs videlicet virorum ac puellarum, & Xenodochijs, atq; per diuersas plebes, insuper seruientes Ecclesiarum Dei in eorum opera, id est, in vineis, campis seu pratis, necnon & in eorum ædificijs illos faciunt operari, sed & carnaticũ & vinum contra omnem iustitiam ab eis exactare non cessant: & multas patiuntur oppressiones ipsi Ecclesiæ Dei seruientes. Ideò carissime fili, has literas ad tuam dilectionem dreximus, vt hoc anno, hanc causam diligenter & prudenter inquirere facias; & si veritas est, quòd ita factum sit, deinceps omnimodis emendare & corrigere studeas; quatenus in diebus nostris citius pax Ecclesiarum Dei, siue illarum seruientium in omnibus conseruetur; & vt merces copiosa nobis, & tibi exinde iugiter accrescat, &c.* Ita Carolus.

Mirabile prorsus est etiam, quod in hoc genere pro Ecclesiastica libertate, speciatim vt Clerici, ac præcipuè Episcopi immunes sint à militia, neue ex bonis Ecclesiæ Laicorum vllus sibi quicquam vsurpet, ipsosmet Francos à Carolo Rege Magno, in Concilio Wormatiensi postulasse & impetrasse legimus; idque ex capitularibus Francorum lib. 6. cap. 285. & 286. idem Cardinalis Baronius ad annum Christi 770. in hæc verba refert: *Flexis omnes precamur poplitibus maiestatem vestram, vt Episcopi deinceps, sicut hactenus, non vexentur hostilibus: sed quando vos nosq; in hostem pergimus, ipsi proprijs resideant in parochijs, Deoq; famulari studeant, & earum sacrosancta mysteria canonicè & Deo placitè peragere satagant, atq; pro vobis, cunctoq; exercitu vestro, vna cum omnibus*

sibi

sibi commissis orare viriliter, Missasq; decantare, Litanias, atque eleemosynas facere decertent. Quosdam enim ex eis ab hostibus, & prælijs vulneratos vidimus, & quosdam perijsse cognouimus. Hæc verò valde periculosa, & oppido sunt cauenda: quæ idcirco suggerimus, ne pro talibus nos & vos simul pereamus. Nouit Dominus, quando eos in talibus videmus, terror apprehendit nos, & quidam ex nostris, timore perterriti, propter hoc fugere, & inimicis terga vertere solent. Plures enim potestis habere præliatores, si illi proprijs resident in parochijs, quam si vobiscum pergunt: quoniam illi qui eos præuident, omnes tunc pugnabunt, quod modò nequaquam faciunt, sed eos tantummodò custodiunt. Nam sine dubio potius nobis vobisq; proficere possunt, si remanserint, quam si in hostem, vel ad pugnam perrexerint: quia tunc eorum precibus adiuuamur, & modò eorum pressuris grauamur. Quando verò Moyses expansis ad cælum manibus orabat, vincebat Israël, & quando à precibus cessabat, & manus eius grauabantur, priusquam sustentatæ fierent, & ipse precibus insisteret, vincebatur, & terga vertebat.

Talibus ergo, & multis alijs exemplis fulti, quorum prolixitatem vitantes, modò non dicimus, quia sapienti semel dicta sufficiunt prædicta: obnixè omnes precamur, & vt concedantur, rogamus, quia nullatenus volumus assentire, vt nobiscum ad talia pergant, nisi duo aut tres bene docti, electione videlicet cæterorum, ad benedictionem dandam, & periclitantium reconciliationem faciendam, ne nos & vos simul cum pluribus pereamus, sed eorum precibus (vt iam memoratum est) fulciamur. Quam formam & de Sacerdotibus tenere optamus, id est, vt nec illi in hostem nisi benedicti, & ipsi electione atque permissione propriorum Episcoporum, pergant scilicet; *qui tamen tales sint, de quorum scientia, & vita, & conuersatione omnes securi esse possimus.*

Illud tamen vobis & omnibus scire cupimus, quod non propterea hæc petimus, vt eorum res, aut aliquid ex eorum pecunijs, nisi

ipsis aliquid sponte nobis dare placuerit, aut eorum Ecclesias viduari cupiamus; sed magis eis (si Dominus posse dederit) augere desideramus, vt & ipsi, & vos, & nos saluiores simus, ac Deo potius, ipso adminiculante, placere mereamur. Scimus enim res Ecclesiæ, Deo esse sacratas, scimus eas oblationes esse fidelium, & pretia peccatorum: quapropter si quis eas ab Ecclesijs, quibus à fidelibus collatæ, Deoq; sacratæ sunt, aufert, procul dubio sacrilegium committit. cæcus enim est, qui ista non videt. Quisquis ergo nostrum suas res Ecclesiæ tradit, Domino Deo illas offert, atq; dedicat, suisq; sanctis, & non alteri, dicendo talia, & agendo ita:

Facit enim scripturam de ipsis rebus, quas Deo dare desiderat, & ipsam scripturam coram altari, aut supra, tenet in manu, dicens eiusmodi loci Sacerdotibus, atq; Custodibus: offero Deo, atq; dedico omnes res, quæ in hac chartula tenentur insertæ, pro remissione peccatorum meorum, ac parentum, & filiorum, aut pro quocunq; illas Deo deliberare voluerit, ad seruiendum ex his Deo in sacrificijs, Missarumq; solennijs, orationibus, luminarijs, pauperum ac clericorum alimonijs, & cæteris diuinis cultibus, atq; illius Ecclesiæ vtilitatibus. Si quis autem eas inde (quod fieri nullatenus credo) abstulerit, sub pæna sacrilegij ex hoc Domino Deo, cui eas offero atq; dedico, strictißimas reddat rationes. Ponit etiam in ea alias coniurationes, quas enumerare longum est. Nam qui eas inde postea aufert, quid agit nisi sacrilegium? Si ergo amico quippiam capere furtū est; Ecclesiam verò fraudari, vel auferri indubitanter sacrilegium est. Vnde & in sacris Canonibus spiritu Dei conditis habetur ita: Si quis oblationes Ecclesiæ, extra Ecclesiā accipere, vel dare voluerit, præter Episcopi cōscientiam, vel eius cui huiuscemodi sunt officia commissa, nec cum eius voluerit agere consilio, Anathema sit.

Absit enim vt rerum Ecclesiarum cupiditate vel ablatione sacrilegi, aut anathema efficiamur, aut talibus laqueis vnquam deuinciamur: quoniam scimus, anathematos homines, vel sacrilegos, non solum infames, & à consortio fidelium, priusquam hæc per publicam

blicam satisfactionem, Ecclesiæ, & Episcoporum reconciliationem, manusq́; impositionem emendent; sed etiam à Regno Dei extorres fieri, si in talibus defecerint, non dubitamus. Vt ergo omnis suspicio à nobis, cunctis sacerdotibus, & omnibus Christi & sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, funditus auferatur; profitemur omnes, stipulam dextris in manibus tenentes, eamq́; proprijs è manibus abijcientes, coram Deo, & Angelis eius, ac vobis cunctisq́; Sacerdotibus, & populis circumstantibus, nec talia facere, nec facere volentibus consentire, sed magis Deo auxiliante resistere.

Et hoc vobis, omnibusq́; fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostris notum esse cupimus, quod cũ his qui absq; voluntate, aut consensu, vel datione rectoris illius Ecclesiæ, cui ipsæ res iustè esse debentur, & maximè proprij Episcopi, res Ecclesiæ Regibus petere, aut retentare, vel auferre, aut inuadere, vel vastare præsumpserint; nec in hostẽ, nec ad pugnam ire, nec cibum sumere, nec ad Ecclesiam, vel ad palatium, aut in itinere pergere, nec etiam nostros homines cum eorum hominibus, aut caballos vel reliqua pecora nostra, cum eorum pecoribus aut ad pastum ire, aut simul habitare vel manere, nec vllam participationem cum eis, nisi pro emendatione, ante publicam emendationem, & Ecclesiæ satisfactionem, vnquam scienter, aut libenter habere debeamus; ne pro eorum iniquitatibus atque flagitijs, vna cum eis nos, & nostri (quod absit) pereamus. Scimus enim, quia perit iustus pro impio. Tales verò à nobis, si nos fideles habere vultis, segregate, & in ergastulum sub publica pœnitentia redigite, & postulata concedite. Vt ergo hæc omnia à vobis & à nobis, siue à successoribus vestris & nostris, futuris temporibus, absque vlla dissimulatione conseruentur, scriptis Ecclesiasticis inserere iubete, & inter vestra capitula interpolare præcipite. Hactenus petitio populi. Sequitur ibidem concessio Caroli istis verbis.

Omnibus notum esse volumus, quia non solum ea, quæ super Episcoporum & presbyterorum hostium vexationibus & precibus, pro nobis & vobis fieri cogitastis, concedere optamus; sed quidquid pro

ſanctæ Dei Eccleſiæ, & Sacerdotum, ſiue totius populi & veſtra vtilitate inueneritis, concedere paratiſſimi ſumus: & modò iſta, ſicut petiſtis, concedimus. Et quando vita comite, Deo auxiliante, ad generale placitum venerimus, ſicut petiſtis, conſultu omnium fidelium noſtrorum, ſcriptis firmare noſtris, noſtrorumq́, atq́ futuris temporibus irrefragabiliter manenda firmiſſimè, Domino adminiculante, cupimus. Modo ea quæ generalia ſunt, & omnibus conueniunt ordinibus, ſtatuere, & cunctis ſanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrisq́ fidelibus, ob omnipotentis amorem, & recordationem, tradere parati ſumus: Et ad proximum ſynodalem noſtrum conuentum, ac generale placitum, vbi plures Epiſcopi & Comites conuenerint, iſta ſicut poſtulaſtis, firmabimus. Hactenus reſponſio & conceſſio Caroli Magni.

Ne quis verò dicat, his ipſis decretis & teſtimonijs Caroli Magni noſtram cauſam euerti, cum vel ex ijs conſtet Carolum Epiſcopos in vnum coëgiſſe, concilia conuocaſſe & celebraſſe, adeoq; Eccleſiaſtica negotia tractaſſe, animaduertendum eſt, eum nihil in his ſine autoritate Epiſcoporum, ac præcipuè Romani Pontificis actitaſſe; quod cum ex alijs, tum ex eodem libro capitularium capite mox ſequenti manifeſtum eſt, quo expreſſè in hæc verba decernitur: *Auctoritas Eccleſiaſtica atq́ Canonica docet, non debere abſq́ ſententia Romani Pontificis Concilia celebrari. Quibus intelligas*, inquit loco citato Cardinalis Baronius, *quotquot ſub iiſdem Francorum Regibus legiſti, celebrata fuiſſe eorum ordinatione Concilia, eadem non niſi aſſenſu Romanorum Pontificum habita eſſe, quod & aliàs pluribus oſtendimus.* Plura de Carolo Magno rebusq; Francicis dicentur libro 2. cap. 14.

In Concilio Bauarico apud Dingoluingam, 22. Anno Taſſilonis Ducis Bauariæ celebrato, tempore Hadriani Papæ I. Anno 772. quod nuper opera ac ſtudio CCll. VV. Georgij Lautherij, Præpoſiti ad D. Virginem Monachij, Marci

Marci Velſeri Duumviri Auguſtani, Henrici Caniſij V. I. Doctoris, & Ingolſtadij S S. Canonum Profeſſoris, publici iuris factum exſtat tom. 3. Concil. nouæ edit. Colon. inter alia ita ſtatuitur: *Vt ſi qui de nobili genere, de hæreditate ſua dare* (vellent) *ad ſanctuarium Dei, in ſua poteſtate eſſet, nemo prohibuiſſet, nec mutaret in perpetuum.*

Sub Annum Domini D. C. XIII. vt habet ſumma Conciliorum Caranzæ. ſeu D. X C. vt habet recens editio Conciliorum edita Coloniæ, Concilium Antiſiodorenſe Canone 35. hæc ſtatuit; *Non licet Presbytero, aut Diacono, vel cuiquam Clericorum de qualibet cauſa conclericum ſuum, ad iudicem ſæcularem trahere.*

Sub eundem annum D. X C. Gregorius Magnus Papa multa in hanc quoque ſententiam conſtituit, vt videre eſt paſſim in eius Epiſtolis, & refertur cauſa 11. q. 1. atque vt cæteros præteream, optimus eſt Canon 39. ex libro nono, Epiſtola 32. vbi ſic ad Siciliæ defenſorem ſcribit. *Peruenit ad nos, quòd ſi quis contra Clericos quoſlibet cauſam habeat, deſpectis eorum Epiſcopis, eoſdem Clericos in tuo facias iudicio exhiberi. Quod ſi ita eſt, quia valde conſtat eſſe incongruum: hac tibi authoritate præcipimus, vt denuo hoc facere non præſumas, ſed ſi quis contra quemlibet Clericum cauſam habuerit, Epiſcopum ipſius adeat, vt aut ipſe cognoſcat, aut certè ab eo Iudices deputentur: aut ſi forte ad arbitros eundum eſt, partes ad eligendos iudices ab ipſo executio deputata compellat. Si quis verò Clericus vel Laicus, contra Epiſcopum cauſam habuerit, tunc te interponere debes, vt inter eos aut ipſe cognoſcas,* (ex commiſſione videlicet Pontificis) *aut certè te admonente, ſibi iudices eligant. Nam ſi ſua vnicuique Epiſcopo iuriſdictio non ſeruatur, quid aliud agitur, niſi vt per nos, per quos Eccleſiaſticus cuſtodiri debuit ordo, confundatur?* Similia habentur ex eodem Greg. Can. 38. vbi Nouellam Iuſtiniani Imp. citat capite præcedenti deſcriptã, item Can. 41.

ad

ad Mauritium Imp. ſcribens, dignitatem ſacerdotalis ordinis nulli Laico ſubiecti, fusè perſequitur, quæ iam paulo ſuperius ex Nicolao Papa primo recitauimus.

Sub annum Domini D. XXX. Iuſtinianus Imperator in ciuilibus itidem cauſis, clericos ſtatuit eſſe exemptos, de quo capite 7.

Sub annum D. XXVII. Attalaricus Ghotorum Rex, quanquam Arrianus, ſuam clericis immunitatem, noluit penitus eſſe derogatam. Extat de hac re eiuſdem reſcriptum, apud Cardinalem Baronium tom. 7. annalium, eodem anno, n. 64. quod tale eſt. *Clero Eccleſiæ Romanæ Attalaricus Rex. Tanto diuinitati plura debemus, quanto à cæteris mortalibus maiora ſuſcepimus: nam quid ſimile rependet Deo, qui potitur imperio? Sed licet pro tanto munere nihil compenſari poßit idoneè: ipſi tamen gratia redditur, dum in ſeruientibus honoratur. Itaq; flebili aditione cauſamini, hoc fuiſſe longæ conſuetudinis inſtitutum, vt ſi quis ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſeruientem, aliqua crederet actione pulſandum, ad ſupradictæ ciuitatis Antiſtitem, negotium ſuum dicturus occurreret, ne clerus veſter forenſibus litibus profanatus, negotijs potius ſæcularibus occupetur: addentes Diaconum quoq; veſtrum ad contumeliam Religionis, tanta executionis acerbitate compulſum, vt Saius eum propriæ cuſtodiæ traderet mancipandum: Presbyterum quin etiam Romanæ Eccleſiæ, pro leuibus cauſis aſſeritis, criminaliter impetitum. Quod nobis pro ingenita reuerentia, quam noſtro debemus auctori, diſplicuiſſe profitemur, vt qui pridem ſacris ſeruire meruerant miniſterijs, conuentionibus irreuerenter nefarijs expoſiti iniurijs ſubiacerent. Sed aliorum plectenda ſubreptio nobis obtulit pleniſſimæ laudis euentum, vt cauſa contigerit præſtandi, quæ nos cæleſtibus commendarent auxilijs.*

Atque ideo conſiderantes Apoſtolicæ ſedis honorem, & conſulentes deſiderijs ſupplicantium, præſenti authoritate moderato ordine definimus, vt ſi quiſpiam ad Romanum Clerum aliquem pertinentem

nentem in qualibet causâ probabili crediderit actione pulsandum, ad beatissimi Papæ iudicium prius conueniat audiendus; vt aut ipse inter vtrosque more suæ sanctitatis agnoscat, aut causam deleget æquitatis studio terminandam. Et si forte (quod credi nefas est) competens desiderium fuerit petitoris elusum; tunc ad sæcularia fora iurgaturus occurrat, quando suas petitiones probauerit à supradictæ sedis præsule fuisse contemptas.

Quod si quis extiterit tam improbus litigator, atque omnium fuerit iudicio sacrilegâ mente damnatus, qui reuerentiam tantæ sedi exhibere contemnat, & aliquid de nostris affatibus crediderit promerendum; ante alicuius conuentionis effectum decem librarum auri dispendio feriatur; quæ à Palatinis sacrarum largitionum protinus exacta, per manus sæpe memorati Antistitis pauperibus erogentur: carensque impetratis, negotij quoque sui amißione mulctetur. Dignus est enim duplici pœna percelli, qui & diuinam reuerentiam, & nostra iussa temerarit. Sed interim vos, quos iudicia nostra venerantur, Ecclesiasticis viuite institutis. Magnum scelus est crimen admittere, quos nec conuersationem decet habere sæcularem. Profeßio vestra vita cœlestis est. Nolite ad mortalium vota humilia, & errores descendere. Mundani coërceantur humano iure, vos sanctis moribus obedite. Ita Rex.

Sub annum D. II. in Epistola ad Synodum Romanam tertiam, quæ habetur tom. 2. Conciliorum editionis nouæ, profitetur Rex Theodoricus itidem Arrianus, Ecclesiastica negotia ad se nil pertinere: *quia non nostrum*, inquit, *iudicauimus, de Ecclesiasticis aliquid censeri negotijs; ideoque vos de diuersis prouincijs fecimus euocare, &c.*

Sub idem tempus referri potest canon 32. Concilij Agathensis, vt refertur causa 11. q. 1. qui sic habet: *Clericum nullus præsumat apud sæcularem iudicem, Episcopo non permittente, pulsare: sed si pulsatus fuerit, non respondeat: nec audeat criminale negotium, in sæculari iudicio proponere.* Paulo aliter reci-

tatur hic canon apud Iuonem parte 6. cap. 357. *Clericus nequenquam præsumat apud sæcularem iudicem, Episcopo non permittente, pulsare, &c.*

Sub annum CCCC. XCII. sanctus Gelasius Papa I. Epistola ad Anastasium Imperatorem, quæ est octaua in 2. tomo Conciliorum, Coloniensis editionis nouæ, ita scripsit: *Duo quippe sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas: In quibus tanto grauius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum, in diuino reddituri sunt examine rationem. Nosti enim, fili clementissime, quod licet præsideas humano generi dignitate, rerum tamen præsulibus diuinarum deuotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis expetis, inque sumendis cælestibus sacramentis, eisque (vt competit) disponendis, subdi te debere cognoscis, religionis ordine potius, quam præesse nosti. Itaque inter hæc, & illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem. Si enim quantum ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ, cognoscentes, imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis Antistites*, (nam & ciuilibus legibus, si Ecclesiasticæ libertati non aduersentur, vtitur Ecclesia, vt supra cap. 8. etiam ex Nicolao I. vidimus) *ne vel in rebus mundanis exclusæ videantur obuiare sententiæ; quo (rogo) te decet affectu eis obedire, qui prærogandis venerabilibus sunt attributi mysterijs? Proinde sicut non leue discrimen incumbit Pontificibus siluisse pro diuinitatis cultu, quod congruit, ita his (quod absit) non mediocre periculum est, qui cum parere debeant, despiciunt. Et si cunctis generaliter sacerdotibus, rectè diuina tractantibus, fidelium conuenit corda submitti, quanto potius sedis illius præsuli consensus est adhibendus, quem cunctis Sacerdotibus, & diuinitas summa voluit præminere, & subsequens Ecclesiæ generalis iugiter pietas celebrauit? Vbi pietas tua euidenter aduertit, nunquam quolibet penitus humano consilio eleuare se quenquam posse*

illius

illius priuilegio vel confeßioni, quem Christi vox prætulit vniuersis, quem Ecclesia veneranda confessa semper est, & habet deuota Primatem.

In eundem sensum scribit Gelasius ad Episcopos Orientales, vt habetur dist. 96. can. 12. *Nunquam de pontificibus, nisi Ecclesiam iudicasse: non esse humanarum legum, de talibus ferre sententiam, absque Ecclesiæ principaliter constitutis pontificibus, obsequi solere principes Christianos decretis Ecclesiæ, non suam præponere potestatem, Episcopis caput subdere principem solitum, non de eorum capitibus iudicare.*

Sub annum Christi 468. inter Acta Concilij Ephesini recitatur epistola Theodoreti Episcopi Cyri, ad Alexandrum Hieropolitanum scripta, in qua Theodoretus cum à recto tramite malè deuians, Imperatorem Theodosium Iuniorem à se instigatum retulisset, vt ne Catholicos Episcopos contra Nestorium conuentum agere sineret, subiungit, Imperatorem sibi his ipsis verbis respondisse: *Equidem Episcopo imperare non possum.* Vera planè & ingenua Imperatoris confessio.

Anno CCCC.LIII. in Concilio Veneto, can. 9. ita decernitur: *Clerico, nisi ex permissu Episcopi sui, seruorum suorum sæcularia iudicia adire non liceat, sed si fortasse Episcopi sui iudicium cœperit habere suspectum, aut ipsi de proprietate aliqua aduersus ipsum Episcopum fuerit nata contentio, aliorum Episcoporum audientiam, non sæcularium potestatum debebit ambire. Aliter à communione habeatur alienus.*

Concilij Chalcedon. de quo infrà, 8. Canon hic est: *Clerici in Parochijs, Monasterijs, aut Martyrijs constituti, sub potestate sint eius, qui in ea ciuitate est Episcopus secundum traditionem Sanctorum Patrum, neq; per præsumptionem recedant à suo Episcopo. Eos verò qui ausi fuerint rescindere huiusmodi institutionem quocunq; modo, vel si noluerint subiacere proprio Episcopo-*

ſiquidem fuerint Clerici, ſecundum perſonarum ordinationem, ſubiaceant condemnationibus Canonum: Si verò Monachi, ſeu Laici fuerint, communione priuentur.

Ibidem Anno Domini CCCC. L I. in Concilio generali Chalcedonenſi nonus Canon ita habet: *Si quis Clericus aduerſus clericum habet negotium, non deſerat proprium Epiſcopum, & ad ſæcularia procurrat iudicia, ſed prius actio ventiletur apud Epiſcopum propriũ, vel certè conſilio eiuſdem Epiſcopi, apud quos vtræque partes voluerint, iudicium obtinebunt. Si quis autem præter hæc fecerit, canonicis correptionibus ſubiacebit. Quod ſi Clericus habet cauſam aduerſus Epiſcopum proprium, vel aduerſus alterum, apud Synodum prouinciæ iudicetur. Quod ſi aduerſus eiuſdem prouinciæ Metropolitanum, Epiſcopus, vel Clericus habet querelam, petat aut primatem diœceſeos, aut ſedem regiæ vrbis Conſtantinopolitanæ, & apud ipſam iudicetur.*

Sub idem tempus Imperator Martianus, etſi Laicos cum Clerico litem habentes, ad iudicium Epiſcopi ſubeundum cogere non videatur voluiſſe, tamen Epiſcopum eo tempore ordinarium fuiſſe Clericorum iudicem, ſatis indicat. l. 13. de Epiſcopali audientia. *Decernimus*, inquit, *vt quicunque Catholicarum Eccleſiarum, quæ ſub viro religioſo Archiepiſcopo huius almæ vrbis ſunt, reuerendiſſimum œconomum, ſiue de Eccleſiaſticis ſiue de proprijs, & ad ipſum ſolum pertinentibus cauſis, vel quemcunque alterum earundem Eccleſiarum clericum, aliqua voluerit lite pulſare, apud memoratum beatiſſimum Archiepiſcopum cauſam dicat, in negotijs audiendis fidem ac ſynceritatem geminam præbiturum, & Sacerdotis & iudicis. Volentibus tamen actoribus, pateat Epiſcopale iudicium, ac nullus qui huiuſcemodi intendit in ſacroſanctas Eccleſias, vel in prædictos Clericos actionem, ad religioſiſſimum Antiſtitem ducatur inuitus.* D. VIII. *Aprilis. Varari, & Ioanne Coſſ.*

Non

Non contemnenda est etiam Impp. Leonis & Anthemij lex, quæ habetur in Codice Theodosiano l. 31. *Omnes, qui vbique sunt, vel posthac fuerint orthodoxæ fidei Sacerdotes vel Clerici, cuiuscunq; gradus sint, Monachi quoq; in causis ciuilibus ex nullius penitus maioris, minorisue sententia iudicis commonitoria, ad extranea iudicia pertrahantur, aut prouinciam, aut locum, aut regionem, quam habitant exire cogantur: nullus eorum Ecclesias, vel monasteria propria, quæ religionis intuitu habitant, relinquere miserabili necessitate iubeatur: Sed apud suos Iudices ordinarios (id est, prouinciarum rectores) in quibus locis degunt, Ecclesiarum ministerijs obsecundent, omniumq; contra se agentium excipiant actiones: vt his horis saltem atque temporibus, quibus religiosos viros à turbulenta obseruatione prætorij vacare contigerit, cumq; eos ad tempus petitorum intentio calumniosa laxauerit; ad sua se monasteria, & venerabiles Ecclesias conferentes, sapienti animo, precatione sollicita, faciliusq; de proximo sacrosanctis altaribus obsecundent, in suis laribus, domicilijsq; constituti.*

Et infra. *Priuilegijs sanè singulis, quibuscunq; sacrosanctis Ecclesijs orthodoxæ fidei Xenodochijs, seu ptochijs, tam generaliter quam specialiter attributis, perpetuo obseruandis. Nullis eas, earumq; Sacerdotes aut Clericos (cuiuscunq; gradus sint) aut Monachos, aut ptochijs, aut Xenodochijs orthodoxæ fidei deputatos, extraordinarijs muneribus præcipimus prægrauari. Eas etenim sarcinas oneris, quas plerisq; personis diuersa ratione remittim⁹, imponi beatissimis viris nostro sæculo incōueniens esse iudicamus. Præterea ne cui temeritas sua lucratiua concedatur, & vt impudens calumniantium refrenetur audacia: iubemus, quoties ij, qui sacerdotes seu Clericos, ac Monachos cæterosq; superius designatos, vel in tuæ magnitudinis examine, vel in prouinciali iudicio proposita actione conuenerunt: si causa cognita conuicti fuerint, sine iusta eos causa legitima petitione pulsasse: omnes eis legitimas expensas sumptusq; quos ab exordio cœptæ controuersiæ ipsorum vitio tolerasse eos constiterit,*

stiterit, reddere cogantur: vt hac saltem censura iustissima formidine reuocati, qui improbis assiduè conflictationibus occupantur, adquiescant, iamq́; sopitis clamoribus iurgiorum magistra deinceps necessitate continere se adsuescant.

Sub annum Domini CCCC. XL. S. Leo Papa primus, epistola 96. egregium Ecclesiasticæ exemptionis documentum posteris reliquit, sic enim scribit ad Episcopos & Clerum Thraciæ. *Tanta sæculi potestates, circa Sacerdotalem ordinem reuerentia præualuere, etiam hi, quos sub Imperiali nomine terris diuina potentia praeesse præcepit, vt ius distinguendorum negociorum Episcopis sanctis, iuxta diualia constituta permiserint. Quod cum & iuris antiqui formulis, & illibatis frequentius sit legibus confirmatum, præsenti tamen tempore inuenimus à plerisq; fuisse calcatum. Nam prætermisso sacerdotali iudicio, passim ad examen sæculare transiere.*

Quocirca nobis visum est, vt hanc, & sacræ legis, & nostri ordinis contumeliam, & ad præsens vlcisceretur plena districtio, & obseruandam formulam constitueret in futurum. Censemus itaque, vt quicunq; prætermisso Sacerdote Ecclesiæ suæ, ad disceptationem venerit sæcularium, sacris liminibus expulsus, à cœlesti arceatur altario; neque vllus post hanc definitionem, quæ communi sedit arbitrio, quicquam sibi vltra præscriptum vindicare nitatur, & ita fiet, vt hi qui ante errauere, congrua emendatione se corrigant, & qui sub obseruatione clericali cœlesti probatur seruire officio, ex clero abijciendum, si prætermisso sacerdotum iudicio, sæcularem adierit potestatem.

Quod ideo singulos vniuersosq; volumus agnoscere, vt quod pleno iustitiæ & iuris ordine constitutum est, effectum totius firmitatis in omnibus clericorum negotijs sortiatur. Sanè si Clericus Laicum pulset, prius se audiri ab Episcopis poscat, tum si petitioni suæ Laicum viderit obuiare, ex permissu Episcopi sui in sæculi modera-

tores

tores disceptatione confligat. Leo Episcopus scribit. Victorius Episcopus scribit. Eustachius Episcopus scribit.

In historia Ecclesiastica tripartita lib. 6. cap. 9. Sozomenus inter alia documenta impietatis Iuliani Imp. Apostatæ, hoc inprimis etiam commemorat, quod clericos priuilegijs suis exutos curiæ tradiderit. *Hac itaque faciens,* inquit Sozomenus, *eos qui fuerant à Constantio fugati, propter religionem, reuocauit, & confiscatis patrimonia sua restituit, præcipiens populo, vt nullum læderent Christianum, neq; nolentem sacrificare compellerent; sponte verò accedentes ad aras, prius expiari apud dæmones, purgariq; solitis eorum sacrificijs præparabat. Clericis autem omnia priuilegia, honores, consuetudinesq; subtraxit, & leges positas pro eis soluit, ipsosq; curiæ tradidit. Simul & à virginibus & viduis, quæ pro penuria inter Clericos alebantur, iussit exigi, ea quæ pridem à publico accepisse videbantur. Constantinus enim Imperator disponens res Ecclesiarum, vnicuique ciuitati prospexit, vt clerus sufficientia emolumenta perciperet, & hoc lege firmauit, quod hactenus mortuo Iuliano seruatur. Hanc exactionem aiunt valde fuisse crudelem. Auferebat enim subinde pecunias & ornamenta sacra, templaq; sub Constantino & Constantio fundata destruebantur, datæ ad ædificia pecuniæ rursus exigebantur. Hac occasione Sacerdotes & Clerici & populus Christianus crudeliter vexabatur.* Audis priuilegia, honores, consuetudines Clericorum proprias.

Anno Domini CCC. XCVIII. rescriptum Honorij Imperatoris, quod habetur lege 7. cod. de Episcopali audientia, ita recitat Card. Baronius tom. 5. annal. eodem anno n. 63. *Collatam ab Apostolo iudicandi inter Laicos Episcopis authoritatem, & Constantini legibus confirmatam, nescio qua occasione interceptam, Honorius Imp. restituit, cum ijsdem anni huius Consulibus, ita ad Eutychianum P. P. rescripsit. Si qui ex consensu, apud sacræ legis antistitem litigare voluerint, non vetabuntur, sed*

expe-

experietur eius in ciuili duntaxat negotio more arbitri sponte residentis iudicium. Quod his obesse non poterit, nec debebit, quos ad prædicti cognitoris examen conuentos potius adfuisse, quam sponte venisse constiterit. Dat. VII. Kalend. Aug. Mediolani, Honorio August. quartum, & Eutychiano Coss. Hæc ipse nihil omnino tribuens iuris Episcopis, sed Apostolica authoritate collatum, voluit esse liberum. Non quidem Honorij legibus, sed Apostoli, id sibi vendicat Augustinus, dum nimirum se Christianorum litibus queritur fatigatum. Hactenus Card. Baronius. Sed quia hæc quæ ad S. Augustinum pertinent plura sunt, melius ad sequens caput reseruantur.

CAPVT X.

A TEMPORE S. AVGVSTINI RETRO VSQVE AD TEMPORA CONSTANTINI MAGNI IVS ET INSTITVTVM Ecclesiasticæ libertatis semper in Ecclesia floruisse.

SVB Annum igitur Domini CCC. XC. S. Augustinus palam testatur, se cum Episcopus esset, non solum causas quorumuis fidelium iudicare solitum, sed etiam Apostolicum institutum in ea re secutum se agnoscit; sic enim scribit de opere Monachorum cap. 29. *Dominum Iesum in cuius nomine securus hæc ago, testem inuoco super animam meam, quoniam quantum attinet ad meum commodum, multo mallem per singulos dies certis horis, quantum in bene ordinatis monasterijs constitutum est, aliquid manibus operari, & certas horas habere ad legendum & orandum, aut aliquid de diuinis literis agendum liberas, quam tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati, de negotijs secularibus vel iudicando dirimendis, vel interueniendo præcidendis, quibus nos mole-*

molestijs idem affixit Apostolus, non vtiq; suo, sed eius qui in eo loquebatur arbitrio, &c. Sic itaq; vides non Honorij legibus, sed Apostoli Pauli sancitis decretis eiusmodi iudicio præfectos fuisse Episcopos, inquit Cardinalis Baronius vbi supra: qui mox de eodem Augustino ista.

Rursum verò quod ad S. Augustinum pertinet, de litium ingruentia, & litigantium pertinacia, alibi in Psal. 118. ita queritur. Suis vitiosis & negotiosis cupiditatibus adiuuandis vt occupemur, & eis nostra tempora impendamus, efflagitant, aut certè infirmos premunt, vt causas suas ad nos deferre compellant. Quibus dicere non audemus: Dic homo, quis me constituit iudicem aut diuisorem inter vos? Constituit enim talibus causis Ecclesiasticos Apostolus cognitores, in foro prohibens iurgare Christianos. Ne illis quidem, qui non aliena rapiunt, sed sua cupide repetunt, dicimus: Cauete ab omni cupiditate; constituentes eis ante oculos hominem, cui dictum est: Stulte, hac nocte auferetur à te anima tua, quæ præparasti, cuius erunt? Quia & quando dicimus, non recedunt, nec declinant à nobis, sed instant, vrgent, precantur, tumultuantur, extorquent, vt ipsis potius ad ista quæ diligunt, quam scrutandis Dei mandatis, quæ diligimus, occupemur. O quanto tædio turbarum turbulentarum, & quanto desiderio diuinorum eloquiorum dictum est. Declinate à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei! Ignoscant obedientes Fideles, qui pro suis sæcularibus causis raro nos quærunt, & iudicijs nostris facillimè acquiescunt, nec nos conterunt litigando, sed obtemperando potius consolantur. Certe propter eos, qui & inter se pertinaciter agunt, & quando bonos premunt, nostra iudicata contemnunt, faciuntq; nobis perire tempora rebus eroganda diuinis; certè inquam, propter istos, & nobis liceat exclamare in hac voce corporis Christi. Declinate à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei.

Sed quid de his Possidius? accipe. *Interpellatus ergo beatus Augustinus à Christianis, vel à cuiuscunq; secta hominibus, cau-*

ſas audiebat diligenter ac piè, cuiuſdam ſententiam ante oculos habens, dicentis, ſe malle inter incognitos, quam inter amicos cauſas audire, eo quod de incognitis, pro quo arbitrata æquitate iudicaretur, amicum poſſet aquirere, de amicis verò vnum eſſet, cōtra quem ſententia proferretur, perditurus. Et eas (lites ſcilicet) *aliquando vſque ad horam refectionis, aliquando autem tota die ieiunans, ſemper tamen noſcebat & dirimebat, interdum in eis Chriſtianorum momenta animorum, quantum quiſq; vel in fide boniſq; operibus proficeret, vel ab ijs deficeret; atque compertis rerum opportunitatibus, diuinæ legis veritatem partes docebat, eamq; illis inculcabat; & eos, quo adipiſcerentur vitam æternam, edocebat & admonebat; nil aliud quærens ab ijs, quibus ob hoc vacabat, niſi tantum obedientiam, & deuotionem Chriſtianam, quæ & Deo debetur & hominibus:* Et inferius: *Rogatus quoque à nonnullis in eorum temporalibus cauſis, epiſtolas ad diuerſos dabat: ſed hanc ſuam à melioribus rebus occupationem, tanquam angariam deputabat, &c.*

Hæc ad verbum ex Cardinale Baronio, vbi ſupra deſcripta dedimus, qui addit: *Ac licet Epiſcopi, vt vidimus, cauſas inter Laicos iudicarint, proconſules tamen præfectiq; prouinciarum nullatenus prorſus immiſcebant ſe cauſis Clericorum, licet aliquando pro eiſdem ad Epiſcopos literas ſcriberent commendatitias, vt de Macedonio proconſule in Africa S. Auguſtinus ad ipſum ſcribens epiſtola 54. teſtatur, &c.*

Circa eadem tempora Innocentius Papa I. epiſt. 1. ſiue 2. ad Victricium Rothomagenſem Epiſcopum, ita reſcribit: *Si quæ autem cauſa vel contentiones inter Clericos, vel inter Laicos & Clericos* (ita habet editio Iouerij) *tam ſuperioris gradus, quam etiam inferioris, fuerint exortæ, placuit, vt ſecundum Synodum Nicænam congregatis omnibus eiuſdem Prouinciæ Epiſcopis, iudicium terminetur. Nec alicui liceat, ſine præiudicio tamen Romanæ Eccleſiæ, cui in omnibus cauſis debet reuerentia cuſtodiri, relictis*

relictis his sacerdotibus, qui in eadem prouincia Dei Ecclesias nutu diuino gubernant, ad alias conuolare prouincias, aut aliarum prouinciarum prius Episcoporum iudicium experiri, &c.

Sub idem tempus in Concilio Carthaginensi tertio Canone 9. ita statuitur, vt refertur 11. q. 1. can. 43. *Placuit, vt quisquis Episcoporum, presbyterorum, & Diaconorum, seu Clericorum, cum in Ecclesia ei crimen fuerit intentatum, vel ciuilis causa fuerit commota, si derelicto Ecclesiastico iudicio, publicis iudicijs purgari voluerit, etiam si pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, & hoc in criminali actione. In ciuili verò perdat, quod euicit, si locum suum obtinere maluerit: siquidem ad eligendos iudices, inique de Ecclesia consortio iudicat, qui de vniuersa Ecclesia male sentiendo, de iudicio sæculari poscit auxilium: cum priuatorum Christianorum causas, Apostolus etiam ad Ecclesiam deferri, atq; ibi determinari præcipiat.*

Nec dissimilis est Canon 10. Concilij Carthaginensis II. circa tempora Syricij Papæ, vt refertur in summa conciliorum, qui sic habet: *Placet, vt causa criminalis Episcopi à duodecim Episcopis audiatur, causa presbyteri à sex, causa verò Diaconi à tribus, cum proprio Episcopo*; vt habetur etiam dist. 15. q. 7. can. felix. & 3. q. 9. can. suggero.

Nec multum ab hoc tempore distat decretum Arcadij, Honorij, & Theodosij, qui lege 8. de Episcop. audientia ita sanxerunt: *Episcopale iudicium, ratum sit omnibus, qui se audiri à Sacerdotibus elegerint, eamq; illorum iudicationi adhibendam esse reuerentiam iubemus, quam vestris deferri necesse potestatibus; à quibus non licet prouocare. Per iudicum quoque officia, ne sit cassa Episcopalis cognitio, definitioni executio tribuatur.* Hæc ad præfectum prætorij Imperatores.

Sed nec tacenda illa Theodosij lex, quam ex lib. 26. de Episcop. & Clericis, Cod. Theodosiano, refert Cardinalis Baronius ad annum 381. num. 16. in hæc verba: *Vniuersos,*

quos constiterit custodes Ecclesiarum esse, vel sanctorum locorum ac religiosis obsequijs deseruire, nullius attentationis molestias sustinere decernimus. Quis enim eos capite censos patiatur esse deuinctos, quos necessariò intelligit supra memorato officio mancipatos? Datum Prid. Cal. April. Constantinopoli, Eucherio & Syagrio Coss.

Præclara est etiam lex Valentiniani, Theodosij, Arcadij, Imperatorum qui, vt refertur causa 11. q. 1. can. 5. ita statuerunt: *Continua lege sancimus, vt nullus Episcoporum, vel eorum, qui Ecclesiæ necessitatibus seruiunt, ad iudicia siue ordinariorum, siue extraordinariorum iudicum pertrahatur. Habent illi suos iudices, nec quidquam his publicis est commune cum legibus.* Exstat hæc sanctio in Codice Theodosiano libro 16. de Episcop. Iudicio, lege 3. vbi tamen nonnulla adduntur, quæ significant, Imperatores hic tantum de Ecclesiasticis causis loqui. Redibit hac de re sermo infra lib. 2. cap. 14.

Sub annum Domini CCC. LXXIX. Valentinus, Valens, & Gratianus Imperatores Clericos à muneribus personalibus immunes declarauerunt, vt habetur lege 6. de Episcopis & clericis, quæ talis est; *Presbyteros, Diaconos, subdiaconos, atq; exorcistas, & lectores, ostiarios, & acoluthos etiam, personalium munerum expertes esse præcipimus.*

Sub Annum Domini CCC. LXX. S. Ambrosius præclarũ Ecclesiasticæ libertatis exemplum edidit, cum authoritate etiam Imperatoria Auxentius Arrianus sibi templum vendicare studeret. De qua re ita ipsemet Ambrosius Epist. 32. *Meam basilicam,* inquit, *petit* (Auxentius) *cruento ore, sanguinolentis manibus, &c. Nabuth vites suas* (3. Reg. 21.) *vel proprio cruore defendit; si ille vineam non tradidit suam, nos trademus Ecclesiam Christi? quid igitur à me responsum est contumaciter? dixi enim conuentus; absit à me, vt tradam Christi hæreditatem. Si ille patrum hæreditatem non tradidit, ego tradam Christi hæreditatem? Sed & hoc addidi: absit vt tradam hæreditatem*

tatem

tatem patrum, hoc est hæreditatem Dionysij, qui in exilio, in causa fidei defunctus est, hæreditatem Eustorchij Confessoris, hæreditatem Miraclis, atq; omnium retro fidelium Episcoporum.

Et infra: *Ergo & ego dico illis, qui mihi obijciunt, ostendite mihi denarium. Iesus Cæsaris denarium vidit, & ait, reddite quæ Cæsaris sunt, Cæsari, & quæ Dei Deo: nunquid de Ecclesiæ Basilicis occupandis, possunt denarium offerre Cæsari? Sed in Ecclesia vnam imaginem noui: hoc est imaginem Dei inuisibilis, de qua dixit Deus faciamus hominem, &c. Quid igitur non humiliter responsum à nobis est? Si tributum petit* (Imperator) *non negamus: agri Ecclesiæ soluunt tributum: si agros desiderat Imperator, potestatem habet vendicandorum, nemo nostrum interuenit.* Hæc velut ampla concessione & amplificatione, quasi per execrationem loquitur Ambrosius, non enim vult licitum esse Imperatori, etiam agros Ecclesiæ vendicare, vt mox sequentia declarant: sic enim subiungit: *Non faciant de agris inuidiam: tollant eos si libitum est. Imperatori non dono, sed non nego, &c.*

Et inferius, de Ecclesia propositum concludens: *Soluimus*, inquit, *quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei sunt, Deo. Tributum Cæsaris est; non negatur. Ecclesia Dei est, Cæsari vtiq; non debet addici: quia ius Cæsaris esse non potest Dei templum. Quod cum honorificentia Imperatoris nemo dictum potest negare. Quid enim honorificentius, quam vt Imperator Ecclesiæ filius esse dicatur? quod cum dicitur, sine peccato dicitur, Imperator enim bonus, intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est, bonus enim Imperator quærit auxilium Ecclesiæ, non refutat. Hæc vt humiliter dicimus, ita constanter exponimus. Sed incendia aliqui, gladium, deportationem minantur? didicimus Christi seruuli non timere; non timentibus nunquam est grauis terror.*

De eadem re Epist. sequenti 33. ita scribit, ad sororem suam Marcellinam. *Mandatur deniq;: trade basilicam. Respondeo: nec mihi fas est tradere; nec tibi accipere, Imperator, expedit:*

domum priuati nullo potes iure temerare, domum Dei existimas auferendam? Allegatur Imperatori licere omnia; ipsius esse vniuersa. Respondeo. Noli te grauare Imperator, vt putes, te in ea quæ diuina sunt, Imperiale ius habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est: quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent; ad sacerdotem Ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium ius commissum est, non sacrorum. Iterum dicitur mandasse: Debeo & ego vnam basilicam habere. Respondi: Non tibi licet illam habere, &c. Si pro vna Basilica siue æde sacra, etiam cum capitis periculo se opposuit Imperatori Ambrosius, quid facere Episcopum decet pro sacratissimis totius Ecclesiæ Iuribus tuendis?

Sub annum Christi CCC. XLI. in Concilio Antiocheno, sub Iulio Papa celebrato can. 11. hæc leguntur: *Si quis Episcopus, aut presbyter, aut quilibet regulæ subiectus Ecclesiæ, præter Concilium, & literas Episcoporum prouinciæ, & præcipuè Metropolitani, adierit Imperatorem, hunc reprobari, & abijci oportere non solum à communione, verum & ab honore, cuius particeps videtur existere; quia venerandi principis auribus molestiam tentauit inferre, contra leges Ecclesiæ. Si igitur adire principem necessaria causa deposcit, hoc agatur cum tractatu, & consilio Metropolitani, & cæterorum Episcoporum, qui in eadem prouincia commorantur, qui etiam proficiscentem suis prosequantur epistolis:* Refertur hic Canon etiam à Gratiano 23. q. 8. *Si quis Episcopus.*

Consimilis est Canon 12. eiusdem Concilij, vt refertur etiam 10. q. 5. *Si quis à proprio Episcopo Presbyter, aut Diaconus, aut à Synodo fuerit Episcopus forte damnatus, & Imperatoris auribus molestus extiterit, oporteat ad maius Episcoporum conuerti Concilium, & quæ putauerint habere iusta, plurimis Episcopis suggerant, eorumq́; discussiones ac iudicia præstolentur. Si verò hæc parui pendentes, molesti fuerint Imperatori, hos nulla venia dignos esse,*

esse, nec locum satisfactionis habere, nec spem futuræ restitutionis penitus operiri dijudicamus.

Sub idem tempus, Constantius Imperator, filius Constantini Magni, quanquam Arrianus, clericos tamen à muneribus extraordinarijs sordidisq; ac præstantijs alijs decreuit immunes, vt habetur l. secunda, cod. de Episcopis & clericis. Refert hoc decretum Cardinalis Baronius sub annum Domini CCC.LVII. numero 96. & ad Felicem Romanum Pontificem datum existimat, quod tale est.

Constantius Augustus, & Iulianus Cæsar, Felici Episcopo. Omnis à Clericis indebitæ conuentionis iniuria, & iniqua exactionis expellatur improbitas, nullaq; conuentio sit circa eos, munerum sordidorum, &c. in fine autem sic: *Dat: 8. Id. Decembris. Mediolani lecta. 5. Kalendas Ianuarij, apud acta, Constantio nonum, & Iuliano Cæsare secundum Coss.*

Addit ibidem Cardinalis Baronius eiusdem Constantij rescriptum ad Leontium, his verbis: *Ecclesiæ vrbis Romanæ, & Clericis concessa priuilegia firmiter præcipimus custodiri.*

Et rursum aliud rescriptum pro immunitate Episcoporum refert idem Cardinalis Baronius, eodem annali 3. anno CCC.LV. numero 82. *Mansuetudinis nostræ lege prohibemus, in iudicijs Episcopos accusari, ne dum adfutura ipsorum beneficio impunitas æstimatur, libera sit ad arguendos eos animis furialibus copia. Si quid est igitur querelarum, quod quispiam defert; apud alios potissimum Episcopos conuenit explorari, vt opportuna, atque commoda cunctorum quæstionibus audientia commodetur.*

Atque ex his, quæ hactenus prolixè commemorauimus satis patet, institutum Ecclesiasticæ libertatis, & immunitatis, speciatim quoad exemptionem clericorum & Ecclesiarum, à iurisdictione sæcularium iudicum, à varijs Pontificibus & Concilijs sancitum, à plerisque etiam Imperato-

peratoribus, etsi plus, minusue approbatum, adeoq; perpetuo vsu in Ecclesia obseruatum fuisse vsque ad Constantinum Magnum Imperatorem, eiusq; synchronum S. Syluestrum Papam. Iam quid de eodem Syluestro & Constantino, alijsq; antiquioribus Pontificibus & Synodis historia prodat Ecclesiastica videamus.

CAPVT XI.

TEMPORE S. SYLVESTRI, ET CONSTANTINI MAGNI IVS AC INSTITVTVM ECCLESIASTICÆ LIBERTATIS magnopere in Ecclesia viguisse.

COnstantinum Magnum sub annum CCC. XIIII. ius Ecclesiasticæ libertatis & immunitatis (vtpote primum ex Imperatoribus, qui Christianam fidem palam excoluit) magno studio coluisse, testantur inprimis leges, quæ ab ipso de hac re editæ sunt. Ex quibus primum locum meritò sibi vendicat lex prima de Episcopali iudicio, quæ refertur in codice Theodosiano, his verbis.

Imp. Constantinus A. Ablauio P. P. Religionis est, clementiam nostram sciscitari voluisse, quid de sententijs Episcoporum, vel ante moderatio nostra censuerit, vel nunc seruari cupiamus, Ablaui parens carissime. Itaq; quia à nobis institui voluisti, olim prærogatæ legis ordinem, salubri rursus imperio propagamus. Sanximus namq; (sicut edicti nostri forma declarat) sententias Episcoporum quolibet genere prolatas; sine aliqua ætatis discretione, inuiolatas semper, incorruptasq; seruari: scilicet vt pro sanctis semper ac venerabilibus habeatur, quidquid Episcoporum fuerit sententia terminatum. Siue itaque inter minores, siue inter maiores ab Episcopis fuerit iudicatum, apud vos, qui iudiciorum summam tenetis,

&

& apud cateros omnes iudices, ad executionem volumus perueni-re. Quicunq; itaq; litem habens, siue possessor, siue petitor erit, inter initia litis, vel decursis temporum curriculis, siue cum negotium peroratur, siue cum iam cœperit promi sententia, iudicium elegerit sacrosancta legis Antistitis, illico sine aliqua dubitatione, etiam si alia pars refragatur, ad Episcopum cum sermone litigantium dirigatur. Multa enim qua in iudicio captiosa præscriptionis vincula non patiuntur, inuestigat & promit sacrosancta legis authoritas.

Omnes itaq; causa qua vel Pratorio iure, vel ciuili tractantur, Episcoporum sententijs terminata, perpetuo stabilitatis iure firmentur; nec liceat vlterius retractare negotium, quod Episcoporum sententia deciderit. Testimonium etiam ab vno licet Episcopo perhibitum, omnes iudices indubitanter accipiant; nec alius audiatur, cum testimonium Episcopi à qualibet parte fuerit repromissum. Illud enim est veritatis authoritate firmatum, illud incorruptum, quod à sacrosancto homine, conscientia mentis illibata protulerit. Hoc nos edicto salubri aliquando censuimus, hoc perpetua lege firmamus, malitiosa litium semina comprimentes; vt miseri homines longis ac pœne perpetuis actionum laqueis implicati, ab improbis petitionibus, vel à cupiditate praepropera maturo fine discedant. Quidquid itaq; de sententijs Episcoporum clementia nostra censuerat, & iam hac sumus lege complexi, grauitatem tuam, & cæteros, pro vtilitate omnium latum, in perpetuum obseruare conueniet. Dat. 3. Nonas Maij. Constantinopoli. Vbi vides amplissimam potestatem, & authoritatem Episcopali iudicio concessam, adeò vt etiam pars altera inuita, ad hoc iudicium trahi posse decerneret Imperator, etsi Martianus, vt supra vidimus, hoc improbasse videatur, irrita tamen abrogatione, quoad clericos, vt magis inferius patebit.

Sub Annum Christi CCC. XIII. authore Cardinali Baronio, idem Constantinus Imp. ad confirmanda indul-

ta à ſe Clericis priuilegia, de eorum immunitate, eiuſmodi reſcriptum dedit, vt habetur Cod. Theodoſiano de Epiſcopis & Clericis lege prima: *Hæreticorum factione comperimus, Eccleſiæ Catholicæ Clericos ita vexari, vt nominationibus, ſeu ſuſceptionibus aliquibus, quas publicus mos expoſcit, contra indulta ſibi priuilegia prægrauentur. Ideoq́; placet, ſi quem tua grauitas inuenerit ita vexatum, eidem alium ſubrogari, & deinceps à ſupradictæ Religionis hominibus huiuſmodi iniurias prohiberi.* Intelligit autem per nominationes Imperator, deſtinationes ad munera ciuilia; per ſuſceptiones autem, tributorum ſeu præſtantiarum exactiones, vt declarat idem Cardinalis Baronius ibidem.

In Cod. verò Iuſtinianæo de Epiſcopis & Clericis lex prima Conſtantini Imperatoris eiuſdem, ſic habet: *Imperator Conſtantinus Aug. Clericis ſalutem dicit: Iuxta ſanctionem, quam dudum meruiſtis, & vos, & mancipia veſtra, nullus nouis collationibus obligabit, ſed vacatione gaudebitis, præterea neque hoſpites ſuſcipietis.*

Pulcherrima eſt etiam hac de re Epiſtola eiuſdem Conſtantini, ad Epiſcopos data, quam poſt alios recitat Cardinalis Baronius, tom. 3. annal. ad annũ Chriſti CCC. XIII. numero 31. Cuius inſcriptio eſt, *Conſtantinus Aug. Epiſcopis Catholicis, cariſſimis fratribus ſalutem.* In ea verò Donatiſtas à iudicio Epiſcoporum ad Imperatorem appellantes, ſeueriſſimè redarguit, his verbis. *Reuera enim non immeritò ab his procul abſceſſerit Chriſti clementia; in quibus manifeſta luce claret, huiuſmodi eſſe, vt eos etiam à cœleſti prouiſione exoſos cernamus: quæ in ipſos tanta veſania perſeuerat, cum incredibili arrogantia perſuadeant ſibi, quæ nec dici, nec audiri fas eſt, deſciſcentes à recto iudicio dato, quo cœleſti prouiſione meum iudicium eos comperi poſtulare: quæ vis malignitatis in eorundem pectoribus perſeuerat. Quotiens à me iam ipſo, inprobiſſimis aditionibus ſuis,*

ſunt

sunt condigna responsione oppressi? qui vtiq; si hoc ante oculos habere voluissent, minimè hoc ipsum interposuissent. Meum iudicium postulant, qui ipse iudicium Christi expecto. Dico enim (vt se veritas habet) Sacerdotum iudicium ita debet haberi, ac si ipse Dominus residens iudicet. Nihil enim licet his aliud sentire, vel aliud iudicare, nisi quod Christi magisterio sunt edocti. Quid igitur sentiunt maligni homines; officia (vt verè dixit) Diaboli? perquirunt sæcularia, relinquentes cœlestia. O rabidam furoris audaciam, sicut in causis gentium fieri solet, appellationem interposuerunt. Equidem gentes minora interdum iudicia refugientes, vbi iustitia deprehēdi potest, magis ad maiora iudicia, authoritate interposita, ad appellationem se conferre sunt solitæ. Quid hi detractores legis, qui renuentes cœleste iudicium, meum putauerunt postulandum; sic sensere de Christo saluatore? Ecce iam proditores, ecce sine vlla acriore disquisitione, ipsi per semet prodiderunt facinora sua, &c. Vides hic Constantinum quo loco iudicia Episcoporum habuerit, quo loco sua, nempe illa Christi censuit, & maiora; sua hominis, & minora.

Eadem pietas Constantini Imperatoris in Ecclesias, & Ecclesiasticos patescit ex historia Ecclesiastica, quam ita denarrat Nicephorus lib. 7. cap. 46. sub finem. *Quæ verò Imperator Constantinus obseruantia erga professionem fidei nostræ fuerit, abunde illud quoque testatur, quod clericos omnes constitutione lata, immunes liberosque esse permisit: iudiciumq; & iurisdictionem in eos Episcopis, siquidem ciuilium iudicum cognitionem declinare vellent, mandauit: & quod Episcopi iudicassent, id robur & authoritatem sententiæ omnem habere debere decreuit. Firma quoque & immutabilia esse voluit, quæ in Synodis constituta essent, & quæ ab Episcopis iudicata forent, vt ea à magistratibus, respublicas administrantibus, militariq; quæ sub eis esset manu, executioni mandarentur, atq; ad rem collata perficerentur, constituit. Libertatem quoq; Ecclesiæ lege lata concessit, & vt libertate, Sa-*

 cerdoti-

cerdotibus testibus, donati ciuium Romanorum numero adscriberentur. Quæ omnia tempus quoq; ipsum ad hunc vsq; diem consuetudine probata plurimorum annorum præualente confirmat, &c. Vides hic apertè ius Ecclesiasticæ libertatis ac immunitatis, tempore iam Constantini Imperatoris, in Ecclesia viguisse; hocq; ipso nomine à Nicephoro descriptum.

Præclarum etiam huius rei documentum extat apud Ruffinum lib. 10. hist. Eccles. cap. 2. vbi hæc de Constantino, in Concilio Nicæno præsente. *Sed in eo*, inquit, *Concilio admirabile factum principis non puto reticendum. Etenim cum ex omnibus pæne locis Episcopi conuenissent, & (vt fieri solet) diuersis ex causis, inter se quædam iurgia detulissent, interpellabatur frequenter à singulis, offerebantur libelli, culpa proferebantur; & magis ad hac, quam ad id, pro quo ventum fuerat, animos dabant. At ille videns, quod per huiusmodi iurgia, causa summi negotij frustraretur, diem certum statuit, qua vnusquisq; Episcoporum, si quid querimoniæ habere videretur, deferret. Et cum resedisset, suscepit à singulis libellos: Quos simul omnes in sinu suo continens, nec in eis quid contineretur aperiens, ait ad Episcopos; Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit, de nobis quoq; iudicandi, & ideo nos à vobis rectè iudicamur. Vos autem non potestis ab hominibus iudicari. Propter quod Dei solius expectate iudicium, & vestra iurgia, quæcunq; sunt, ad illud diuinum reseruentur examen. Vos etenim nobis à Deo dati estis Dij, & conueniens non est, vt homo iudicet Deos, sed ille solus, de quo scriptum est: Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos discernit. Et ideo his omissis, illa, quæ ad fidem Dei pertinent, absque vlla animorum contentione distinguite. Cum hæc dixisset, omnes simul querimoniarum libellos iussit exuri, ne innotesceret vlli hominum, simulatio sacerdotum.* Recitauit hæc eadem supra Gregorius Magnus Pont. libro 4. Epistola 75. & ex eo Nicolaus Papa primus, de quo supra cap. 8. & refertur apud Gra-

Gratianum 2. q. 1. can. continua. Idem verò religiosissimus Imperator, tantum abest, vt crimina sacerdotum publicanda censeret, vt potius ea, si videret ipse, suo se paludamento tecturum sponderet; vt infra cap. 17. ex Theodoreto referemus.

Sub idem tempus Syluester Pontifex statuit, vt nullus Clericus ob quamlibet causam in curiam iudicandus intraret, vt habetur in Synodo Romana secunda, sub eodem Syluestro Papa celebrata, cap. 16. *Nemo enim Clericus, vel Diaconus, aut presbyter propter causam suam quamlibet intret in curiam, quoniam omnis curia, à cruore dicitur, & immolatio simulachrorum est. Quoniam si quis Clericus in curiam introierit, anathema suscipiat, nunquam rediens ad matrem Ecclesiam. A communione autem non priuetur propter tempus turbidum.*

Quocirca etiam capite 15. in hæc verba sancitum est. *Nemo Clericum quemlibet in publico examinet, nisi in Ecclesia.* Quæ breuiter etiam in historia Syluestri referuntur, ex Pontificali & gestis præcipue composita, vbi inter alia à sancto Pontifice statuta legimus: *Vt Laicus Clerico non inferret crimen, ne Clericus apud profanum iudicem causam diceret.* Atq; hęc de tempore Constantini & Syluestri, satis.

CAPVT XII.

A TEMPORE S. SYLVESTRI, ET CONSTANTINI MAGNI, RETRO AD APOSTOLORVM TEMPORA ECCLESIASTICAM LIBERtatem, & imunitatem, semper in Ecclesia viguisse.

MInimè propositum est nobis ostendere, Ecclesiasticam libertatem, & immunitatem ab Imperatoribus quoque huius temporis magnopere vsu receptam, & obseruatam, vel vllis constitu-

tionibus eorum sancitam fuisse. Constat enim eos Ethnicos fuisse, quibus vtique in more fuit, omne ius tam diuinum, quam humanum in Ecclesias & Ecclesiasticos violare potius, quam vlla eos exemptione donare. Ex sanctionibus itaque duntaxat summorum Pontificum, & Conciliorum, Ecclesiasticam libertatem stabilire proposuimus.

Et quidem sub annũ Domini CCC. V. sanctus Marcellus Papa Epistola 2. ad Maxentium Tyrannum ita scribit: *Tu ergo qui nos suades cultum dimittere diuinum, & à recta fide recedere, Dijsq; immolare, melius tibi foret, vt tu prius mutabilem te praberes, omnesq; exhortareris fidei documenta, & diuini cultus ministeria ita tenere, sicut patres nostri sancti Apostoli sibi tradita prædicauerunt & docuerunt. Boni enim principis ac Regis est, Ecclesias contritas atq; scissas restaurare, nouas ædificare, & Dei sacerdotes honorare, atq; tueri. Vnde sanctos Apostolos, eorumq; successores sub diuina contestatione constituisse legimus, non debere fieri persecutiones, nec inferri fluctuationes, nec inuidere laborantibus in agro dominico, neque expellere æterni regis dispensatores: sed si qui expulsi fuerint, aut suis rebus expoliati, primo omnia legaliter reddi, quæ eis ab inimicis, aut à persecutoribus ablata sunt, & sedes proprias, cum omnibus ad se pertinentibus, regulariter restitui, & postea tempore congruo vocari ad synodum regulariter congregatam. Nec liceat ei, priusquam fiant hæc, de se iuxta statuta prædictorum respondere, aut de suis impetitionibus, si se viderit prægrauari, reddere rationem, &c.*

Sub annum Domini CC. XCVI. S. Marcellinus Epistola 2. ad Episcopos Orientales, hæc de Ecclesiastico iudicio præscribit: *Quæcunq; ergo contentiones inter Christianos ortæ fuerint, ad Ecclesiam deferantur, & ab Ecclesiasticis viris terminentur. Maior autem non potest à minore iudicari, nec Episcopi Pontifici, à quo consecrari probantur, præiudicium inferre vllum possunt. Quod si præsumptum fuisse cognoscitur, viribus ca-*

rere

rere non dubium est, nec posse inter Ecclesiastica vllo modo statuta censeri. Clericus verò (seu vt emendatior lectio habet, Clericum) *cuiuslibet ordinis absq; Pontificis sui permissu, nullum* (seu vt alia lectio habet, *nullus*) *præsumat ad sæculare iudicium attrahere, nec Laico, quemlibet Clericum liceat accusare*.

Sub Annum Domini C C. X X C I I I. S. Caius Epistola ad Felicem Episcopum, de eadem re ita statuit: *Quapropter dilectionem tuam in Domino salutantes, de singulis, quid iuxta Catholicam disciplinam teneat Apostolicæ sedis authoritas, subiectis aliquibus, etiam sanctarum capitulis regularum, te credimus instruendum. Primo quidem scias, paganos & hæreticos non posse Christianos accusare, aut vocem eis infamationis inferre, deinde nemo vnquam Episcopum apud iudices sæculares, aut alios Clericos accusare præsumat. Et si quis Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet Clerici apud Episcopos (quia alibi non oportet à qualibet persona, quæ ritè recipienda est) fuerint accusati, quicunq; fuerit, siue ille sit sublimis vir honoris, siue vllius alterius dignitatis, qui hoc genus illaudabilis intentionis arripuerit, nouerit probationis documenta se debere inferre, &c.*

Sub annum C C. L V I I. S. Cyprianus Epist. 66. è Concilio quodam Africano ita scribit, ad Clerum, & plebem Furnitanorum: *Quod Episcopi antecessores nostri religiosè considerantes, & salubriter prouidentes, censuerunt, ne quis frater excedens, ad tutelam, vel curam Clericum nominaret: ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. Neq; enim apud altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes & ministros voluit auocare.* Aduertis hic veteri instituto Ecclesiæ Clericos à muneribus ciuilibus fuisse exemptos.

Sub idem tempus S. Eutychianus epist. 2. ad Episcopos Siciliæ ita scribit: *Cum omnibus Episcopis, & sancta Romana, atq; vniuersalis Ecclesia vtriusq; ordinis fidelibus, statuimus, non ita*

ita in Ecclesiasticis agendum esse negotijs, sicut in sacularibus. Nam in sacularibus legibus, postquam vocatus quis venerit, & in foro decertare cœperit, non licet ei ante peractam causam recedere. In Ecclesiasticis verò, dicta causa recedere licet, si necesse fuerit, aut si se prægrauari viderit. Accusationis verò ordinem talem, & didicimus, & seruari iubemus; id est, si quis Clericorum in crimine impetitur, non statim reus existimetur, &c. Similiter prohibemus, vt nulla causa à iudicibus Ecclesiasticis audiantur, qua legibus non continentur, vel qua prohibita esse noscuntur. Hac non solum Ecclesiastica, sed & saculi leges obseruari pracipiunt. Non enim paßim vageq; sacerdotum accusatio debet fieri.

Ante hunc S. Felix Papa Epist. 2. ad Episcopos Galliæ, ex synodo quadam Romana, multa de Ecclesiasticis iudicijs decernit, & inter alia: *Peregrina iudicia generali sanctione prohibemus; quia indignum est, vt ab externis iudicetur, qui comprouinciales, & à se electos debet habere iudices, &c.* Idem Epist. 1. ad Paternum Episcopum, hæc inter alia scribit: *Si quis super quibuslibet criminibus Clericum pulsandum crediderit, in prouincia in qua consistit ille, qui pulsatur, suas exerceat actiones, nec æstimet eum accusator alibi, aut longius pertrahendum ad iudicium, &c.* Salua tamen appellatione ad primates, ac inprimis sedem Apostolicam, vt ibidem, & alibi sæpe dicitur.

Ante hunc Sixtus Papa I. Multa itidem de iudicio Ecclesiastico statuit, &c. quæ quia fere cum præcedentibus conueniunt, omitto.

Ante hunc S. Stephanus primus epistola 2. ad omnes Episcopos expresse docet, Laicos nullam habere potestatem disponendi de facultatibus Ecclesiasticis: *Laicis quoq;*, inquit, *quamuis religiosi sint, nulli tamen de Ecclesiasticis facultatibus respondendi, legitur vnquam attributa facultas, &c.*

Ante hunc S. Lucius Papa primus, Epistola ad Galliæ atq; Hispaniæ Episcopos, præter alia quæ de iudicijs Ecclesiasti-

ſiaſticis ſtatuit, hæc etiam habet: *Res quoq; Eccleſiarum veſtrarum, & oblationem fidelium, quas ſignificaſtis à quibuſdam irruentibus vexari, vobiſque & Eccleſijs veſtris auferri, maximum eſt peccatum, &c.* Et infra: *Omnes tales præſumptores & Eccleſiæ raptores, atq; ſuarum facultatum alienatores, vna nobiſcum à liminibus ſanctæ matris Eccleſiæ anathematizatos, Apoſtolica authoritate pellimus, & damnamus, atq; ſacrilegos eſſe iudicamus; & non ſolum eos, ſed omnes conſentientes eis: quia non ſolum qui faciunt, rei iudicantur, ſed etiam qui conſentiunt facientibus, &c.*

Ante hunc S. Cornelius Epiſtola 2. *Nullus*, inquit, *Sacerdotum, cauſam ſuam alieno committat iudicio, niſi ad ſedem Apoſtolicam fuerit appellatum. Sed vnuſquiſq; comprouinciales iudices & notos habeat, niſi aliquam vim temerariæ multitudinis illic timuerit, aut infeſtos, aut ſuſpectos inibi iudices habuerit, pro quibus cauſis ad maioris authoritatis iudices, & ad alias prouincias appellare, & venire conceſſum eſt.*

Ante hunc S. Fabianus Papa. Epiſt. 3. ad Hilarium Epiſcopum: *Peregrina*, inquit, *iudicia, ſalua in omnibus Apoſtolica authoritate, generali ſanctione prohibemus; quia indignum eſt, ab externis vt iudicetur, qui prouinciales, & à ſe electos debet habere iudices, niſi fuerit appellatum. Vnde oportet, ſi aliquis Epiſcoporum ſuper certis accuſetur criminibus, vt ab omnibus audiatur, qui ſunt in prouincia Epiſcopis.*

Ante hunc S. Pontianus Epiſtola prima; *Hi ergo* (Sacerdotes) *ſi fortè ceciderint*, inquit, *à fidelibus ſunt ſubleuandi & portandi. Accuſandi autem non ſunt ab infamibus, aut ſceleratis, vel inimicis, aut alterius ſectæ, vel Religionis hominibus. Si peccauerint, à reliquis arguantur ſacerdotibus: Sed & à ſummis Pontificibus conſtringantur, & non à ſæcularibus, aut malæ vitæ hominibus arguantur, vel arceantur.*

Ante hunc S. Vrbanus in Epiſtola ad omnes Chriſtianos, præter ea, quæ de origine bonorum immobilium Ec-

clesiæ superius cap. 6. recitata, commemorat, mox subiungit: *Ipsæ res fidelium oblationes appellantur, quia Domino offeruntur. Non ergo debent in alijs vsibus quam Ecclesiasticis, & prædictorum Christianorum fratrum, vel indigentium conuerti: Quia vota sunt fidelium, & precia peccatorum, ac patrimonia pauperum, atq; ad prædictum opus explendum, Domino traditæ. Si quis autem (quod absit) secus egerit, videat ne damnationem Ananiæ & Saphiræ percipiat, & reus sacrilegij efficiatur, sicut illi effecti sunt, &c.*

Ante hunc S. Zephyrinus Papa Epistola prima ad Episcopos Siciliæ, cum multa de Episcoporũ iudicijs præmisisset, adiungit: *Nullum eorum sententia à non suo iudice dicta constringat: quia & leges sæculi, idipsum fieri præcipiunt. Duodecim enim iudices, quilibet Episcopus accusatus, si necesse fuerit, eligat, à quibus eius causa iustè iudicetur, &c. Finis verò eius causæ ad sedem Apostolicam deferatur, vt ibidem terminetur, nec antea finiatur, sicut ab Apostolis vel successoribus eorum olim statutum est, quam eius authoritate fulciatur. Ad eam quoq; ab omnibus, maximè tamen ab oppressis appellandum est, & concurrendum quasi ad matrem, vt eius vberibus nutriantur, authoritate defendantur, &c.*

Ante hunc S. Victor epist. prima ad Theophilum Alexandriæ Episcopum. *Vnde ita constitutum liquet, à tempore Apostolorum, & deinceps placuit, vt accusatus, vel iudicatus à comprouincialibus, in aliqua causa Episcopus, licenter appellet, & adeat Apostolicæ sedis Pontificem, &c.* Et infra: *In institutis*, inquit, *legitur Apostolicis. Si quis putauerit se à proprio Metropolitano grauari, apud Patriarcham, vel primatem diœceseos, aut penes vniuersalis Apostolicæ Ecclesiæ iudicetur sedem.*

Ante hunc S. Eleutherus, Epistola ad Galliæ prouincias: *De accusationibus*, inquit, *Clericorum, super quibus consulti sumus, quia omnes eorum accusationes, difficile est ad sedem Apostolicam*

ficam deferre, finitiua Episcoporum tantum iudicia huc deferantur, vt huius sanctæ sedis Authoritate finiantur, sicut ab Apostolis, eorumq; successoribus, multorum consensu Episcoporum iam definitum est, &c. Reliquorum verò Clericorum causas apud prouinciales & Metropolitanos, ac primates, & ventilare, & iustè finire licet. Similia habet S. Anicetus Papa in Epistola ad Galliæ Episcopos.

Ante hos S. Pius Papa primus, in Epistola ad omnes fideles: *Oues,* inquit, *pastorem suum non reprehendant, plebs verò Episcopum non accuset, nec vulgus eum arguat; quoniam non est discipulus supra Magistrum, neq; seruus supra Dominum. Episcopi autem à Deo sunt iudicandi, qui eos sibi oculos elegit, &c. Si quis verò à suo proposito retrorsum exorbitauerit, & iussum Apostolicæ sedis libenter transgressus fuerit, infamis efficitur.*

Ante hunc S. Higinus, Epistola prima ad omnes Christi fideles: *Nec non & peregrina negocia & iudicia prohibemus: quia indignum est, vt ab externis iudicentur, qui prouinciales, & à se electos debent habere iudices.* Similia habet S. Telesphorus in sua Epistola ad omnes fideles.

Ante hos S. Alexander Papa Epistola prima ad omnes orthodoxos: *Relatum insuper est,* inquit, *ad huius sanctæ & Apostolicæ sedis Apicem, cui summarum dispositiones causarum, & omnium negotia Ecclesiarum, ab ipso Domino tradita sunt, quasi ad caput, ipso dicente principi Apostolorum Petro: Tu es Petrus, & super hanc Petram Ecclesiam meam ædificabo: quod quidam æmuli Christi, eiusq; sanctæ Ecclesiæ insidiatores, Sacerdotes Dei ad iudices publicos accusare præsumant, cum magis Apostolus* (1. ad Corinth. 6.) *Christianorum causas ad Ecclesias deferri, & ibidem terminari præcipiat. Taliter præuaricantes, præuaricati sunt in Deum suum, &c. vastabuntur, quia præuaricati sunt in me, &c.* Oseæ. 7.

Ante hunc S. Anacletus Epiſtola 3. de Sacerdotibus non temerè iudicandis, multa grauiter inculcat, ſimul etiam Epiſt. prima, ad omnes fideles: *Leges*, inquit, *Eccleſiæ Apoſtolicæ firmamus authoritate, & peregrina iudicia ſubmouemus, &c. Vnaquæq; prouincia tam iuxta Eccleſiæ, quam iuxta ſæculi leges, ſuos debet iuſtos, & non iniquos habere iudices, & non externos, niſi Apoſtolicæ ſedis huius decreuerit authoritas, quatenus quicunq; cauſam habuerit, apud ſuos iudices iudicetur, & non ad alienos, cauſa vagandi, ſtimulante proteruia, ſuam deſpiciens patriam, tranſeat, ſed ad duodecim eiuſdem prouinciæ iudices, ad quorum iudicium omnes cauſæ ciuitatum referuntur, deferatur negotium. Si autem fuerit Eccleſiaſticum, apud Epiſcopos, (interueniente primate) ſi quidem maior cauſa fuerit: Si verò minor, Metropolitano: ſi verò fuerit ſæculare, apud eiuſdem ordinis viros, iudicio tamen Epiſcoporum: cum Apoſtolus priuatorum Chriſtianorum cauſas magis Eccleſijs deferri, & ibidem Sacerdotali iudicio terminari voluit. Omnis enim oppreſſus, liberè Sacerdotum (ſi voluerit) appellet iudicium, & à nullo prohibeatur, &c.*

Et ante hos omnes S. Clemens Romanus Papa, ſynchronus Apoſtolorum, Epiſtola prima, de iudicijs Eccleſiaſticis, ex S. Petri Apoſtoli traditione, hæc inter alia ſcribit: *Infames etiam omnes, & quos primates, & leges ſæculi non ſuſcipiunt, ſed & Laicos ab eorum accuſatione, & vexatione ſemper repelli debere rogabat, & cunctos illis ſubditos eſſe præcipiebat. Cunctorum Sacerdotum vitam, ſuperiorem ſanctioremq;, ac diſcretam à ſæcularibus, & Laicis hominibus eſſe, & ſpirituales quoſq; atq; Sacerdotes ſuper carnales ac Laicos ſemper conſtituendos docebat, quoniam pro minimo nobis eſſe debet, vt à talibus arguamur & iudicemur, vel ab humano die. Maiores verò à minoribus nec accuſari, nec iudicari vllatenus poſſe dicebat, quoniam non ſolum hoc diuinas, ſed & leges ſæculi inhibere docebat. Omnes ergo legum diuinarum libenter violatores, & ſacrarum inſtitutionum voluntariè*

riè perturbatores, Ecclesiastica indignos regula, & sancta communione, iudicabat, &c.

Simile quoddam testimonium sancti Dionysij Areopagitæ, qui & ipse quoq; Apostolorum tempore floruit, exstat in epistola eius octaua, vbi ad Demophilum Monachum scribens, eum acerrimè reprehendit, ob vsurpatam in Sacerdotem Iurisdictionem, quæ nemini inferioris ordinis homini, etsi Ecclesiastico, competat. Verba epistolæ ita se habent: *Tu verò*, inquit, *vt tuæ litteræ indicant, procidentem Sacerdoti impium, vt ais, atq; peccatorem, nescio quo pacto contra disciplinæ ordinem astans, calce abiecisti ac repulisti: cum ille quidem verecundè, quod oportuit, fateretur, se ad peccatorum remedia quærenda venisse: neq; exhorruisti insuper & Sacerdotem optimum lacerare conuicijs, miserabilem eum dicens, quod pœnitentem atq; impium iustificasset. Ac tandem, exi, inquiens Sacerdoti, cum similibus tuis: contra fas omne irrupisti in adita, & sancta sanctorum prophanare ausus es; & scribis nobis te sancta cum violanda essent, summa cura, prouidentiaq; seruasse, eaq; hactenus illibata custodire. Nunc ergo quid ipsi sentiamus, attende.*

Nefas est Sacerdotem à ministris, qui te superiores sunt, atque à tui ordinis viris iudicari, etiamsi impius in diuina esse videatur: etiamsi quid aliud ex his quæ interdicta sunt, egisse deprehenditur. Nam si distinctiones, ordinesq; confundere, sacratissimas Dei sanctiones & iura transgredi est, omni profectò ratione caret, Dei causa peruertere traditum diuinitus ordinem. Neque enim in seipsum Dei sermo diuisus est; alioquin quomodo ipsius staret regnum? Et si Dei est iudicium, vt sacra eloquia testantur: Sacerdotes autem Angeli sunt; diuinorum iudiciorum continuò post Pontificem magistri: ab ipsis tu diuina congruè, ac suo ordine per medios ministros, cum tempestiuum fuerit, disce, per quos etiam cultor esse meruisti. An verò non hoc ipsum sacra signa proclamant? Neque enim sancta

sanctorum omnibus simpliciter sunt inaccessa; verum his appropinquat magis Pontificum sacra distinctio, deinde sacerdotum ordo, quos deinceps & ministrorum sequitur gradus. Audis hic ex S. Dionysio *peruertere ordinem diuinitus traditum*, eum, qui Sacerdotem Ecclesiæ gradu se superiorem, etiam *Dei causa* iudicare ausit.

Sed mox obijcit sibi, quod hodie communiter contra Ecclesiasticam libertatem obijci solet. *Quid igitur*, inquit, *non oportet Sacerdotes qui vel impiè, vel perperam aliquid facere deprehensi fuerint corrigi, solisque licebit gloriantibus in lege, per præuaricationem legis Deum inhonorare?* Ad hoc paulo pòst respondet. *Verum*, inquit, *Demophilo fas non est ista corrigere. Nam si diuinus sermo iusta iustè prosequi iubet, (iustè verò prosequi est vnicuique quod suum est pro meritis reddere) iustè hoc omnes prosequi, non præter suum meritum, aut ordinem debent. Nam quòd & Angelis iustum est officia secundum merita diuidi, vt & profectò diuisa sunt. Verum hoc illis non à nobis, ô Demophile, sed per illos nobis ex Deo, & ipsis quoque per superiores angelos. Atque vt breuiter dixerim: in omnibus quæ sunt, per prima secundis à dispositissima omniū, ac iustissima prouidentia, iusta pro meritis tribuuntur: vt ij quidem, quos Deus præesse alijs statuit, inferioribus atque subiectis secundum merita tribuant. Verum enim Demophilus ira & concupiscentia ratione moderetur, eisque secundum merita tribuat; neque suum violet ordinem, sed regat subdita supereminens ratio.*

Nam si cum forte in foro aspicimus famulum domino seniori adolescentulum, siue etiam filium Patri maledicere, simulque impetu facto plagas inferre: pietatem violare videmur, nisi accurrentes præstantioribus opem ferre studeamus, quantumlibet illi fortasse prius iniuriam perpessi fuerint; Cur quæso non erubescimus, qui rationem ab ira & concupiscentia violari, & à tradito sibi diuinitus principatu deijci videmus, atque negligimus, & inter nos ipsos impiam, & iniustam temeritatem, ac seditionem, confusionemque excitamus?

Meritò

Meritò sanè noster à Deo nobis indultus legifer, Ecclesiæ Dei præfici prohibet eum, qui domui suæ eatenus non benè præfuerit. Qui enim seipsum regere nouit, & alterum reget; qui alterum, etiam domum; & qui domum, ciuitatem quoq́; & qui ciuitatem, etiam gentem; atque vt summatim dicam iuxta veritatis vocem. Qui in modico fidelis est, etiam in multo erit fidelis; & qui in modico infidelis, & in multo quoq; infidelis erit. Ipse igitur concupiscentiæ & iræ, atque verbo congrua iure tuo impartire; tibi autem venerandi ministri moderentur; ministris Sacerdotes, Sacerdotibusq; pontifices, atq; illis ipsis Apostoli, Apostolorumq́; successores conuenientia decernent.

At si quis fortè & inter ipsos à recto tramite deuiarit, is ab æqualibus, & sui ordinis sanctis corrigatur, vt non ordo in ordinem ruens, cuncta permisceat; sed vnusquisq; in suo ordine, suoq́; officio maneat. Ista tibi interim idcirco dixerimus, vt & scias, & facias quæ tui muneris sunt. Hæc Dionysius.

Sed & S. Ignatius Martyr, & ipse quoque Apostolicæ vir ætatis, in Epistola ad Philadelphienses Clerum soli Ecclesiastico magistratui subijcit, vt libro 2. capite 6. referemus.

Atque hactenus ergo Ius & Institutum Ecclesiasticæ libertatis exemptionisque Clericorum à sæculari potestate, retrò ad Apostolorum vsq; tempora, prolixa & continua variarum Constitutionum serie, sæpius renouatum, luculenter reduximus. Restat nunc vt ipsis etiam sacris literis, noui inprimis, ac deinde veteris testamenti, idipsum comprobemus. Ex quo deinceps non difficulter dissoluetur illa quæstio, inter Doctores & Catholicos etiamnum controuersa, an Exemptio Ecclesiastica, sit Iuris diuini, an humanæ Institutionis. Prius quam autem hoc faciamus, visum est operæ pretium ex his, quæ hactenus circa Ius & Institutum Ecclesiasticæ libertatis, tàm ex historijs, quam ex san-

ſanctorum Canonum decretis adduximus, quędam ad maiorem totius Eccleſiaſticæ libertatis cognitionem pertinentia breuiter annotare, ſimulque ac ſemel ſub Lectoris conſpectum vniuerſa proponere.

CAPVT XIII.

EX HIS, QVÆ HACTENVS DICTA, CONTRA VENETÆ CAVSÆ PATRONOS, DEDVCVNTVR QVÆDAM, AD Eccleſiaſticæ libertatis cognitionem magnopere pertinentia.

COlligitur itaque ex dictis primùm, falſiſſimum eſſe, quod Paulus Venetus dixit, Eccleſiaſticam libertatem (de qua loquimur) primùm à tempore Honorij III. ſeu, ab anno milleſimo, ducenteſimo, vigeſimo, in Eccleſia auditam fuiſſe. Cùm & nomen ipſum libertatis, ſeu Immunitatis Eccleſiaſticæ, ſeu Clericorum, &c. multò antiquius eſſe, & rem ipſam iam ſub Apoſtolorum tempora in Eccleſia viguiſſe, euidenter demonſtratum ſit.

Colligitur ſecundò, falſiſſimum eſſe, quod Ioannes Marſilius dixit, vſque ad Iuſtinianum Imperatorem, nullum in Iure priuilegium exſtare, de Exemptione Eccleſiaſticorum. Nam & ex Iure Ciuili multorum, inprimis verò Conſtantini, Conſtantij, Valentiniani, Theodoſij, aliórumq; Imperatorum complura hac de re priuilegia adduximus. Et ex Iure Canonico, Conciliorumq; ac Pontificum decretis ferè innumera, quæ Iuſtinianum præceſſerunt.

Colligitur tertiò, falſiſſimum eſſe, quod ſcripſit Paulus Venetus, pag. 28. Eccleſiaſticas Exemptiones, eſſe *Principum priuilegia*, quaſi hinc, vt ipſe vult, omnem ſuam vim traxe-

traxerint. *Quis*, inquit Frater Paulus, *dubitabit, vtrum Exemptiones Ecclesiasticæ, Principum sint priuilegia, si eorum leges & priuilegia exstant?* Minimè gentium; cum ex omnibus ferè quæ hactenus diximus, inprimis autem, ex toto præcedenti capite, euidens sit, esse traditionem Ecclesiasticam, ab Apostolorum tempore, ad nos vsque perpetua successione deriuatam; & verò ante omnem vllius Principis hac de re concessionem, in Ecclesia apud Christianos multò maximè viguisse. Quocirca loquendo de Exemptione rerum & personarum Ecclesiasticarum à tributis & iudicijs ciuilibus, si rectè iudicemus, Principes hac in re suis priuilegijs, nullum Ecclesijs & Ecclesiasticis personis Ius de nouo concesserunt; sed vt illi suo Iure liberè fruerentur, quod alioqui Tyrannorum, aut minus rectè de Ecclesiasticæ Hierarchiæ ratione edoctorum, vel certè plus nimio etiam in Ecclesiasticis causis sibi arrogantium Imperatorum, Principũq; iniqua machinatione, nullo modo vel parum licebat, hoc eis principum priuilegia contulerunt; quod satis agnouisse Constantinum Imperatorem, qui primus ex Christianis Imperatoribus, suis legibus Ecclesiasticam libertatem muniuit, colligi potest ex ijs, quæ cap. 11. dicta sunt.

Colligitur quartò, subdolè Paulum Venetum seriem priuilegiorum, quæ pro Ecclesiastica immunitate diuersi Imperatores sanxerunt, his verbis pag. 28. contexuisse. *Priuilegia*, inquit, *Principum quæ non simul, sed successiuè, concessa conspiciuntur, in gratiam omnium, qui eam rem cognitam habere cupiunt, quoniam magni interest, per tempora digesta dabo.* Et mox subdit: *Constantinus Magnus ad Annum 315. à publicis muneribus personalibus & curialibus exemit. Constantius & Constans filij à sordidis muneribus & censibus immunitatem addidêre; solisq; Episcopis exemptionem à Iudicijs fori sæcularis concesserunt: cum alij Ecclesiastici sæcularibus Iudicibus, tùm in ciuilibus, tùm in*

criminalibus causis adhuc subÿcerentur; eaq; de re aliæ exstant posteriores leges, altera Valentis & Gratiani ad annum 380. Arcadÿ & Honorÿ altera, ad annum 400. Ad annum verò 420. Honorius & Theodosius II. postea verò idem Theodosius cū Valentiniano III. Episcopis Clericorum iudicia concessere, si parti vtriq; placuisset; si verò pars altera Episcopi iudicia renuisset, Magistratibus sæcularibus rem integram reliquêre. Quod à Martiano ad annum 460. & eius successore Leone confirmatum est. Postremò à Iustiniano ad annum 560. varietas omnis sublata ea lege est, qua statuit, vti Ecclesiastici Episcopis in ciuilibus causis, in criminalibus verò sæculari Iudici subÿcerentur. Quod ad annum 630. seruatum est. Quo tempore illos Heraclius ab omni sæcularium Iudicum cognitione tùm in ciuilibus, tum in criminalibus exemit; salua tamen à Principe delegatorum potestate: quod vsq; ad Imperÿ diuisionem seruatum est, isq; semper græcæ Ecclesiæ mos fuit, dum illud Imperium stetit. Ita Paulus Venetus, qui hæc vult confirmata videri, ex Cod. Theod. de Episc. & Clericis l. 2. l. 10. l. 12. l. 23. l. 37. l. 41. l. 47. & Cod. Iust. eod. tit. l. *cum Clericis*, l. *omnis qui*. Item Nouell. 83. &c.

Sed hac narrationis serie Paulus Venetus ex Codice Theodosiano, primum subdolè conticuit, quòd Constantinus Magnus Ecclesiasticis etiam in quibusuis causis, exemptionem à Iudicibus sæcularibus concessit; ita vt altera pars etiam inuita ad Episcopale iudicium trahi posset, à quo non liceret appellare, vt manifestè patet ex l. 1. de Episcopali iudicio, Cod. Theod. & alijs quæ supra cap. 11. commemorauimus. Omisit etiam, quòd idem religiosissimus Imperator eos à tributis seu tallijs immunes declarauit, vt ibidem diximus. Omisit, quod nec ipse sibi aliquod in Episcopos iudicium arrogare ausus est, vt ibidem vidimus, &c.

Falsum etiam proinde est, Constantium primum & Constantem addidisse immunitatem à sordidis muneribus

&

& censibus. Nec probabile est, eos Imperatores solis Episcopis immunitatem à iudicibus sæcularibus concessisse; quanquam enim de his solummodò cauerit Constantius, ne in foro sæculari accusari omnino possent: non tamen colligi potest, eum prohibuisse, quò minus etiam alij Clerici liberè suas causas apud Episcopos dicerent; quod à Parente Constantino recens tanta autoritatis firmitudine erat sancitum. Itaq; his liberum permisit Episcopale iudicium, illos etiam nusquam alibi accusari permisit; quanquam & illos sacri Canones à sæculari iudicio penitus iamdudum arcebant, vt ostendimus. Falsum est etiam, quod ibidem subiungit Paulus Venetus, Imperatores quamuis à potestate inferiorum Magistratuum, Clericos exemerint, *à sua tamen suprema, neminem exemisse*; contrarium enim illustri exemplo Constantini Imperatoris euicimus; nisi velit dicere non exemisse, sed exemptos declarasse; quod verissimum est.

Colligitur quintò, Paulum Venetum nihilominus sibimetipsi aduersari, cum semel quidem originem Ecclesiasticæ libertatis & exemptionis ad tempora Honorij Pontificis, seu Annum Christi 1220. refert, postea verò multò antiquiora ipse priuilegia Imperatorum de eadem Exemptione & libertate commemorat; sicut & infra his verbis fatetur; *diuersos Romanos Pontifices varia ab Anno 1160. decreta pro Clericorum Exemptione edidisse*.

Denique ex his omnibus colligitur, semper quidem Ecclesiasticos Præsules, & verbis, & factis Ius Ecclesiasticæ libertatis & Immunitatis defendisse; at verò vsum Ecclesiastici Iudicij non semper eundem viguisse. Etenim initio, cum Imperatores adhuc gentiles essent, omnes Christiani tam Laici quam Clerici, legibus & decretis Ecclesiasticis, à sæculari iudicio arcebantur, vt ex epistolis Pontificum

manifestè patet, & paulo post ex S. Paulo luculentius ostendetur. Quod etiam Laicis inter se contendentibus Constantinus, quamuis Christianus Imper. postmodum liberum esse voluit; sicut & Arcadius, Honorius, & Theodosius; quin & competentem Episcopis authoritatem inter Laicos iudicandi semel interceptam Honorius Imp. restituit; vt etiam postmodum fecit Carolus Magnus; de quibus suo loco dictum est.

At verò paulatim hic mos quoad Laicos desijt, & penes Ecclesiasticos duntaxat non solum liber remansit, sed & Ecclesiasticis decretis ita perpetuò fuit inculcatus, vt his inter se nunquam nisi in iudicio Episcopali litigare integrum esset; neque etiam Laicis eos ad sæculare tribunal trahere fas esset; vt multis Canonibus perspicuè ostensum est. Quibus nihil obstare potuerunt contrariæ Imperatorum, præsertim vero quoad causas criminales, Iustiniani leges; quæ nec in Occidente fuerunt receptæ, nec in Oriente (obstantibus Canonibus) vim aliam habere potuerunt, quam quæ ex violenta vsurpatione alienę potestatis poterat emanare; nisi quis putet, ipsamet Romani Pontificis conniuentia id ei fuisse tacitè indultum: quod tamen nemo facile dixerit: cum & contraria Ecclesiæ, præcipuè Romanæ, decreta vndiq; sæpius insonuerint, & Imperator tali concessione dignus non esset, qui non velut ex priuilegio, sed propria Imperatoris authoritate, hanc sibi tam de his, quam de alijs rebus Ecclesiasticis absque dubio ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, disponendi potestatem magno suo damno arrogasse visus est.

Quanquam (fatendum) in multis etiam debitam erga Ecclesiæ prælatos obseruantiam non segniter tutatus, vt patet ex Nouella *vt differentes Iudices*, collat. 9. tit. 10. Quid quòd videri fortè cuipiam potest, ipsum etiam Iustinia-

num

num demum suas eiusmodi leges in Ecclesiasticæ immunitatis præiudicium latas abrogasse. Cum enim sæpius debitam erga sacros Canones obedientiam præ se ferat, quin & in Authenticis titulo 4. collat. 6. iubeat, *vt quatuor Conciliorum Nicani, Constantinopolitani, Ephesini, & Chalcedonensis dogmata veluti sacræ scripturæ accipiantur, & regulæ sicut leges obseruentur*; cum in Ephesino & Chalcedonensi exemptio Clericorum à iudicijs sæcularibus statuatur, vt suo loco vidimus; certè etiam ab ipso Iustiniano, cæteris contrarijs nihil obstantibus, absolutè agnitam & receptam fuisse credibile est. Adde quod non desint, qui affirment, nec in Oriente quidem eiusmodi leges Ecclesiasticæ libertati derogantes fuisse receptas; cum præsertim & ipse Paulus Venetus fateatur, vix septuaginta annis à Iustiniani tempore elapsis, Heraclium Ecclesiasticos *ab omni sæcularium Iudicum cognitione, tum in ciuilibus, tum in criminalibus exemisse, &c. eumq; semper Ecclesiæ Græcæ morem fuisse, dum illud imperium stetit*; vt supra diximus.

Illud etiam ad varietatem vsus Ecclesiasticæ libertatis pertinet, quod Cardinalis Bellarminus lib. 1. de memb. Eccles. milit. cap. 28. scribit. *Ante Iustiniani tempora, legibus priorum Principum immunes fuisse Clericos à tributis personalibus, vt etiam indicat S. Hieron. in comment. ad cap. 17. Matthæi; non tamen fuisse liberos à tributis, quæ pendi solent ratione possessionum, vt colligitur ex S. Ambros. in orat. de tradendis Basilicis, vbi dicit Agri Ecclesiæ soluunt tributum (vt dicitur cap. 10.) & ex Theodoreto lib. 4. histor. cap. 7. vbi scribit, Valentinianum Iuniorem in Epist. ad Episcopos Asiæ illa verba posuisse. Boni Episcopi tributa pensitant Regibus.* Neq; tamen hinc colligi potest, Ecclesiæ agros ab huiusmodi tributis per se ipso iure non fuisse exemptos. Quia ex facto non recta argumentatione euertitur Ius; non solum quia facta sæpe iniqua esse possunt,

& aduersa Iuri: sed etiam quia potuit Ecclesia ad tempus indulgere, vt eiusmodi tributa soluerentur; partim quia id temporis ratio poscebat, ne principes ex sua ad fidem conuersione statim aliquod damnum sentire viderentur; partim quia etiamnum possunt eiusmodi contributiones Ecclesiæ autoritate indulgeri, vt superius cap. 8. ostensum: Nec libertas Ecclesiastica consistit in hoc, vt principes nullum in res aut personas Ecclesiæ ius habeant, sed vt propria autoritate, nullum in eas habeant, vt magis patebit cap. 16.

CAPVT XIV.

PROBATVR EXEMPTIO PERSONARVM ECCLESIASTICARVM EX SACRA SCRIPTVRA NOVI Testamenti.

QVia Patroni causæ Venetæ temerè contendunt exemptionem Clericorum à Iudicio sæculari, sacris literis aduersari, operæ pretium erit, breuiter contrarium ostendere, nempe hanc Exemptionem in ipsis sacris Apostolorum literis contineri; quod iam tamen ab alijs Doctoribus catholicis egregiè demonstratum est. Ego verò ex doctrina S. Pauli, quam tradit epist. 1. ad Corinth. cap. 5. & 6. sic argumentor. Omnes Christiani etiam Laici, Apostolorum tempore, tùm in ciuilibus, tùm in criminalibus causis, non nisi Ecclesiasticum tribunal adire debebant, in quo ipsi quidem inter se causas suas actitarent: Ergo etiam nunc saltem Clerici, ex Apostolica institutione, suum proprium & quidem Ecclesiasticum duntaxat tribunal habere debent, in quo à fidelibus conueniantur. Est hoc argumentum ipsius Concilij Carthaginensis III. paulò post referendi.

Con-

Consequentiam inferius ostendam. Nunc antecedens probo euidenter ex Apostolo loco citato, quoad vtrumq; causarum genus. Et primo quidem in criminalibus: Cum enim ex fidelibus quidam nefario scelere vxorem patris sui, suamq; Nouercam constuprasset, capitali vtriq; crimine admisso; quid S. Paulus fecit? An eum ad sæculare tribunal adduci iussit? an penitus à iudicio & pœna immunem transire? Nequaqam. Sed mox data ad Corinthios epistola, eos acriter obiurgat de negligentia iudicij, quo tale scelus vindicari oportebat: Sic enim scribit cap. 5. *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem Patris sui aliquis habeat. Et vos* (ô Corinthij) *inflati estis, & non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrûm, qui hoc opus fecit.*

Deinde Apostolus nomine & authoritate Christi, atq; etiam velut de consensu ipsorum Corinthiorum, qui facto conuentu eiusmodi scelus punire debebant, iudicaria authoritate, sententiam in sceleratum profert ibidem: *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui, vt præsens, eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis, & meo spiritu, cum virtute Domini Iesu, tradere huiusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit, in die Domini nostri Iesu Christi, &c.* Pœnam ergo Apostolus in facinorosum decernit, & quidem pœnam etiam corporis: nempe vt in carne, qua peccauerat, affligente Diabolo crucietur. Nam vt rectè dixit S. Thomas in eum locum. *Sicut Deus dedit Apostolis potestatem spirituum immundorum, vt eijcerent eos, ita per eandem potestatem poterant imperare spiritibus immundis, vt vexarent corporaliter, quos hac pœna iudicabant dignos.* Nec dubitare licet, eos, qui ministerio Diaboli dignam pro meritis pœnam delinquentibus inferebant, potuisse etiã alijs consuetis medijs ad eandem rẽ vti.

Quo-

Quocirca Apoſtolus ibidem paulo inferius, vt eandem Iudicij Eccleſiaſtici formam amplius ſtabiliret, hanc generalem veluti regulam Corinthijs præſcribit: *Si is qui frater nominatur inter vos, eſt fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum huiuſmodi nec cibum ſumere*; quaſi dicat, talem eſſe pari modo per excommunicationis ſententiam à communi fidelium conſortio ſeparandũ. Et vt manifeſtius ſignificet, hoc eſſe ordinaria quadam poteſtate Iurisdictionis faciendum, addit: *Quid enim mihi de his, qui foris ſunt*, (Ethnicis qui in Eccleſia non ſunt) *iudicare? Nonne de his qui intus ſunt*, (de fidelibus qui in Eccleſia ſunt) *vos iudicatis? Nam eos qui foris ſunt Deus iudicabit. Auferte malum ex vobis ipſis.* Vbi vides Apoſtolum non de poteſtate extraordinaria miraculorum, quã æquè etiam in Ethnicos exercere poterat, ſed de poteſtate ordinarij Iudicis eſſe loquutũ, quam Eccleſia in Ethnicos nullam habet. Eam verò pœnam ſemel in facinoroſum ſtatutam, legimus 2. Cor. 2. ab Apoſtolo rurſum fuiſſe relaxatam, cum ſatis ille iam punitus eſſe videretur: quod rurſus nouum Iudiciariæ poteſtatis argumentum eſt.

Conſimile exemplum habemus Actorum 5. vbi voce S. Petri, quaſi ancipiti quodam gladio, Ananias & Saphira ob peccata ſua, mirabili vindictæ exemplo ſubitò fuerunt perempti. Patet ergo, tempore Apoſtolorum fuiſſe in Eccleſia tribunal Eccleſiaſticum, in quo cauſæ criminales Chriſtianorum dijudicarentur. Non autem licitum fuiſſe fidelibus ſuo arbitrio aliud tribunal, etiam in his cauſis, adire, apertè patebit ex ijs, quæ de cauſis ciuilibus mox dicemus.

Itaq; etiam ciuiles cauſas inter ipſos quidem fideles, eo tempore, non potuiſſe agitari, niſi in iudicio Eccleſiaſtico, luculenter oſtenditur ex citata epiſtola 1. ad Corinth. cap. 6,

Vbi

Vbi acerrimè Corinthios reprehendit Apostolus, quòd ad iudicium sæculare suas causas ciuiles deferrent; iubetque omninò, vt ipsi inter se huic Iudicio idoneos viros præficiant, à quibus eiusmodi causæ decidantur: *Audet*, inquit, *aliquis vestrum, habens negotium aduersus alterum iudicari apud iniquos*, (Ethnicos) *& non apud sanctos? An nescitis quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? Et si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis iudicetis? Nescitis quoniam Angelos iudicabimus, quantò magis sæcularia? Sæcularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare fratrem suum? Sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles? &c.* Simpliciter ergo prohibuit Apostolus, ne fideles inter se lites apud alios iudices tractarent, quam Ecclesiasticos seu Ecclesiastica authoritate constitutos. Quæ est communis sanctorum Patrum & interpretum sententia. Vnum hîc omnium loco adduxisse suffecerit, S. Clementem Romanum Apostolici æui virum. Is lib. 2. Constit. Apost. cap. 39. hæc habet: *Præclara Christiani laus est, cum nullo habere negotium. Quod si ex aliqua vexatione, vel tentatione lis alicui oriatur, curet vt ea transigatur, etiamsi detrimentum pati debeat; nec ad Ethnicum iudiciũ accedat, sed nec patiatur mundanos magistratus de nostris ius dicere. Nam per illos Diabolus seruos Dei vexat, & nobis notam inurit, quasi non habeamus nos vnum sapientem, qui possit inter partes ius administrare, & controuersias componere.* Et cap. sequenti: *Non cognoscant ergo gentes controuersias, quæ inter vos oriuntur, neq; contra vos infidelium testimonia recipiatis, neq; ab ijs iudicari velitis, neq; ijs aliquid tribuatis, commodi, metusue causa; sed reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari; quæ Dei Deo; veluti tributum, censum, didrachma, quemadmodum Dominus noster, cum dedisset staterem, molestia liberatus est.* Quod si Christianis, in causis

ciuilibus, fas non erat inter se, nisi Ecclesiasticum tribunal inuocare; quantò magis in criminalibus, quarum cognitio maiori fidei probro & contumeliâ gentilibus fuisset delata. Nam & propterea etiam Apostolus, & S. Clemens locis citatis generatim de *negotijs sæcularibus* siue *controuersijs* Christianorum loquuntur. Est ergo verum antecedens superius positum, quoad vtramq; partem, nempe Christianos Apostolorum tempore tùm in ciuilibus, tum in criminalibus causis, non nisi Ecclesiasticum tribunal adire debuisse.

Iam probo consequentiam. Quia etsi quidem nunc, cum Imperatores, Reges, Principes, adeoq; Iudices sæculares ipsi, fideles sunt; desierint rationes, quoad Laicos, cur ipsi à sæculari iudicio arceantur; vt proinde meritò dici possit, eam Apostoli legem hoc tempore quoad Laicos vim nullam habere: tamen certè quoad Clericos minimè desierunt, vt iure existimari possit, etiamnum eos Ecclesiastico tantum iudicio, Apostolico instituto, obligatos esse debere. Nam vt optimè notauit S. Thomas in hunc locum, cur Apostolus fideles tunc ad Ecclesiasticum tribunal tantum adstrictos esse voluerit; rationes erant istæ. *Primò quidem*, inquit, *quia per hoc* (quod in sæculari Iudicio Christianorum causæ pro tempore actitantur) *derogatur authoritati fidelium*. Quasi, vt ego interpretor, fideles inter se nullam habeant iudicandi authoritatem; aut certè minus sapienter vel syncere in suis iudicijs versentur; quam causam etiam paulo ante ex Clemente Romano attulimus. *Secundò*, inquit S. Thomas, *quia derogatur dignitati fidelium, quantùm ad hoc, quòd infidelium iudicia subeunt*: quasi nempe indignum sit, fideles ab infidelibus iudicari. *Tertiò quia per hoc datur occasio infidelibus iudicibus calumniandi & opprimendi fideles, quos odio habent propter fidem & ritus diuersitatem.*

Et

Et ideò dicitur Deuter. 1. Tuli de tribubus vestris viros sapientes & nobiles; præcepiq́ue eis dicens, Audite illos, & quod iustum est, iudicate. Et eod. 17. Non poteris alterius gentis facere Regem, qui non sit frater tuus, &c. Cogitet autem quisq́; an non omnes illæ rationes æquè etiamnum probent, æquum non esse, vt Clerici Laicorum, etsi fidelium, iudicijs subiaceant; atque probabant olim, fideles quoslibet à iudicio Ethnicorum arcendos esse. Ego enim applicationem breuitatis causa omitto, dicturus plura sub finem huius libri.

Cæterum vt hoc argumentum magis stabiliatur, dissoluam breuiter obiectiones, quæ contra illud obijci possunt. Primò enim dicet forte aliquis, Apostolum tantum cauere, ne apud Ethnicos Iudices, Christiani, seu Laici, seu Clerici lites agitent. Ergo præceptum Apostoli eo loco nil ad institutum facit. Respondeo primò, negando consequentiam, quia saltem ab Apostolica hac institutione, velut à simili, rectissimè argumentum duci potest; Apostolos itidem sensisse, Clericos à Principibus sæcularibus, ne Christianis quidem iudicari debere. Cum sit vtrobiq; par ratio, vt dictum. Deinde falsum est Antecedens. Apostolus enim eo loco duo præcepta tradit; vnum negatiuum, ne apud infideles iudicia fideles agitent. Alterum affirmatiuum: si omnino lites inter se tractare velint, hoc vt apud Ecclesiasticum iudicem faciant; vt patet ex illis verbis: *Sæcularia iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum.* Licet ergo prius præceptum negatiuum eò directè non pertineat, vt à iudicio sæcularium Christianorum principum arceantur Clerici; posterius tamen respectu Clericorum etiamnum vim suam retinet, semperq́; retinebit inposterum; eoq́; magis, quò sæculares ipsi frequentius à veteri erga Sacerdotes reuerentia desciscentes, enixius Ecclesiasticis iuribus insidiantur.

Secundò obijci poteſt; videri S.Paulum ſolummodo de arbitris loqui ipſarum partium electione conſtituendis; non de Iudicibus ordinarijs, ſeu vt vocant *autoritatis & Iurisdictionis*. Sed hoc repugnat contextui S. Pauli, ex quo apertè colligitur, eum de Iudicibus ordinarijs loqui. Primò enim fuiſſe in Eccleſia ordinarium tribunal conſtitutum, in quo etiam de criminalibus cauſis Chriſtianorum (quantò magis ciuilibus) iudicium ferretur, manifeſtè aſſerit S.Paulus ſub finem capitis quinti, *Quid enim mihi de ijs, qui foris ſunt iudicare? Nonne de ijs, qui intus ſunt, vos iudicatis? Nam eos, qui foris ſunt, Deus iudicabit. Auferte malum ex vobis ipſis.* Quibus verbis Apoſtolus, talem iudicandi poteſtatem Eccleſiæ in Chriſtianos tribuit, qualem eidem in Ethnicos denegat: atqui arbitrariam (ſi partibus litigantibus placuiſſet) in Ethnicos non negat, ſed ordinariam; ergo ordinariam, non tantum arbitrariam concedit in Chriſtianos.

Secundò eodem modo loquitur S. Paulus initio capitis 6. *Audet aliquis veſtrum habens negotium aduerſus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud ſanctos?* Vbi rurſus eo modo vult iudicari Chriſtianos à ſanctis, quo modo antea ex ijs quidam ſolebant iudicari ab infidelibus; ſolebant verò ab his etiam iudicari iudicio ordinario, ſeu *autoritatis & Iurisdictionis*, non ſolum arbitrario; nam alias tantopere eos non reprehenderet S. Paulus. Vnde noſter Alphonſus Salmeron in hunc locum Apoſtolum de his loqui aſſeuerat, *qui fratres ad infidelium tribunalia trahebant*. Et S. Athanaſius in hunc locum, *Cum de pecunijs creditis*, inquit, *& repetendis, cauſas haberent nonnulli, ad gentiles Iudices, haud ſecus ac legis Christianæ latores, has deferebant, illorum iudicio terminandas*.

Tertiò idipſum probatur ex ijs verbis: *An neſcitis, quoniam ſancti de mundo iudicabunt?* Vbi rurſum ſignificat eo modo iudicandas eſſe cauſas ſæculares per Eccleſiam, quo modo

modo sancti aliquando sint iudicaturi mundum; at hunc iudicabunt non per arbitrariam potestatem, sed vel ex officio, aut saltem ex delegatione superioris Iudicis: Ergo etiam hoc modo voluit Christianos in ciuilibus etiam causis per Ecclesiam iudicari. Idem argumentum suppeditant illa verba: *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus? quantò magis sæcularia?*

Quartò illa ipsa verba, *Contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum*, certi & fixi tribunalis constitutionem designant. Quod ipsum colligit idem Salmeron ex acrimonia Apostolicæ reprehensionis: *Ponit autem*, inquit, *hoc verbum* (reprehensionis Paulinæ) *fuisse etiam publica sanctorum tribunalia, ad quæ facile accedere possent: nam si nulli essent fideles iudices, qui causas piorum hominum terminarent, tolerabilius fortasse, vel excusabilius fuisset iudicium.* Denique hæc est communis interpretatio sanctorum & Doctorum; vt magis ex sequentibus patebit. Nullus enim est, quod sciam, qui hunc S. Pauli locum ad solam arbitrariam potestatem retulerit; aut hoc vel obiter insinuauerit.

Tertiò dices, vnde colligatur, Iudices quos S. Paulus in Ecclesia de causis temporalibus iudicare voluit, fuisse potius Clericos, quam Laicos? Imo verò Laicos potius fuisse, colligi posse videtur primò ex eo, quod vniuersim ad Corinthios (vtique etiam Laicos) scribens, & ab ijs ipsis, & ex eorum numero aliquos constitui Iudices rerum sæcularium mandat. Secundò quia ait, *Contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum*. Absurdum autem videtur existimare, per *contemptibiles* intelligi potius Clericos, quam Laicos. Tertiò S. Clemens in epistola ad S. Iacobum asserit, se mandato S. Petri fuisse prohibitum, ne sæcularium rerum Iudicem ageret, vt quod Laicorum, non Episcoporum esset. Ita enim sibi præcepisse refert:

Te quidem oportet irreprehensibiliter viuere, & summo studio niti, vt omnes vitæ huius occupationes abijcias, ne fideiussor existas, ne aduocatus litium fias, neue in vlla alia occupatione, prorsus inueniaris mundialis negotij occasione perplexus. Neque enim Iudicem aut cognitorem sæcularium negotiorum hodie te ordinare vult Christus, vti ne præfocatus præsentibus hominum curis, non possis verbo Dei vacare, & secundum veritatis regulam secernere bonos à malis. Ista namq; opera, quæ tibi minus congruere superius exposuimus, exhibeant sibi inuicem discentes, id est, Laici; & te nemo occupet ab his studijs, per quæ salus omnibus datur. Sicut enim tibi impietatis crimen est, neglectis verbi Dei studijs, solicitudines suscipere sæculares, ita & vnicuiq; Laicorum peccatum est, nisi inuicem sibi etiam in suis, quæ ad communis vitæ vsum pertinent, operam fideliter dederint.

Ad hanc obiectionem duo respondeo. Primum, non anxiè nobis disquirendum esse, an solos Clericos, an etiam Laicos in hoc Iudicum numero censeri voluerit Apostolus. Hoc ad propositum nostrum satis est, quòd is initio Ecclesiæ, & Laicos Christianos, & Clericos, suas causas non nisi coram Ecclesiastico tribunali voluerit actitare, siue id ex Clericis tantum Iudicibus, siue etiam ex Laicis constitutum esset: nam & à Laicis iudicari posse Clericos, ex Ecclesiasticæ potestatis delegatione vltro concedimus. Fuisse autem plane tribunal hoc Ecclesiasticum, hoc est, non solum in Ecclesia, & ab Ecclesiastica potestate quomodocunq; constitutum, sed etiam immediatè ob finem spiritualem, tam fraternæ correptionis, quam Christianæ charitatis; & titulo spirituali, velut ministrorum Ecclesiæ proprium; consimile ei, quod Episcopale consistorium & Academicum Senatum (in Academijs Clericis & exemptis) vocamus, multis modis ostendi potest. Primum quia potestas coactiua suprema huius tribunalis erat spiritualis; non

non gladio corporis, sed excommunicationis ense terribilis; iuxta illud Christi Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Nam alioqui pro temporis illius ratione, *non poterant*, inquit Salmeron, *Ecclesiastici vti gladio in quenquam; nec Imperatores aut sæculares magistratus id tulissent.*

Secundò, quia si temporalis & sæcularis erat potestas, qualis est Principis politici, necesse est, aut subiectam fuisse potestati Cæsaris, aut ea superiorem, aut æqualem. Nihil horum potest dici. Non primum. Quia tum Apostolus & Ecclesia tale tribunal non nisi dependenter à voluntate Imperatoris instituere debuisset, quod est falsum. Nec secundum; quia tùm Imperatoria potestas Cæsaris non fuisset in suo genere (potestatis merè temporalis) suprema; quod nemo eorum, contra quos disserimus, dixerit.

Nec tertium. Quia cum nemo ex æquo in ijsdem rebus & actionibus duobus supremis dominis ciuilibus possit esse subiectus; sequeretur inde, Christianos etiam Laicos non fuisse subiectos temporali potestati Cæsaris, quod est contra S. Paulum ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, &c. Si autem malum feceris time; non enim sine causa gladium portat, &c. Ideo necessitate subditi estote, &c.* & 1. Petri 2. *Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi quasi præcellenti, &c.* de qua re plura lib. 2. cap. 6. Non est igitur vllo modo credibile, Christianos Laicos tempore Apostolorum fuisse absolutè exemptos à Iurisdictione Cæsaris. Vnde S. Thomas in eum locum, *Dicendum*, inquit, *quod Apostolus non prohibet, quin fideles sub infidelibus Principibus & constitutis eorum iudicio compareant, si vocentur; hoc enim esset contra subiectionem, quæ debetur Principibus; sed prohibet quòd fideles non eligant voluntariè infidelium iudicium.*

Tertiò.

Tertiò. Licet Ecclesia ob bonum spirituale, habeat potestatem etiam Laicos eximendi à Iurisdictione Principis Ethnici, quamuis sibi minimè subiecti, vt inferius dicetur, cap. 19. tamen ipsum Ecclesiæ bonum tum non permittebat, vt talis ab Ecclesia potestas exerceretur; quandoquidem inde magna in Ecclesiam inuidia, magna à Christi fide alienatio apud Ethnicos fuisset concitata, cum ne sic quidem maleuolorum detractiones euadere potuerit, asserentium, per fidem Christi homines à debita Cæsari obedientia auocari; vt lib. 2. patebit.

Quartò quia Sancti passim docent, supremos saltem iudices in hoc tribunali fuisse Ecclesiasticos, hoc est Clericos, seu ministros Ecclesiæ, vt mox dicetur.

Vnde ad propositam obiectionem secundò respondeo; omnino ab Apostolo Iudices Ecclesiasticos designari, ita saltem, vt in his supremi essent Sacerdotes & Episcopi; licet forte ex ijs aliqui immediatè hoc iudicium exercentes aliquando essent Laici, quod etiam docet noster Salmeron loco citato. Probatur hoc varijs argumentis. Primò. Quia suprema potestas coactiua huius tribunalis iure ordinario non nisi ad sacerdotes spectabat. *Non intelligas*, inquit Salmeron, *quasi soli Sacerdotes iudicarent; sed quo eum grauius punirent, si non obtemperaret, necesse erat, vt in iudicio magistratus sæcularis* (nempe ratione subiecti) *Episcopus præesset, &c. vt contumacem & minimè parentem gladio ignis, id est, anathemate percuterent. Quid enim profuisset Laicos iudicia sæcularia decernere, si non esset, qui cogeret ad executionem? Causa ergo cur Episcopus in epistola Pauli, & Anacleti, cum laicis magistratibus de causis sæcularibus cognoscebat, erat, ne in peccato ad mortem remaneret, qui parere nolebat. Ad hoc enim denuntiabatur anathema, vt spiritus saluus fieret in die domini Iesu. Ideo de omnibus litibus sæcularibus eatenus licet Episcopo cognoscere, vt in peccato*

ad mortem non remaneat : quod est peccatum scandalosum per viam denunciationis. Ita Salmeron.

Secundo idipsum asserunt S S. Patres. S. Clemens citata epistola 1. ad Iacobum, his ipsis verbis ait : *Si qui ex fratribus negotia habent inter se, apud cognitores seculi non iudicentur; Sed apud Presbyteros Ecclesiæ, quicquid illud est dirimatur: & omni modo obediant statutis eorum.* Vnde colligimus, etsi nonnunquam à Laicis etiam similia iudicia exerceri consueuerint, supremam tamen eius iudicij autoritatem penes Episcopum & presbyteros fuisse; à quibus etiam Diaconi, velut Instructores Laicorum, si quando opus esset, huic iudicio addebantur; vt in eadem Epistola dicitur: *Quod si fortè* (Laici) *à semetipsis hoc* (quod eius Tribunalis ratio exigit) *non intelligant, per Diaconos edocendi sunt, vt tibi solius Ecclesiæ solicitudines derelinquant, &c.* Idem S. Clemens in eadem Epistola de S. Petro loquens, *Sacerdotes super carnales ac Laicos semper constituendos docebat.* Debebant ergo Laici etiam quoad hoc iudicium sacerdotibus subesse.

Eadem leguntur apud Clementem Constit. Apost. lib. 2. cap. 49. vbi hæc inter alia : *Iudicia vestra fiant in secunda Sabbathi, vt si qua controuersia ex sententia vestra oriatur, vsque ad Sabbathum libera sit vobis facultas, qua possitis controuersiam illam componere, & pacem conciliare inter eos, qui litigant. Adsint autem iudicio Diaconi & Presbyteri, integrè iudicaturi, velut Dei homines; cum iustitia. Cum vtraq; persona venerit, prout lex iubet, ambo qui litigant, statuantur in medio tribunali; iisq; auditis, sanctè iudicium pronunciate, studentes ante sententiam Episcopi, eos conciliare, ne exeat supra terram iudicium in peccatorem, &c.* Hactenus Clemens.

Optimè etiam S. Anacletus Pontifex epist. 3. *Si negotium,* inquit, *fuerit sæculare, apud eiusdem ordinis viros* (sæculares vtiq;) *iudicio tamen Episcoporum,* terminetur : *cum Apostolus*

stolus priuatorum Christianorum causas magis Ecclesijs deferri, & ibidem Sacerdotali iudicio terminari voluit. Vides apertè, Apostolum de Sacerdotali iudicio locutum?

Eodem fere modo loquitur S. Alexander Papa epist. 1. *Relatum est, &c. quod quidam æmuli Christi, eiusq; sanctæ Ecclesiæ insidiatores, sacerdotes Dei ad Iudices publicos accusare præsumant, cum magis Apostolus Christianorum causas ad Ecclesias deferri, & ibidem terminari præcipiat, &c.*

S. Ambrosius in illum locum S. Pauli, *Quia in Ecclesia,* inquit, *magis lex est, vbi Dominus legis timetur, melius dicit, apud Dei ministros agere causam. Facilius enim de Dei timore sententiam legis veram promunt.* Eadem verba exscripsit Anselmus in suo Commentario. Iudices ergo ab Apostolo designatos *Dei Ministros* esse intelligunt, vtique Ecclesiasticos.

Concilium Carthaginense III. Can. 8. *Iniquè de Ecclesiæ consortio iudicat, qui de vniuersa Ecclesia malè sentiendo, de Iudicio sæculari poscit auxilium: cum priuatorum Christianorum causas, Apostolus etiã ad Ecclesiam deferri, atq; ibi determinari præcipiat.* Canonem hunc integrum cap. 10. adduximus: ex quo intelligis, etiam Carthaginense Concilium, hoc de quo agimus, Apostoli loco ad Ecclesiasticam Exemptionem stabiliendam vsum fuisse.

S. Augustinum Episcopum iam supra eodem cap. 10. lamentantem vidimus, quod pro ratione sui muneris Episcopalis, ab Apostolo ad hæc sæcularium causarum iudicia inter Christianos, adstrictus esset; non quod Laicis inter se, eo tempore, non nisi apud Ecclesiasticos Iudices causas suas tractare, licitum fuerit: sed quia liberum erat quibuslibet Christianis Laicis, suas causas Episcopo decidendas offerre; quod complurium etiam Imperatorum legibus sancitum vidimus. *Quibus nos,* inquit Augustinus, *molestijs idem affixit*

effixit Apostolus, non vtiq; suo, sed eius, qui in eo loquebatur arbitrio. Vbi pariter ex Augustino audis diuinam in hac re institutionem, & simul *vides*, inquit Cardinalis Baronius, tom. 1. Ann. 57. *non Honorij legibus*, (non arbitrio litigantium) *sed Apostoli Pauli sancitis decretis, eiusmodi iudicio præfectos fuisse Episcopos, &c.* Addit Augustinus: *Constituit talibus causis Ecclesiasticos Apostolus cognitores, in foro prohibens iurgare Christianos.* Hæc plæraq; iam superius capite 10. & 11. dicta, hic rursum memoriæ causa, Lectori ob oculos posita oportebat. Plura apud Illustrissimum Baronium loco citato.

Deniq; his omnibus addo, quicquid sit de causis sæcularibus Laicorum, inauditum esse in Ecclesia, à Laicis ordinaria potestate Laica iure iudicatos fuisse Clericos; vt ex hoc fere toto libro patet. Quantò minus existimari potest, ipsum Apostolum eius generis potestatem in Laicos contulisse? Vnde necessario efficitur, aut nullo modo à Laicis Clericorum eius etiam generis causas fuisse iudicatas, aut solum ex commissione iudicatas fuisse.

Et quid opus est multis? Ipsemet Apostolus non alium sacerdotum, quam Episcopum fuisse Iudicem, apertè indicat, cum ad Timotheum Episcopũ scribens epist. 1. cap. 5. ait: *Aduersus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus.* Vbi quæstionem de Iudice Sacerdotum velut liquidam supponens, de forma solummodo ipsius iudicij tradenda sollicitus est; nempe vt Episcopus talis & tantus, non nisi sub duobus aut tribus testibus, contra Presbyterum procedere ausit.

Atq; ex his etiam facile intelligitur, quid responderi debeat ad illa argumenta, quibus supra probabatur, hoc Iudicium solummodo, aut potissimum ad Laicos pertinuisse. Illud hic solum aduerte, quod Apostolus dicit, *Contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad indicandum;*

non vt ſonat, ſed velut per hyperbolen & exaggerationem quandam accipiendum eſſe; vt S. Chryſoſtomus, & S. Thomas in hunc locum notarunt: quaſi dicat Apoſtolus, veſtrum erit potius *contemptibiles* (ſi defuerint viri graues & ſapientes) huic iudicio præficere, quam cauſas ad Tribunal gentilium deferre. Sic enim ſeipſum mox interpretatur Apoſtolus. *Ad verecundiam veſtram dico. Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit iudicare fratrem ſuum? &c.*

Verba Chryſoſtomi ſunt iſta: *Cum hyperbole & exuperatione nos volens docere, quòd quicquid ſit, non oporteat externis dare, motâ quæ videbatur eſſe obiectione, ante eam ſoluit. Nam quod dicit eſt huiuſmodi: Fortaſſe dicet quiſpiam, nullum eſſe inter vos ſapientem, neq. qui ad diſcernendum, & iudicandum ſit idoneus. Et quid tum? Nam etſi nullus, inquit, ſit ſapiens, vos minimis permittite.* Et infra: *Eſt enim admodum turpe, ſi ne fratribus quidem ſacerdos poſſit eſſe author reconciliationis, ſed neceſſe ſit recurrere ad externos. Quamobrem dicens; Contemptibiles qui ſunt: non hoc dicit præcipuè, quòd oporteat eos, qui ſunt abiecti, conſtituere; ſed eos tangens. Nam quòd eos ijs qui poſſunt diſcernere ac iudicare, permittere oporteat, ſignificauit, dicens: Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquam.* Diſſerit eadem de re Cardinalis Baronius Anno Chriſti 57. vbi etiam cauſam reddens, cur Apoſtolus in ſua hac ad Corinthios admonitione, nullam Epiſcopi mentionem fecerit, ita loquitur num. 28. *Sed quod nulla à Paulo de Epiſcopo mentio habeatur, cum, vt vidimus, ex ipſius mente in Eccleſia Epiſcopi eiuſmodi officium exercerent; ea apud Ambroſium* (loco cit.) *atque omnino vera affertur ratio: Ideo fratrem iudicem eligendum eſſe dicit, quia adhuc Rector in Eccleſia illorum non erat ordinatus.* Ita S. Ambroſius, & cum eo Card. Baronius.

Quartò obijci poteſt, hoc ſaltem argumento non probari, Principes ſæculares nullum in Eccleſiaſticas perſonas

Ius habere, quandoquidem nec primitiuæ quidem Ecclesiæ tempore, Clericos à Iurisdictione Principum secularium fuisse exemptos hoc argumento probatur. Imò vero eos Ethnicis Imperatoribus fuisse Iure subiectos, non ignobiles scriptores sentiunt, Albertum Pighium secuti libro 8. Eccles. Hierarch. cap. 7. de quo inferius lib. 2. cap. 6. redibit sermo.

Ad hoc respondeo, me ex loco Apostoli, plus probandum non sumpsisse, quam Ecclesiasticos vel à se mutuò, vel ab alijs Christianis etiam Laicis, tùm in criminalibus, tùm in ciuilibus causis, nonnisi ad Ecclesiasticum tribunal, Apostolorum tempore, licitè vocari potuisse; quod ex Apostoli loco euidentissimum est, vt ostendi: nec iam etiam nisi ad hoc tribunal à Christianis vocari posse; huncq; exemptionis qualiscunq; modum ex Apostoli loco, tum exempli similitudine, tum secundum primariam & directam quoq; Apostoli sententiam deduci; siue interim iam tunc etiam Clerici fuerint ab Imperatoris Iurisdictione reipsa & simpliciter exempti, siue non; & siue etiamnum penitus exempti esse debeant, ita vt in actu primo nullam sæculares Principes iurisdictionem in Ecclesiasticos habeant; siue non; de quo ex hoc loco nihil probandum sumpsi. Addo tamen, eo ipso posito, quod hinc immediatè inferri diximus, facile colligi, ipsis etiam Principibus, cum iam ad fidem essent conuersi, potuisse ab Ecclesia præcipi, ne Ecclesiasticos ad suum tribunal vocarent; quod nemo Catholicus negat: quin & Ecclesiasticos ipso Iure diuino ab omni sæcularis Principis directa Iurisdictione exemptos esse; adeoq; etiam Apostolorum tempore ita exemptos fuisse, inferius cap. 17. & 18. & lib. 2. cap. 6. ostendetur. Atque hactenus de exemptione personarum Ecclesiasticarum egimus.

Iam verò ne alteram partem exemptionis Clericorum, quoad bona, silentio prætcrijsse videamur, exstat hac de re insignis etiam locus Matthæi 17. vbi dicitur: *Cum venissent* (Christus & discipuli) *Capharnaum, accesserunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non soluit didrachma? Ait, etiam. Et cum intrasset in domum, præuenit eum Iesus dicens; Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum? à filijs suis, an ab alienis? Et ille dixit, ab alienis. Dixit illi Iesus: Ego liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore, inuenies staterem, illum sumens, da pro me & te*. Vnde triplex potissimum argumentum sumi potest, ad probandam discipulorum Christi & Sacerdotum, qui eis successerunt, immunitatem à tributo. Primum, quia Christus tantum pro se & Petro (& nec id quidem, nisi vitandi scandali caussà) soluit tributum, soluturus etiam pro alijs, si obligati fuissent ad eius solutionem. Secundò, quia satis apertè indicat, S. Petrum fuisse immunem à tributo, hoc ipso, quòd pro eo quoque non nisi vitandi scandali causa tributum soluit; iuxta illud: *Vt autem non scandalizemus eos, &c.* Tertio quia asserit Christus, filios Regum esse liberos a tributo, aut hoc nomine cunctos significans Apostolos; aut seipsum, tanquam filium naturalem regis æterni, ac propterea liberum; exemplo humanæ politiæ. Quod exemplum si bonum est, probat etiam, familiares ipsius Christi, à tributo liberos esse; cum & in humana politia, non tantum filius ipse Regis, sed etiam familia eius à tributis libera esse soleat. Vnde & Hieronymus in eum locum ait: *Pro illius (Christi) honore & tributa non reddimus, & quasi filij regis à vectigalibus immunes sumus*. Et S. August. lib. 1. quæst. Euang. q. 23. scribit, *In omni regno terreno, non esse vectigales filios regni illius, sub quo sunt*

ſunt omnia regna terræ. Addi poteſt, Chriſtum vel ob hanc etiam cauſſam, quòd bona pauperum & Eccleſiæ, in tributum conuertenda non eſſent, noluiſſe ex communibus loculis ad ſuorum victum deſtinatis, tributum ſoluere; ſed alia quaſi fortuita occaſione acquiſitam pecuniam in tributum impendere voluiſſe. Plura inferius.

CAPVT XV.

EXEMPTIONEM SACERDOTVM, ETIAM APVD IVDÆOS OLIM, EX ANTIQVÆ LEGIS DECRETO viguiſſe.

IOannes Marſilius & Paulus Venetus vt cap. 2. dictum, inter alia ſuæ cauſæ firmamenta etiam hoc adhibent, quòd olim in Eccleſia Iudæorum Sacerdotes fuerint Moyſi velut politico Principi ſubiecti. Moſen enim Sacerdotem non fuiſſe velut pro comperto ſumunt. Sed contrarium contra hos tùm ex conſuetudine & inſtituto Moſaicæ Eccleſiæ, tùm ex omniũ quaſi gentium moribus non eſt difficile oſtendere, nempe ipſo omnium gentium iure Sacerdotes fuiſſe à ſæculari poteſtate exemptos, tùm quoad ſe, tùm quoad bona.

Et quidem ad Iudæorum ſynagogam quod attinet, illud in primis inter Catholicos certum eſt, & exploratum; tùm in cauſis Eccleſiaſticis & fidei, tùm in cauſis ciuilibus & criminalibus, ſupremam iudicandi poteſtatem fuiſſe penes ſummum ſacerdotem; ita vt ſi quæſtio in his difficilior, quæ non ita liquidè ab inferioribus Iudicibus diſcerni poſſet, occurreret, ad ſummum Sacerdotum, velut ad ſupremum Iudicem eſſet referenda; vt eruditè contra hæreticos docuit Cardinalis Bellarminus lib. 3. de Verbo Dei cap. 4.

Locus est manifestus Deuter. 17. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, inter sanguinem, & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram; & iudicum intra portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesq. ad sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore; quæresq. ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcunq. dixerint qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius; sequerisq. sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neq. ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo suo, ex decreto Iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israël; cunctusq. populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia.* Vbi aduertis lector, nomine sanguinis, causam *criminalem*; nomine causæ, litem etiam *ciuilem*; nomine lepræ causam propriè *Ecclesiasticam* esse designatam; vt planè perspicuum sit, causarum quarumlibet ambiguarum supremam dijudicationem ad Sacerdotes pertinuisse. In quem sensum lib. 2. cap. 8. etiam Innocentium III. differentem adducemus.

Quocirca etiam Numerorum cap. 20. docemur, ipsum quoq; Israëlitici populi Principem, in maioris momenti rebus nil absque Sacerdotum nutu gerere debuisse. Sic enim Deus ad Moysen loquitur: *Tolle Iosue filium Nun, virum in quo est Spiritus Dei, & pone manum tuam super eum, qui stabit coram Eleazaro Sacerdote, & omni multitudine, & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, vt audiat eum omnis synagoga filiorum Israël. Pro hoc siquid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum, ad verbum eius egredietur, & omnes filij Israël cum eo, & cætera multitudo.* Et Iosue 4. Sacerdos idem simul cum Iosue terram dispertitur: *Hoc est, quod possederunt filij Israël in terra Chanaan, quam dederunt eis Eleazar*

zar Sacerdos, & Iosue filius Nun, & principes familiarum, pro tribubus Israël, sorte omnia diuidentes, &c.

Similis locus est, 2. Paralip. 19. Vbi Rex Iosaphat Sacerdotum munus exponens ait: *Omnem causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in vrbibus suis, inter cognationem & cognationem, vbicunq; quæstio est de lege, de mandato, de ceremonijs, de iustificationibus; ostendite eis, vt non peccent in Dominum, &c.* Cur autem omnis quæstio Iuris intricatior ad Sacerdotum summum tribunal esset referenda, in quacunq; materia, seu ciuili, seu criminali, seu per se ipsius fidei, hæc inter alias erat etiam præcipua causa: quòd omnes eo tempore controuersiæ nonnisi ex verbo Dei essent decidendæ; quandoquidem innumeris legibus, & iudicialibus, & ceremonialibus, quid in vnoquoq; casu facto opus esset, Deus ipse docuerat.

Cum ergo iudicium de diuina lege ad Sacerdotes spectaret, vtiq; etiam iudicium de quibuslibet causis, non nisi ex lege DEI decidendis, si ambiguæ essent, ad Sacerdotes pertinebat. Ex his autem efficitur, ipsum etiam Principum sæcularium iudicium, fuisse denique in ambiguis rebus, subiectum Sacerdotum iudicio; tantum abest, vt hi fuerint subiecti eorum iudicio. Quomodo enim iudicarent illi suos, à Deo sibi præfectos iudices; nisi vel à supremo iudice, Sacerdote summo, accepta potestate, vel certè præuia ipsorum Sacerdotum, siue Leuitarum libera electione, qua se sponte iudicibus sæcularibus submitterent!

Confirmari id potest ex Numerorum cap. 3. vbi Deus identidem repetit, Leuitas Aaroni, eiusq; Sacerdotibus velut diuinum quoddam peculium, dono datos esse. Sic enim Deus ad Moysen locutus dicitur, versu 9. *Dabisq; dono Leuitas Aaron, & filijs eius, quibus traditi sunt à filijs Israël.* Et

versu 12. *Ego tuli Leuitas à filijs Israël, pro omni primogenito qui aperit vuluam, in filijs Israël, eruntq; Leuitæ mei.* Et versu 41. *Tolletq; Leuitas mihi pro omni primogenito filiorum Israël, ego sum Dominus.* Et versu 45. *Tolle Leuitas pro primogenitis filiorum Israël, & pecora Leuitarum, pro pecoribus eorum, eruntque Leuitæ mei, ego sum Dominus.* Cum ergo sibi Deus Leuitas, à numero filiorũ Israël segregatos, planè in peculiare quoddam peculium vendicarit, idque Aaroni & successoribus eius consignauerit, non est credibile, eos alium, quam Aaronem, superiorem agnoscere debuisse; vt optimè etiam notauit Cardinalis Bellarminus.

Deinde manifestum est, Sacerdotes & Leuitas à cæteris separatos vixisse, cum haberent suas proprias ciuitates, & seiuncta ab alijs domicilia, vt patet Deut. 10. & Iosue 21. Cum ergo communes quælibet causæ, à iudicibus proprijs cuiusque ciuitatis iudicandæ essent, ex cit. Deuter. 17. sequitur, etiam Leuitas ex sua tribu proprios habuisse iudices; atque adeo ab alijs aliarum tribuum iudicijs fuisse exemptos; nisi fortè in alijs etiam ciuitatibus habitare volentes, sponte sua iudicibus etiam Laicis, se iudicandos vellent submittere, vt dixi.

Imò quanquam, vt nonnunquam accidit, Leuitæ alijs tribubus permixti viuerent, ne sic quidem probatur, eos ordinario Iure ab alijs, quam Leuitis, fuisse iudicatos. Sicut enim Leuitæ in cæteris rebus, maioris erant, quam alij, dignitatis; quin & ad Leuiticæ tribus homines, suprema iudicij autoritas pertinebat, vt ostensum; ita credibile est, eo ipso casu, quo ex Leuitis quispiam ad iudicium externæ ciuitatis, in qua habitaret, deferendus esset, non nisi à Leuitis, ad alios nempe iudices loci adlectis, fuisse iudicatum.

Indicium aliquod huius rei sumere possumus ex Iudicum

cum cap. 17. vbi Michas de tribu Ephraim, Leuitici generis hominem, quanquam ætate minimè venerabilem, adeptus, sibi voluit esse Sacerdotem & Parentem, nulla proinde ratione, suæ iurisdictioni subiectum. Sic enim habet Scriptura: *Fuit quoque alter adolescens de Bethlehem Iuda, ex cognatione eius* (Michæ) *erat q; ipse Leuites, & habitabat ibi. Egressusq; de ciuitate Bethlehem, peregrinari voluit, vbicunq; sibi commodum reperisset. Cumq; venisset in montem Ephraim, iter faciens, & declinasset parumper in domum Micha, interrogatus est ab eo, vnde venisset. Qui respondit: Leuita sum de Bethlehem Iuda, & vado, vt habitem vbi potuero, & vtile mihi esse perspexero. Dixitq; Michas: Mane apud me, & esto mihi Parens ac Sacerdos, daboq; tibi per annos singulos, decem argenteos, ac vestem duplicem, & quæ ad vitam sunt necessaria. Acquieuit, & mansit apud hominem, fuitq; illi quasi vnus de filijs. Impleuitq; Michas manum eius, & habuit puerum sacerdotem apud se. Nunc scio, dicens, quod benefaciet mihi Deus, habenti Leuitici generis sacerdotem.* Ecce quanta sacerdotis, etiam adolescentis, obseruantia; vt eum quidem Michas, alimenti ratione tanquam filium; autoritate verò & potestate velut Patrem agnosceret.

Certè quidem alioqui communi Iure, nisi si quid aut priuilegio, quale à Deo peculiariter concessum videri potest Salomoni perimenti Abiathar 3. Reg. 2. aut vi iniusta factum est; qualis cernitur in Saule perimente Achimelech Sacerdotem, eiusq; familiam, 1. Regum 22. alijsq; Regibus & Magistratibus populi Iudaici sæpius; Sacerdotes ob perpetrata scelera ab alijs sæcularibus iudicibus fuisse iudicatos, non legimus.

Ad Moysen quod attinet, certo certius est, eum non solum ex tribu Leui, sed etiam Sacerdotem fuisse; & quidem ipso Aarone maiorem; licet velut extraordinarium, cui

bus, quas accipiebant; sed illis soluebantur decimæ, tùm à cæteris tribubus, tùm etiam ab ipsis Leuitis ex decimis, quas hi percipiebant; vt colligitur ex Num. 18. & apertius docet Iosephus lib. 4. antiquit. cap. 4. *Nunc*, inquit, *dicendum, quæ sint sacerdotum propria. Ex quadraginta octo oppidis præcepit Deus, vt Leuitæ concederent eis tredecim, & decimarum à populo acceptarum decimas penderent*; etsi sint nonnulli qui putent, eas decimas decimarum soli summo sacerdoti fuisse solutas. Sed contrarium etiam docet S. Hieronymus in Ezech. 45. *Decada*, inquit, *hoc est, decimam partem omnium frugum, Leuiticæ tribui populus ex lege debebat. Rursus ex ipsis decimis Leuitæ (hoc est, inferior ministrorum gradus) decimas dabant Sacerdotibus. Et hæc est, quæ appellatur secunda decima.* Et in epist. ad Fabiolam 126. de veste Sacerdotali: *Aeditui*, inquit, *& Ianitores accipiunt decimas. Et rursus, decimas decimarum offerunt sacerdotibus, tantò illis minores, quantò ipsi maiores populo.*

Quod verò etiam à populo soluerentur decimæ ipsis sacerdotibus, docet idem Iosephus lib. 4. Antiquit. cap. 4. *Et insuper*, inquit, *à toto populo decimas annui fructus exegit, Leuitis simul ac sacerdotibus conferendas*. Et Nehemias cap. 4. *Erit autem sacerdos filius Aaron cum Leuitis, in decimis Leuitarum.* Quod etiam Azor noster docet esse verisimilius, lib. 6. cap. 11. quæst. 3. nec mihi videtur in dubium vocari posse, cum S. Paulus ad Hebræos cap. 7. apertè doceat, *de filijs Leui sacerdotium accipientes, mandatum habuisse decimas sumere à populo, secundum legem*; quicquid Abulensis putârit, à populo Leuitis tantum, non etiam sacerdotibus decimas fuisse pensitandas; sicut etiam decimas decimarum à Leuitis soli sacerdoti summo fuisse persoluendas, censuerunt idem Abulensis, & Lyranus in citatum locum Num. 18. Sed parum refert ad propositum nostrum, vtrumuis dicamus.

Hoc certum, nec Leuitas nisi decimas decimarum, seu sacerdoti summo tantum, seu omnibus sacerdotibus; nec sacerdotes vllas omnino decimas soluere debuisse, vt patet ex citato Numerorum capite 18. Quod insigne quoddam immunitatis priuilegium erat, ad bona Leuitarum & Sacerdotum pertinens. Quod si ea quæ de Iure Regis Israël dicuntur lib. 1. Reg. cap. 8. accuratius expendamus, apertè etiam intelligemus, contributionem ad Regis sustentationem pertinentem, ex aliarum quidem tribuum personis, agris, ac possessionibus fuisse faciendam; sed non etiam Leuitarum, quorum personas diuino cultui ipso diuino Iure constat fuisse distinatas, res autem ad ciuilia onera obligari potuisse, non est credibile; vt mox dicetur.

Deinde præclarum huius exemptionis testimonium exstat Exodi 30. & Numerorum cap. 1. vnde manifestissimum euadit, Leuitas olim ipso Iure diuino à tributi pensitatione fuisse liberos. Cum enim Exodi 30. omnes filij Israël à viginti annis & supra, iuxta rationem numeri postea initam Numerorum cap. 1. tributo subijcerentur, hoc ipso loco ab eo numero eximuntur Leuitæ. Verba prioris loci sunt ista: *Locutusq́ue est Dominus ad Moysen dicens: Quando tuleris summam filiorum Israël iuxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, & non erit plaga in eis, cum fuerint recensiti. Hoc autem dabit omnis, qui transit ad nomen, dimidium sicli, iuxta mensuram templi. Siclus viginti obolos habet. Media pars sicli offeretur Domino. Qui habetur in numero, à viginti annis & supra, dabit pretium. Diues non addet ad medium sicli, & pauper nihil minuet. Susceptamq́ue pecuniam, quæ collata est à filijs Israël, trades in vsus tabernaculi testimonij, vt sit monimentum coram Domino, & propitietur animabus eorum.* Vbi audis tributum hoc fuisse persoluendum duntaxat ab ijs, qui postmodum in numero filiorum Israël iuxta Dei præ-

ceptum, essent recensendi. Quod qua ratione factum sit citato capite 1. Numerorum, apertè declaratur. Nempe singulis tribubus, excepta Leuitica, ordine recensitis *fuerunt*, inquit scriptura, *omnis numerus filiorum Israël, per domos & familias suas, à vigesimo anno & supra, qui poterant ad bella procedere, sexcenta tria millia virorum, quingenti, quinquaginta.* Sed quid de Leuitis? Audi, quid è vestigio scriptura subiungat; *Leuitæ autem, in tribu familiarum suarum, non sunt numerati cum eis. Locutusq́; est Dominus ad Moysen dicens; Tribum Leui noli numerare, neq; pones summam eorũ cum filijs Israël: sed constitue eos super tabernaculum testimonij, & cuncta vasa eius, & quicquid ad ceremonias pertinet, &c.* Vides apertè Leuitas à numero filiorum Israël, & per consequens à tributo exemptos?

Postremò & illud non leue Leuitarum priuilegium erat, in hoc genere, quòd domus Leuitarum nunquam in perpetuum alienari potuerunt; cum tamen aliarum tribuum ædes possent etiam perpetua alienatione distrahi. Vtrumq́; legimus Leuit. 25. vbi dicitur: *Qui vendiderit domum intra vrbis muros, habebit licentiam redimendi, donec vnus impleatur annus. Si non redemerit, & anni circulus fuerit euolutus, emptor possidebit eam, & posteri eius in perpetuum, & redimi non poterit, etiam in iubilæo. Sin autem in villa fuerit domus, quæ muros non habet, agrorum iure vendetur. Si ante redempta non fuerit, in iubilæo reuertetur ad dominum.* Hæc de ædibus aliarum tribuum. Iam verò de Leuitarum domibus, mox ista subduntur: *Aedes Leuitarum, quæ in vrbibus sunt, semper possunt redimi. Si redempta non fuerint, in Iubilæo reuertentur ad dominos; quia domus vrbium Leuitarum pro possessionibus sunt inter filios Israël. Suburbana autem eorum non veneant, quia possessio sempiterna est.*

Dicet aliquis, nimis disparem esse conditionem nostrorum Clericorum; & Leuitarum ac sacerdotum illius temporis.

poris. Hi enim non alia ferè bona habebant, quam decimas, & pauculas aliquot possessiones, quas, seruata proportione, nostrorum Ecclesiasticorum bona ac possessiones multis partibus superent. Sed primum etsi quædam esset hac in parte disparitas, tamen & ea ipsa rationi comprobatur esse conueniens. Sicut enim sacerdotes nostri veteres dignitate (adde etiam laborum assiduitate, & onerum magnitudine) multis partibus superant, ita etiam inconueniens nullum esset, si maximè etiam externa opulentia veteres superarent: cum ipsius Dei oraculis proditum sit, sacerdotium noui testamenti fore externo etiam apparatu & splendore, quam maximè conspicuum, vt infra dicetur.

Deinde equidem non video, quæ sit ista disparitas; si æqua proportio seruetur, & simul expendantur ea, quæ de Leuitarum ac sacerdotum reditibus sacra scriptura commemorat: & hoc velut compendio complexus est Iosephus lib. 4. Antiquit. Iud. cap. 4. *Moses autem*, inquit, *posteaquam Leuiticam tribum diuino cultui dicatam, immunem à militia fecisset*, (audis immunitatem) *ne fortè in parandis ad vitam necessarijs occupati, negligentius sacra tractarent, mandauit, vt post armis ac Dei fauore quæsitam Chananaam, ex oppidis eius, quadraginta octo bona & pulchra Leuitis distribuerentur, cum agro mœnibus eorum contiguo, duum millium cubitorum, & insuper à toto populo decimas annui fructus exegit, Leuitis simul ac sacerdotibus conferendas: atq; hi posthac eius tribus solennes reditus fuêre.*

Nunc dicendum, quæ sint sacerdotum propria. Ex quadraginta octo oppidis iussit, vt Leuitæ concederent eis tredecim, & decimarum quotannis à populo acceptarum decimas penderent: præterea vt populus Deo primitias omnium fructuum è terra prouenientium offerret, & ex quadrupedibus, quæ mactare fas est, primogenitum, si masculum fuerit, sacrificandum sacerdotibus adducat, vt eo cum

fami-

familia vescantur in vrbe sacra. Pro eis verò, quibus patria lex vesci vetat, dominus fœtus siclum cum dimidio dependat; pro homine verò primogenito quinque siclos, deberi eis etiam primitias tonsuræ ouium; & qui panes coquunt, liba aliquot eis præbere. Qui verò ex voto se consecrant, Nazaræi dicti, capillum alentes, & vinum non gustantes, cum capillum consecrant, victimas eorum sacerdotibus cedere. Item qui Corban seipsos nominant, hoc est, Dei donum, si velint à ministerio, ad quod se vltrò obligauerunt dimitti, sacerdotibus pecuniam numerare, mulierem triginta siclos, virum quinquaginta. Qui verò tantum pecuniæ non habuerint, hos Sacerdotum arbitrio relinquendos. Quin & si quis domi mactet ad priuatum epulum, non ob cultum diuinum, offerendum tamen sacerdotibus pecoris pectus & brachium dextrum. Tantum est, quod sacerdotibus Moses attribuit, præterq; quicquid pro peccatis populus offert, vt in proximè præcedenti volumine diximus. Ita Iosephus.

Cum ergo sola Leuitarum familia in terra promissionis, quæ aut nullo modo, aut certè non multò maior erat, quam Bauariæ prouincia, haberet quadraginta octo oppida, cum suburbanis, vt patet etiam Numer. cap. 35. & Iosue 2. deinde decimas totius terræ promissionis; tàm ex animalibus, quàm ex fructibus; haberent insuper Sacerdotes multam variarum oblationum copiam; adhæc succederent Leuitæ Iure hæreditario in bonis Parentum; quod sæpe Ecclesiasticis non licet: quis non videt, Leuitas veteres secundum proportionem, aut nullo modo, aut non multo minus opum habuisse, quam habeant modo Ecclesiastici; secundum proportionem inquam, comparando videlicet opes quas Leuitæ tenebant, cum ipsis Leuitis, qui non erant, tertia decima, imò vix sexagesima (vt doctè ostendit Card. Bellarminus lib. 1. de Cleric. cap. 25.) pars populi; & rursum comparando opes & bona Ecclesiasticorum, cum

hac tanta Ecclesiasticorum, earumq; personarum, quas pro suo seruitio alere necessariò debent, multitudine, quę nunc in Ecclesia cernitur. De qua re præclare differit Bellarminus loc. cit. & Dominicus Sotus lib. 8. de Iustit. quæst. 4. artic. 1, vbi dicit Numerum Clericorum seu Ecclesiasticorum forsan esse *duodecimam partem populi Christiani*, aut certe *decimam quintam, vel vigesimam.*

Quibus addo, hanc quan tamcunq; bonorum Ecclesiasticorum copiam multum abesse ab ea bonorum parte, quam in ciuitate optimè constituta, Aristoteles voluit diuino cultui esse addictam. Ita enim scribit lib. 7. Polit. cap. 10. *Præterea in sacrificijs, cultuq; Deorum sumptus communes esse debent totius ciuitatis. Est igitur necessarium in duas partes regionem diuidere, aliam publicam, & aliam priuatorũ. Vtraq; illarum partium rursus diuidenda est; illius namq; partis, quam publicam esse debere diximus, vna pars Deorum cultui deputanda est; altera verò ad comessationum impensam. Rursus verò priuati agri pars vna ad proprias necessitates est deputanda, altera vero ad ciuitatem.* Vbi vides, quartam partem soli, destinari cultui sacro, & nihilominus sacerdotibus, vt priuatis, suam partem relinqui.

Habemus ergo exemplum de Leuitis Mosaicæ Ecclesiæ, vtriusq; exemptionis, tam quoad bona, quam quoad personas. Quod ad Clericos Ecclesiæ Christianæ, quos non decet vllo modo inferioris esse conditionis, optimè traducitur; cum etiamsi illi nullum penitus in hoc genere priuilegium habuissent, non tamen idcirco Clericis Ecclesiæ Christi tanto dignioribus, quanto excellentioris Sacerdotij ministris esset derogandum.

CAPVT

CAPVT XVI.

EXEMPTIONEM SACERDOTVM COMMVNI GENTIVM VSV RECEPTAM FVISSE; ADEOQVE ESSE Iuris gentium.

SED ad legem naturæ veniamus, & videamus, an non tunc etiam ipso naturæ ductu aliquod priuilegium, seu peculiare beneficium sacerdotibus delatum reperiamus. Certèquidem Gen. 14. legimus Abrahamum decimas persoluisse Sacerdoti Melchisedech. Quod & Apostolus in epistola ad Hebræos cap. 8. inter alia argumenta excellentiæ Sacerdotij secundum ordinem Melchisedech adducit: *Hic enim Melchisedech*, inquit, *Rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obuiauit Abrahæ regresso à cæde Regum & benedixit ei: cui & decimas omnium diuisit Abraham, &c.* Et paulò post: *Intuemini autem*, inquit, *quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha, &c.* Si ergo Abraham dux alioquin ipse & Princeps decimas dedit Melchisedecho, par est, & Sacerdotes Christi secundum ordinem Melchisedech pari beneficio frui.

Egregium itidem exemplum immunitatis bonorum Sacerdotalium legimus Genesis 47. Vbi Ioseph administrator Ægypti à Pharaone constitutus, emptionis titulo totam terram Ægypti, cum omnibus incolis in seruitutem & sub tributum Regis adegit, excepta terra sacerdotum, quæ à tali onere immunis transijt. Sic enim habet Scriptura: *Emit igitur Ioseph omnem terram AEgypti, vendentibus singulis possessiones suas, præ magnitudine famis. Subiecitq; eam Pharaoni, & cunctos populos eius à nouissimis terminis AEgypti vsque ad extremos fines eius, præter terram sacerdotum, quæ à Rege tradita fuerat eis: quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbe-*

 bantur,

bantur, & idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas, &c. Et infra: *Ex eo tempore, vsq; in præsentem diem in vniuersa terra AEgypti regibus quinta pars soluitur, & factum est quasi in legem, absq; terra sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit.*

Quo exemplo Alexander III. in Concilio Lateranensi meritò Ecclesiasticæ Immunitatis violatores perstringit, vt habetur cap. *Non minus*, de Immunit. Eccles. *In diuersis*, inquit, *mundi partibus consules ciuitatum & rectores, nec non & alij, qui potestatem habere videntur, tot onera frequenter imponunt Ecclesijs, vt deterioris conditionis factum sub eis Sacerdotium videatur, quàm sub Pharaone fuerit, qui legis diuinæ notitiam non habebat. Ille quidem omnibus alijs seruituti subactis, Sacerdotes, & possessiones eorum in pristina libertate dimisit, & eis alimoniam de publico administrauit: Isti verò onera sua fere vniuersa imponunt Ecclesijs, & tot angarijs eas affligunt, vt eis quod Hieremias deplorat, competere videatur: Princeps prouinciarum facta est sub tributo. Siue quidem fossata, siue expeditiones, seu alia qualibet sibi arbitrentur agenda, de bonis Ecclesiarum, & Clericorum, & pauperum Christi vsibus deputatis volunt ferè cuncta compleri. Iurisdictionem etiam, & auctoritatem prælatorum ita euacuant; vt nihil potestatis eis in suis videatur hominibus remansisse. Quocirca sub anathematis districtione fieri de cætero talia prohibemus; nisi Episcopus, & clerus, tantam necessitatem vel vtilitatem aspexerint, vt absq; vlla exactione, ad releuandas communes necessitates, vel vtilitates, vbi Laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existiment conferenda. Si autem Consules aut alij de cætero ista commiserint, & commoniti desistere noluerint, tam ipsi, quam fautores eorum, excommunicationi se nouerint subiacere: nec communioni reddantur, donec satisfactionem fecerint competentem.* Hactenus Pontifex.

Eiusdem legis naturæ ductu, nonnunquam etiam Ethnici Reges ab exactionibus ciuilibus Sacerdotes & Leuitas vere-

veteris Testamenti liberos esse voluerunt. Etenim Artaxerxes Rex Persarum pro Esdra summo Sacerdote, alijsq; Ministris templi ita ad suos Præfectos rescripsit, lib. 1. Esdræ cap. 7. *Ego Artaxerxes Rex statui atq; decreui, omnibus custodibus arcæ publicæ, qui sunt trans flumen, vt quodcunq; petierit à vobis Esdras Sacerdos, scriba legis Dei cæli, absq; mora detis, vsq; ad argenti talenta centum, & vsq; ad frumenti coros centum, & vsq; ad vini batos centum, & vsq; ad batos olei centum; Sal verò absque mensura. Omne quod ad ritum Dei cæli pertinet, tribuatur diligenter in domo Dei cæli, ne fortè irascatur contra regnum Regis, & filiorum eius.* Hactenus Rex ex ærario publico commeatum Sacerdotibus prçstari iussit. Infra verò de exemptione à tributis, hoc modo rescribere pergit: *Vobis quoq; notum facimus de vniuersis Sacerdotibus, & Leuitis, & Ianitoribus, Nathinæis & ministris domus Dei huius, vt vectigal, & tributum, & annonas non habeatis potestatem imponendi super eos.* Ita Rex.

Eodem modo apud Romanos olim, Sacerdotes non tantum tributum non pendebant, sed etiam ex publico ærario sumptus accipiebant. De qua re Dionysius Halicarnassæus historiæ Romanæ lib. 2. ita scribit: *De Sacerdotibus autem eorumq; ministris legem tulit* (Romulus,) *eligi eos à suis curijs, quam electionem ita demum ratam haberi, si comprobata fuisset ab Auguribus. Demum cultu sic constituto, rursus sacra, vt iam dixi, sua cuiq; curiæ partitus est, assignatis in singulas dijs & dæmonibus, quos perpetuò colerent; sumptusq; in hoc attribuit ex ærario publico.* Ita Dionysius, qui etiam asserit, eosdem Sacerdotes *per priuilegium exemptos fuisse tum à militia, tum ab vrbanis molestijs.* Ac in eundem sensum scripsit Plutarchus in Camillo, lege cautum apud Romanos fuisse, *vacationem belli Sacerdotibus, præterquam Gallico tumultu esse.*

De Druidibus veterum Gallorum Sacerdotibus ita scribit Iulius Cæsar lib. 6. de bello Gallico: *Druides à bello abesse*

consueuerunt, neq; tributa vna cum reliquis pendunt, militiæ vacationem, omniumq; rerum habent immunitatem, &c. Et addit, hoc institutum à Britannis ad Gallos promanasse, vt pariter cum de Galliæ ac Britanniæ Sacerdotum immunitate testem habeamus.

Iam inter Christianos cum primum Imperatores solemni professione fidem receperunt, mox priuilegio Immunitatis Sacerdotes donarunt, vt supra exemplo Constantini demonstrauimus; eamq; concessionem non arbitrariam fuisse, sed necessariam & ab ipsomet naturæ lumine dictatã, satis ipsimet Imperatores significarunt; & inter alios Iustinianus ijs verbis legis 18. Cod. de sacrosanctis Ecclesijs, vbi de immunitate à quibusdam communibus Reipub. oneribus loquens ait: *Cur enim non facimus discrimen inter res diuinas, & humanas; & cur non competens prærogatiua cælesti fauori conseruetur?* Atq; hæc ad bonorum ferè exemptionem pertinent.

Quod verò ad personas attinet, constat, quasi vbiq; gentium, Sacerdotes non solum Laicorum iudicijs subiectos non fuisse, sed & de Laicis, & de rebus totius Reipub. ipsos iudicare consueuisse. Nam in veteri Romanorum Republica omnia propemodum à Sacerdotibus administrari solita, testatur Pomponius Digestis de origine Iuris lege 2. vbi ait: *Eodem pene tempore tria hæc Iura nata sunt; leges duodecim tabularum, ex his fluere cœpit Ius ciuile; & ex ijsdem legis actiones composita sunt. Omnium tamen harum & interpretandi scientia, & actiones, apud Collegium Pontificum erant: ex quibus constituebatur, quis quoq; anno præesset priuatus: & populus prope centum annis hac consuetudine vsus est.*

Præclarè etiam Cicero lib. 2. de legibus, Romanorum Sacerdotum atq; Augurum authoritatem ex Romanis institutis describit: *Sacerdotes,* inquit, *vineta, virgetaq;, & salutem*

tem

tem populi auguranto; quiq; agent rem duelli, quiq; populare auspicium præmonento: olliq; obtemperanto, diuorumq; iras prouidento, ijsq; parento, &c. quaq; augur iniusta, nefasta, vitiosa, dira defixerit, irrita, infectaq; sunto: quiq; non paruerit capitale esto. Fœderum, pacis, belli, induciarum oratores, feciales, Iudices sunto, &c.

Nec minoris momenti sunt illa, quæ Dionysius Halicarnassæus lib. 2. Roman. Antiquit. de Pontificibus ac Sacerdotibus refert: *Vltima,* inquit, *in sacris ordinibus à Numa institutis classis est maximi apud Romanos Sacerdotij, & cuius potestas est amplissima. Hi ab vno suorum operum reficiendo, scilicet ponte sublicio, ipsorum lingua vocantur Pontifices, summa authoritate præditi. Nam omnes lites sacras iudicant, inter priuatos pariter & magistratus, ac sacrorum Ministros* (omnes vtique lites iudicant:) *leges etiam ferunt de sacris, quæ nondum scriptis mandata, nec vsu recepta sunt, si digna videantur, quæ legibus & consuetudinibus sanciantur. In omnes item Magistratus, quibus sacrificia, & Deorum cultus est commissus, & in omnes Sacerdotes inquirunt: ministros quoq; sacrorum in officio continent, ne quid contra sacras leges delinquant; rudi etiam vulgo deorum ac geniorum cultum præmonstrant, & interpretantur. Quod si quem animaduertant, præscripta sua contemnere, eum mulctant pro delicti magnitudine. Ipsi à iudicijs & mulcta sunt immunes; nec tenentur vel Senatui, vel populo rationem reddere.* Hactenus Dionysius de Romanis, ijsdemq; Ethnicis Pontificibus & Sacerdotibus. Pro vestalium virginum immunitate & priuilegijs tuendis, magnopere satagentem Symmachum inter Romanos doctissimum, inferius lib. 2. cap. 14. adducemus.

Sed & de Romanis, alijsq; gentibus, nil in hoc genere breuius simul, & plenius dici potest, quàm quod Cardinalis Baronius tom. 1. Annal. Anno Christi 57. hac velut synopsi breuiter complexus est: *At verò,* inquit, *hæc non tantum apud Christianos firma fixaq; diuinæ scripturæ testimonijs, patrumq;*

De Sacerdotibus item Gallorum qui Druidæ dicebantur, hæc Cæsar: Com. de bello Gall. lib. 6. Magno hi sunt apud eos honore; nam fere de omnibus controuersijs publicis priuatisq; constituunt; & si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hæreditate, de finibus controuersia est; ijdem discernunt; præmium, pœnasq; constituunt. (Si quis autem, inquit Cæsar, *priuatus, aut populus eorũ decreto nõ stetit, sacrificijs interdicunt. Hæc pœna apud eos est grauissima. Quibus ita est interdictum, ij numero impiorum ac sceleratorum habentur; ab ijs omnes decedunt, aditum eorum, sermonemq; defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant: neq; ijs petentibus Ius redditur, neq; honor vllus communicatur. His autem omnibus Druidibus præest vnus, qui summam inter eos habet autoritatem.)* Quæ à Cardinali Baronio breuitatis caussa prætermissa, nos ex Cæsare suppleuimus; cum quo ita rem prosequitur illustrissimus idem annalium scriptor: *Hi certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ habetur media; considunt in loco consecrato: huc omnes vndiq; qui controuersias habent, conueniunt, eorumq; iudicijs, decretisq; parent.*

At in Romana Republ. omnium celeberrima, ac optimis legibus ornatissima, quantum fuerit præ cæteris magistratibus ius Augurum, Tullius lib. 2. de legibus, ante alios eleganter his verbis declarat. Maximum autem & præstantissimum in Republ. ius est Augurum, cum est auctoritati coniunctum: neq; verò hoc, quia sum ipse Augur, ita sentio, sed quia sic existimare nos necesse est. Quid enim maius est, si de iure quærimus, quàm posse à summis imperijs, & summis potestatibus comitia tollere? concilia vel instituta dimittere, vel habita rescindere? Quid grauius, quam rem susceptam dirimi, si vnus Augur aliter dixerit? Quid magnificentius, quam posse decernere, vt magistratu se abdicent Consules? Quid religiosius, quàm cum populo, cum plebe agendi ius aut dare, aut non dare? quid legem, si nõ iure rogata est, tollere? hæc & alia multa ibi auctor.

Suntq; de his complura exempla apud Liuium, Dionysium, Dionem, & alios; quæ recensere non opus est.

Sed quod ius natura cunctos populos docuit, ac ius gentium ratum habuit, apud Hebræos lex diuinitus lata amplius perfectiusque monstrauit; nimirum vt penes Sacerdotes summa rerum esset; & licet aliquando Reges habere cœperint; tamen ijdem Reges subiecti erant summo Pontifici, qui suo arbitrio moderabatur magnum illud Concilium septuaginta duorum Seniorum, quod Zanedrim dicebatur, cuius (vt superius dictum est) erat officium ac munus, de Lege, Rege, atque Propheta iudicare: quamobrem Herodes maior molestè ferens, se illi subijci; etsi tyrannus esset, tamen non eo temeritatis peruenit, vt illud abrogare, ac penitus antiquare præsumpserit; sed eos, qui tunc illius essent Collegij, amouerit, & alios subrogauerit. Verum hæc superius.

Si igitur (quod Socrates dicit in Xenophonte lib. 4. de fact. & dict. Socrat.) *quod ab omnibus gentibus obseruatum est, id non nisi à Deo sancitum esse, dicendum est; profectò etiamsi nulla de his in diuinis scripturis scripta lex appareret, tamen Sacerdotum* (dignitas peculiaribus vndiq; priuilegijs ornata &) *iudiciaria potestas, diuino iure concessa, ex prædictis satis probata, atq; testata haberetur.* Hactenus Illustrissimus Annalium scriptor. De Iure autem diuino mox plura dicentur.

CAPVT XVII.

EXEMPTIONEM CLERICORVM TAM A IVDICIIS, QVAM AB EXACTIONIBVS CIVILIBVS ESSE IVris diuini.

GRAVIS hæc est inter Doctores controuersia; quam etsi absque præiudicio eius causæ, quam Ecclesia contra Venetos tuetur, prætermittere poteram; cum sequenti libro, quicquid sit hac

de

dere, nihilominus perſpicuum futurum ſit, nulla ratione à Repub. Veneta Eccleſiæ immunitatem violari, ſummiq; Pontificis iuſſa potuiſſe reſpui: attamen non abs re fuerit, breuiter hoc loco attingere. Cum enim hactenus oſtenderim, Immunitatem ſiue Exemptionem Eccleſiaſticam niti Iure Canonico & ciuili; quin etiam non ſolum perpetua Eccleſiæ praxi, ſacris literis traditâ & confirmatâ, ſed & communi omnium gentium vſu fuiſſe comprobatam, adeò vt meritò ob eam cauſam ſaltem Iuris gentium dici poſſit; ordo poſtulat, vt exquiramus, ſitne omnino etiam Iuris diuini, an verò limitibus Iuris humani poſitiui coërceatur.

Neque verò vllum dubium eſt inter Catholicos, quin cauſæ ſpirituales, quæ videlicet ſua natura ad animæ ſalutem, vel Eccleſiaſticæ poteſtatis à Deo inſtitutæ vſum & rationem pertinent, qualis eſt etiam excommunicandi authoritas, per ſe ad Eccleſiaſticum tribunal pertineant. Vti non minus certum, contra Ius diuinum eſſe, vt Clerici ſacris miniſterijs deſtinati, profanis & ſæcularibus negotijs perpetuò implicati teneantur; iuxta illud Apoſtoli; *Nemo Deo militans implicat ſe negotijs ſæcularibus.*

Neque etiam quæſtio eſt, de quibuſlibet priuilegijs, quæ Eccleſiaſticis aut conceſſa olim ſunt, aut etiamnum concedi poſſunt; conſtat enim in his poſſe quædam reperiri, quæ ſolo iure humano conſtent; Vt ſi quis V.G. Princeps approbante ſummo Pontifice, in gratiam Eccleſiaſticorum lege ſanciret, vt Laici, quocunq; demum titulo vel contractu bona Eccleſiaſtica acquirant, poſt certam anno rum ſeriem completam, teneantur rurſum bona eadem in Eccleſiam transferre, &c. quod priuilegium nemo ſanè dixerit, eſſe Iuris diuini. Sed quæſtio eſt, an Clerici, tam quoad ſe, quam quoad bona Eccleſiaſtica Iure diuino ex-

empti sint tam à sæcularibus Iudicijs, quam à ciuili Tributorum exactione.

In qua controuersia negatiuam sententiam tuentur complures viri graues, docti, Catholici, inter quos Franciscus Victoria in Relect. 1. de potestate Ecclesiastica, quæst. 6. Ioannes Medina in Cod. de rebus restituendis quæst. 25. Dominicus Sotus lib. 4. sent. dist. 25. q. 2. art. 2. Michael de Palatio lib. 4. sent. dist. 25. disp. 3. conclus. 3. Bartholomæus Salon 2. 2. quæst. 67. art. 1. controuers. 1. Dominicus Bannes ead. quæst. art. 1. Petrus Binsfeldius de iniurijs & damno dato cap. 7. conclus. 8. Gregorius Sayrus tom. 1. Casuum in explicat. bullæ Cœnæ, excommunic. 17. Henricus Henriquez lib. 10. Theol. moral. cap. 15. num. 4. Ludouicus Molina tom. 1. de Iust. disp. 31. vbi tamen summum Pontificem excipit. Eandem sententiam ex Canonistis sequitur Couarruuias in lib. quæstionum practicarum cap. 31. & alij plures ab his citati. Certè quidem Henriquez dicit, hanc esse *communem sententiam*, Gregorius de Valentia infra fatetur, ita sentire *pleros*q; *Theologos*.

Sed affirmatiuam sententiam defendunt omnes propemodum Canonistæ, cum glossa in Can. *Tributum*, causa 23. quæst. 8. & Can. *Si Imperator* dist. 96. & in cap. *quanquam* de censibus in 6. ex Theologis verò Almain in tractatu de suprema Eccles. potestate cap. 8. Angelus in summa V. Immunitas 1: q. 4. Ioannes Driedo lib. 1. de libert. Christiana cap. 9. Cardinalis Bellarminus, tum in disput. peculiari de Ecclesiastica Im̃unitate seorsim edita, tum postea in Controuersia de membris Ecclesiæ milit. lib. 1. cap. 28. Gregorius de Valentia tom. 4. disp. 9. quæst. 5. punct. 4. edit. vltimæ; Ioannes Azor lib. 1. Instit. moral. cap. 12.

Nec dissentit S. Thomas, cum in commentario epist. ad Romanos cap. 13. lect. 1. de tributo Principibus præstando

ſtando agens, ita ſcribit: *Ab hoc tamen debito liberi ſunt Clerici ex priuilegio Principum; quod quidem æquitatem naturalem habet. Vnde etiam apud Gentiles liberi erant à tributis illi, qui vacabant rebus diuinis, &c.* Etenim S. Thomas præterquam quod ex inſtituto de hac re non agit, aſſerit quidem eiuſmodi immunitatem à tributis conceſſam eſſe priuilegijs Principum, quod veriſſimum eſt; ſed non negat, eam etiam Iure diuino & naturali deberi; imò verò id apertè indicat ibidem jis verbis: *quod æquitatem naturalem habet, &c.*

Cæterum inter vtriusq; ſententiæ authores conſtat, non ſolum hanc Immunitatem conſtare etiam Iure Canonicò; quin & Iuri naturali ac diuino admodum conſentaneam eſſe; ſed etiam adeo firmi & conſtantis Iuris eſſe, vt non poſſit authoritate Principum amplius abrogari, vel tolli; eſto quòd non abſq; eorum conſenſu initio fuerit introducta; quod his exemplis fit manifeſtum: Victoria loco cit. n. 7. hanc ſeptimam ſtatuit aſſertionem: *Siue exemptio Clericorum ſit de iure diuino, ſiue non, tamen non poteſt à Principe ſæculari tolli talis libertas vel exemptio.* Et probationis cauſa ſubdit: *Hæc* (propoſitio) *primum patet ex quinta* (propoſitione:) *quia poſtquam hoc expedit adminiſtrationi rerum Eccleſiaſticarum, Papa potuit eximere miniſtros Eccleſiæ, etiam ſine authoritate Principum. Secundò probatur: Quia poteſtas Principum eſt tota à Republica: ſed tota Reſpubl. Chriſtiana iam conſenſit in hanc libertatem Eccleſiaſticorum; ergo Principes non poſſunt illam auferre.* Ita Victoria.

Dominicus Sotus loc. cit. concluſionem ſextam hanc ſtatuit: *Quamuis Clerici neq; in ſuis perſonis, neq; in ſuis bonis eſſent diuino iure liberi, nihilominus Papa potuit, etiam inconſultis Principibus, & debuit eos ab eorum exactionibus & foro excipere; cui quidẽ exemptioni Principes contrauenire nequeunt, niſi ad vim vi repellendam, ſicubi forte eiuſmodi priuilegia in tyrannidem vergerent.*

gerent. Quod mox idem autor ijſdem ferè argumentis probat, quæ ſupra ex Victoria retulimus. Addit etiam ſpeciatim; *exemptionem Clericorum* (tam quoad bona, quam quoad perſonas) *non ſolum eſſe congruentem, verum certè moraliter loquendo, ad debitam Eccleſiæ adminiſtrationem neceſſariam*; de quo cap. ſequenti.

Ioannes Medina loco cit. ita loquitur: *Vtcunq; autem ſit*, (quod ad Ius diuinum attinet) *certum eſt, perſonas Eccleſiaſticas ab exactionibus Laicorum eſſe immunes, exceptis excipiendis*, (nempe caſibus quos ipſum Ius Canonicum excipit.) *Ac proinde nec tenentur pedagia, nec vectigalia, nec aſsiſia ſolueuere, nec in domibus ſuis hoſpites dominorum temporalium admittere*. *Si autem oppoſitum illis inuitis fiat, aut non habito Romani Pontificis conſenſu, ad tyrannidem pertinere videtur*. Quod de bonorum exemptione dictum, ex eiuſdem authoris mente, multò magis ad exemptionem etiam perſonarum referendum eſt.

Couarruuias loco cit. concluſione quarta: *Quamuis*, inquit, *exemptio Clericorum à Iuriſdictione ſæculari iure tantum humano ſit inducta, Princeps tamen ſæcularis, vtcunq; ſummus ſit, non poterit huic immunitati, aut exemptioni proprijs legibus, propriaue authoritate derogare, &c. Nam ſi ad Romanum Pontificem, vt ſummum Eccleſiæ Rectorem iure pertinet, Clericos eximere à poteſtate ſæculari; & ea exemptio ab eo eſt ob publicam Eccleſiaſticæ Reipub. vtilitatem inſtituta; planè conſequitur, non poſſe hanc exemptionem, ab alio, quam ab eodem Pontifice reuocari: cum omnes ſæculares Principes ſint in ſpiritualibus & Eccleſiaſticis rebus ſummo Pontifice inferiores, non ſuperiores, nec æquales: & ideo legem ſuperioris poteſtatem eam ferendi habentis tollere non poſſunt*. Ita Couarruuias, quo tamen & fere etiam Ioanne Medina excepto; nemo eſt ex Catholicis Doctoribus, qui minus Eccleſiaſticæ libertatis Iuri tribuerit, adeo vt

ob

ob hanc causam velut liberè nimis locuti, & minus æqui Ecclesiasticæ libertati à non nemine culpentur vt cap. sequenti dicetur.

Michael de Palatio loco citato, contra Illyricum disputans, sic ait: *Cæsar Constantinus potuit liberos & immunes facere Clericos à tributis soluendis, & à punitione cui subdebantur ex criminibus ciuilibus, ad ciuilem potestatem: quos tamen vt semel liberos & immunes fecit ab hoc onere, iam non sunt suæ Iurisdictionis corporalis. Quapropter etiamsi Imperatores succedentes voluissent reuocare priuilegiũ concessum, nequirẽt reuocare, neq; priuare Clericos immunitate elargita: siquidẽ priuari libertate & immunitate solum possunt subditi, at qui subditi non sunt, non possunt priuari: tales sunt iam Clerici, quia non sunt subditi, sed immunes ab onere & subiectione potestatis ciuilis.* Ita Palatius.

Atq; eodem modo loquuntur cæteri autores pro prima sententia relati, quos non est opus speciatim adducere. Ex his verò satis patet, quantopere Catholici Doctores absint à sententia Venetorum scriptorum, qui non solum tanquam rem exploratam audacter pronuntiant, Ecclesiasticam Immunitatem, esse Iuris positiui tantum; sed etiam simul contendunt, eam nonnisi Principum autoritate & priuilegijs niti, adeoq; plus virium non habere, quam Principes habere voluerint, aut etiamnum velint; quod est inter Catholicos Doctores inauditum; nec sine manifesto errore dici potest.

Iam verò vt de præsenti controuersia, meam sententiam exponam, equidem planè sentio, exemptionem hanc Ecclesiasticam, modo superius explicato, esse omnino Iuris diuini, idque adeo certum existimo, vt contrarium probabile videri non possit. Et quanquam in huius sententiæ confirmationem nihil fortasse noui dicturus sim, res tamen ipsa exigit, denuò dici etiam vetera.

Proba-

Probatur itaq; omni ferè illo argumentorum genere, quo Ius diuinum probari poteſt. Et primum ſumitur ab exemplo Veteris Teſtamenti. Iam enim ſupra capite 15. Exemptionem hanc etiam in Veteri Teſtamento, apud Leuiticæ tribus homines, ipſo diuino mandato & inſtituto viguiſſe, probatum eſt. Ex quo rectè infertur, diuinæ voluntatis eſſe, vt multò magis in Nouo Teſtamento Clericis id priuilegij genus conueniat.

Licet enim ab inſtitutis antiquæ legis vniuerſim argumentum peti non poſſit, ad probandum, debere eadem etiam in Nouo Teſtamento reperiri; attamen cum de ijs rebus agitur, quæ ad dignitatem quandam Sacerdotum ſacrificiorumq; &c. pertinent, ipſi naturali æquitati vel maximè conſona; ea certè tantò conuenit in Nouo Teſtamento exactius & excellentius reperiri, quantò ordo Clericorum & Sacerdotum Noui Teſtamenti, præſtantior eſt, ordine Leuitarum & Sacerdotum Veteris Teſtamenti. De qua re etiam S. Paulus in epiſt: ad Heb. cap. 8. Vt Sacerdotij Chriſti dignitatem explicet, ait: *Nunc autem melius ſortitus eſt miniſterium, quanto & melioris teſtamenti mediator eſt.* Et Sanctus Leo ſermone 8. de paſſione Domini: *Nunc & ordo clarior Leuitarum, & dignitas amplior Seniorum, & ſacratior vnctio Sacerdotum.* Quocirca idem S. Paulus cap. 9. ac alias ſæpe oſtendit, ea quæ in Veteri Teſtamento circa Sacerdotium & ſacrificia reperiebantur, multò perfectius in Nouo Teſtamento inueniri debere. Quæ verò contra hoc argumentum obijci poſſunt, iam ſupra cit. cap. 15. diſſoluimus.

Secundum argumenti genus ſumitur ex Scriptura Noui Teſtamenti; vbi ferè tantum accommodare paulò magis ad propoſitū neceſſe eſt illa, quæ ſupra cap. 14. adduximus. Tria enim loca ſunt præcipua quæ ad inſtitutum faciunt.

ciunt. Primus est locus Matthæi 17. vbi Christus de tributo loquens dixit: *Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, &c.* Ex quo loco Apostolorū, & per consequens Sacerdotum immunitatem à tributo deduci, supra cap. 14. ostendi. Et cum manifestum sit, eam sententiam ipsius Christi Domini esse, dubitare non licet, quin id omne, quod de eiusmodi Immunitate inde deducitur, Iuris diuini sit.

Alter locus adduci potest ex Matthæi cap. 18, vbi Christus Dominus Ecclesiasticum tribunal etiam exterioris fori instituens, *Ecclesiam,* hoc est, vt Catholici interpretes intelligunt, Apostolos, & eorum successores Episcopos atq; Sacerdotes, ac præcipuè omnium Sacerdotum caput, Romanum Pontificem Iudices instituit: *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos: dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Amen dico vobis, quæcunq; alligaueritis super terram erunt ligata & in cælo: & quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Vnde sic argumentari licet. Nemo debet iudicare suum Iudicem, in eo ipso rerum genere, in quo ab ipso iudicandus est: sed ex Christi instituto, possunt & debent Laici iudicari ab Episcopis & Sacerdotibus in quibuslibet peccatis cuiusuis materiæ, etiam temporalis; vt patet ex illo: *Si peccauerit in te frater tuus, &c.* Ergo iuxta Christi institutionem non debent Laici iudicare Episcopos & Sacerdotes, etiam in causis temporalibus. Certè quidem cum ex suprema potestate iudicandi Veteris Testamenti Sacerdotibus concessa, rectè colligatur eorundem exemptio à ciuili tribunali, planè fatendum est, ex simili potestate, à Christo

Noui Testamenti Sacerdotibus concessa, consimilem eorundem exemptionem rectè colligi.

Tertius locus est 1. Cor. 6. Vbi rursum Apostolus Ecclesiastico Tribunali constituto vetat, ne Christiani suas causas ad aliud tribunal deferant iudicandas. Quod præceptum quamuis hoc tempore, quoad Laicos Christianos, vim non habere satis constet, tamen quoad Clericos, ne alibi vspiam accusentur, pristinum robur seruare, citato cap. 14. probaui.

Sed dices. Esto hoc quod asseris; vnde verò probas, id Apostolum diuina autoritate, non humana diuinitus inspirata edixisse. Respondetur, etsi forte hoc non euidenter ex eo loco colligi possit, tamen & à S. Augustino, graui vtiq; teste, asseri, cum, vt cap. 14. vidimus, ait, *Apostolum hoc non vtiq; suo, sed eius, qui in eo loquebatur arbitrio,* edixisse; & præterea indicijs quibusdam non obscure admodum diuinam inde iussionem innotescere.

Primò enim S. Paulus ita statim exorditur hoc negotiũ, vt planè indicet, Christianos, id quod ipse postmodũ apertius præscripsit, iam dudum antea cognoscere & obseruare debuisse; & verò secus agendo non leuiter peccasse iam anteà etiam, quàm ille hac de re quicquam iussisset. Sic enim inchoat hanc tractationem: *Audet aliquis vestrum habens negotium aduersus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud sanctos?* Si autem Paulus ipse suo primum arbitrio rem hanc instituisset, non erat, vnde Corinthij reprehenderentur, quasi ob transgressionem eius legis, quæ nulla adhuc erat.

Secundò S. Paulus in hac re nunquam indicat, se hanc legem sua primum authoritate sancire, sicut alioqui indicauit in eadem epistola cap. 7. vbi de matrimonij legibus agens,

agens, suas leges à præceptis diuinis distinguit: *Ijs autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, &c.* Et mox infra: *Cæteris ego dico, non Dominus. &c.*

Tertio S. Paulus citato cap. 6. legem de Ecclesiastico Iudicio; ea ratione probat, quæ ex ipsa rei natura obligationem ostendat; cuius summa in hoc videtur consistere: Illi qui per se habent iudicandi autoritatem, etiam de rebus temporalibus, ipso diuino præcepto vetantur, cum scandalo & præiudicio fidei, Iudicum alienorum tribunal adire: Sed Ecclesia per se habet potestatem iudicandi etiam de temporalibus, ipsa vtique diuina institutione: Ergo ipso diuino præcepto illicitum est ei per se, aut sua membra, Iudicum alienorum tribunal cum scandalo & præiudicio fidei sponte adire. Maior est ipso lumine naturali euidens. Minor etiam certa tum ex assertione S. Pauli: tum ex Christi institutione Matth. 18. Tum ex ipsa rei natura; quia Ecclesia est Respublica perfecta, etsi spiritualis; potest ergo per se, ob finem spiritualem, causas quaslibet cognoscere, &c. Et certè si DEVS ipse per se talem potestatem non dedisset Ecclesiæ vniuersali; non potuisset eam Ecclesia aliunde accipere. Quia cum Spiritualis sit, non potest ab hominibus primitus institui.

Nec obstat quod forte Apostolus ipse, particulari Ecclesiæ Corinthiorum, ipsiusue Episcopo, iam anteà eam potestatem Iurisdictionis actualis communicauerit; nihilominus enim verũ erat dicere, ea conditione posita, Christianos eius Ecclesiæ, ipso Iure diuino, non nisi Ecclesiasticũ tribunal adire, quantũ in se, debuisse. Sic etiã hodie Iuris diuini est, vt quisq; iudicetur à suo Episcopo vel Parocho,

non ab alio potestatem non habente; tametsi & illi Iurisdictionem non immediatè à Deo, sed à Pontifice accipiant. Nec est quæstio, vtrum Episcopi Catholici immediatè à Deo Iurisdictionem accipiant, sed an hac vndecunq; tandem supposita, Clerici vbiuis locorum sint à tribunali ciuili diuino Iure exempti. Cætera quæ ad hunc locum pertinent vide cap. 14.

Tertiò probatur Ius diuinum Ecclesiasticæ Exemptionis ex traditione & autoritate Ecclesiæ, quæ id non obscurè subinde indicat; imò verò apertè satis asserit. Etenim in synodo Romana quarta, sub Symmacho Papa, Can. 3. ita dicitur; *Cauendũ ne exempla remaneant præsumendi quibuslibet Laicis; quamuis religiosis vel potentibus, in quacunq; ciuitate, quolibet modo aliquid decernere de Ecclesiasticis facultatibus, quarum solis Sacerdotibus disponendi indiscussè à Deo cura commissa docetur*, vt habetur tom. 2. Concil. editionis nouæ.

Bonifacius Papa octauus, in capitulo quanquam, de censibus, expresse asserit, *Ecclesias, Ecclesiasticasq; personas, ac res ipsarum, non solùm Iure humano, quin imò & diuino, à secularium personarum exactionibus esse immunes.*

Et Ioannes Papa octauus, in Can. *Si Imperator*. 96. dist. *Non à legibus publicis*, inquit, *non à potestatibus sæculi, sed à Pontificibus & Sacerdotibus omnipotens Deus Christianæ religionis Clericos & Sacerdotes voluit ordinari & discuti, recipiq; de errore remeantes. Imperatores Christiani subdere debent executiones suas Ecclesiasticis præsulibus, non præferre.*

Episcopi Franciæ in epistola, quam è Castro Carissiaco ad tuendam Ecclesiæ libertatem scripserunt ad Ludouicum Regem, priuilegia Ecclesijs concessa, *diuinitus constituta* asserunt, vt cap. 8. vidimus.

In Generali Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio cap. 43. dicitur: *Nimis de Iure diuino eos Laicos vsurpare, qui*

qui viros Ecclesiasticos, nihil temporale detinentes ab eis, ad præstandum sibi fidelitatis iuramenta compellunt.

In Concilio Generali Lateranensi sub Leone X. Sess. 9. dicitur: *Cum à Iure tam diuino, quam humano, Laicis potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa sit, innouamus omnes & singulas Constitutiones, fel. record. Bonifacij Papæ VIII. quæ incipit, Felicis; & Clementis V. quæ incipit, Si quis suadente, nec non quascunque alias Apostolicas sanctiones, in fauorem libertatis Ecclesiasticæ, & contra eius violatores quomodolibet editas, &c.*

In Concilio Coloniensi, parte 9. cap. 20. dicitur: *Immunitas Ecclesiastica, vetustissima res est, Iure pariter diuino, & humano introducta, &c.*

In Concilio Tridentino Sess. 25. cap. 20. de Reformat. dicitur: *Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum immunitas, Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constituta, &c.*

Clemens Romanus citatus cap. 12. de hac ipsa re disserens ait, *diuinis legibus repugnare, vt maiores à minoribus iudicentur.*

Dionysius Areopagita, quem ibidem citauimus, epist. 8. ad Demophilum Monachum disertè ait, *ordinem à Deo constitutum peruerti, si quis inferior Sacerdotem iudicare præsumat.*

Constantinus Magnus Imperator, in Concilio Nicæno, apud Ruffinum lib. 10. historiæ Eccles. cap. 2. quid hac de re sentiret, apertis verbis significauit, cum ita Episcopos allocutus est; *Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit, de nobis quoque iudicandi, & ideò nos à vobis rectè iudicamur. Vos autem non potestis ab hominibus iudicari. Propter quod Dei solius inter vos exspectate iudicium, & vestra iurgia, quæcunque sunt, ad illud diuinum reseruentur examen. Vos etenim nobis à Deo dati estis Dij, & conueniens non est, vt homo iudicet Deos, &c.*

Innocentius IV. Pontifex in suis Commentarijs (quos tamen vt priuatus Doctor, non vt Pontifex scripsit) in Decretales de maioritate & obedientia capite 2, ita scribit: *Quares, quis eximit Clericos de Iure Imperatoris, cum prius ei subessent? Respondetur quod Papa consentiente Imperatore, &c. Sed hi non plenè eximunt, vnde dicimus, quod exempti sunt à Deo. Vel dic, quod Papa etiam sine consensu Imperatoris benè potuit eos eximere à Iurisdictione Imperatoris, per suas constitutiones.* Sensit ergo hic Pontifex Clericos esse Iure diuino exemptos; cum adeo clarè suam sententiam expresserit: per voculam *dicimus*; etsi per voculam, vel dic, alijs aliter tum sentiendi liberam facultatem, quantum ex se, relinquere voluisse videatur. Vnde malè Couarruuias lib. practicarum quæst. cap. 31. affirmat, dictum Pontificem sensisse, hanc exemptionem non esse Iuris diuini; vt rectè etiam ex Panormitano notauit Cardinalis Bellarminus lib. 1. cap. 28. de membris Eccles. milit.

Sed ad hæc, quæ ex Ecclesiæ autoritate desumpta, ad nostræ sententiæ confirmationem adduximus; autores primæ sententiæ, aut qui cum ijsdem sentiunt, varia solent respondere. Primò dicunt aliqui, cum Pontifices & Concilia dicunt, Ecclesiasticam exemptionem esse Iuris diuini, id intelligendum esse duntaxat de causis spiritualibus. Sed hæc responsio adductis testimonijs accommodari nullo modo potest. Nam Symmachus Papa loquitur expresse de Ecclesiasticis facultatibus; Bonifacius Papa de exactionibus ciuilibus; Ioannes Papa vniuersim loquitur de iudicijs Clericorum; Concilium Lateranense sub Innocentio III. de Iurisdictione in ciuilibus; Concilium Lateranense sub Leone X. vniuersim de omni potestate Laicorum. Concilium Coloniense, vt ex adiunctis manifestum est, speciatim de immunitate à tributis & Iuris-

dictio-

dictione Principum: Concilium Tridentinum tum vniuersim itidem de Ecclesiastica immunitate loquitur; tùm speciatim de illis eius partibus, quas frequentius à Principum sæcularium ministris violari contingit, vt ex textu patet. Eodem modo loquuntur cæteri, quos adduximus.

Secundò respondent aliqui, esse Iuris diuini, mediatè & remotè. Quod ego sic intelligo, non ipsam exemptionem actualem esse Iuris diuini; sed potestatem eam constituendi, quam habet summus Pontifex, vtique immediatè à Deo. Sed hæc responsio repugnat verbis Canonum, qui ipsam exemptionem, non potestatem eximendi tantum, diuini Iuris esse docent. Peculiariter notentur hîc verba Concilij Tridentini, à quo immunitas hæc (vtique actualis) *Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constituta* dicitur. Et si actualis exemptio non est Iuris diuini, quomodo Pontifex Symmachus ait, *solis Sacerdotibus à Deo commissam potestatem disponendi de Ecclesiasticis facultatibus?* Quomodo Conciliũ Lateranense sub Leone X. pronnuntiat, nec Iure humano, nec Iure diuino *vllam Laicis potestatẽ esse tributam in Ecclesiasticas personas?* Nam si hæc exemptio fuit primum constituta à Pontifice, certè Laici ante hanc cõstitutionem habebant potestatẽ etiam in Ecclesiasticos.

Tertiò respondent aliqui, per Ius diuinum intelligi Ius Canonicum. Sed & hęc responsio primùm non seruat proprietatem verbi, *Iuris diuini*; constat enim, Ius Canonicum propriè non esse Ius diuinum. Deinde non potest plærisq; testimonijs accommodari, vtpote quæ hac vocula, *Ius diuinum*, non vtuntur. Peculiariter autem repugnat Concilio Tridentino, quod vel ob hanc ipsam fortasse causam, vt optimè etiam dixit Illustrissimus Bellarminus loco citato, abstinens ab eadem vocula, dixit, Immunitatem Ecclesiasticam *Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constitutã esse.*

Vbi

gerent. Quod mox idem autor ijſdem ferè argumentis probat, quæ ſupra ex Victoria retulimus. Addit etiam ſpeciatim; *exemptionem Clericorum* (tam quoad bona, quam quoad perſonas) *non ſolum eſſe congruentem, verum certè moraliter loquendo, ad debitam Eccleſiæ adminiſtrationem neceſſariam*; de quo cap. ſequenti.

Ioannes Medina loco cit. ita loquitur: *Vtcunq; autem ſit*, (quod ad Ius diuinum attinet) *certum eſt, perſonas Eccleſiaſticas ab exactionibus Laicorum eſſe immunes, exceptis excipiendis*, (nempe caſibus quos ipſum Ius Canonicum excipit.) *Ac proinde nec tenentur pedagia, nec vectigalia, nec aſſiſia ſoluere, nec in domibus ſuis hoſpites dominorum temporalium admittere. Si autem oppoſitum illis inuitis fiat, aut non habito Romani Pontificis conſenſu, ad tyrannidem pertinere videtur.* Quod de bonorum exemptione dictum, ex eiuſdem authoris mente, multò magis ad exemptionem etiam perſonarum referendum eſt.

Couarruuias loco cit. concluſione quarta: *Quamuis*, inquit, *exemptio Clericorum à Iuriſdictione ſæculari iure tantum humano ſit inducta, Princeps tamen ſæcularis, vtcunq; ſummus ſit, non poterit huic immunitati, aut exemptioni proprijs legibus, propriaue authoritate derogare, &c. Nam ſi ad Romanum Pontificem, vt ſummum Eccleſiæ Rectorem iure pertinet, Clericos eximere à poteſtate ſæculari; & ea exemptio ab eo eſt ob publicam Eccleſiaſticæ Reipub. vtilitatem inſtituta; planè conſequitur, non poſſe hanc exemptionem, ab alio, quam ab eodem Pontifice reuocari: cum omnes ſæculares Principes ſint in ſpiritualibus & Eccleſiaſticis rebus ſummo Pontifice inferiores, non ſuperiores, nec æquales: & ideo legem ſuperioris poteſtatem eam ferendi habentis tollere non poſſunt.* Ita Couarruuias, quo tamen & fere etiam Ioanne Medina excepto; nemo eſt ex Catholicis Doctoribus, qui minus Eccleſiaſticæ libertatis Iuri tribuerit, adeo vt

ob

ob hanc causam velut liberè nimis locuti, & minus æqui Ecclesiasticæ libertati à non nemine culpentur vt cap. sequenti dicetur.

Michael de Palatio loco citato, contra Illyricum disputans, sic ait: *Cæsar Constantinus potuit liberos & immunes facere Clericos à tributis soluendis, & à punitione cui subdebantur ex criminibus ciuilibus, ad ciuilem potestatem: quos tamen vt semel liberos & immunes fecit ab hoc onere, iam non sunt suæ Iurisdictionis corporalis. Quapropter etiamsi Imperatores succedentes voluissent reuocare priuilegiũ concessum, nequirẽt reuocare, neq; priuare Clericos immunitate elargita: siquidẽ priuari libertate & immunitate solum possunt subditi, at qui subditi non sunt, non possunt priuari: tales sunt iam Clerici, quia non sunt subditi, sed immunes ab onere & subiectione potestatis ciuilis.* Ita Palatius.

Atq; eodem modo loquuntur cæteri autores pro prima sententia relati, quos non est opus speciatim adducere. Ex his verò satis patet, quantopere Catholici Doctores absint à sententia Venetorum scriptorum, qui non solum tanquam rem exploratam audacter pronuntiant, Ecclesiasticam Immunitatem, esse Iuris positiui tantum; sed etiam simul contendunt, eam nonnisi Principum autoritate & priuilegijs niti, adeoq; plus virium non habere, quam Principes habere voluerint, aut etiamnum velint; quod est inter Catholicos Doctores inauditum; nec sine manifesto errore dici potest.

Iam verò vt de præsenti controuersia, meam sententiam exponam; equidem planè sentio, exemptionem hanc Ecclesiasticam, modo superius explicato, esse omnino Iuris diuini, idque adeo certum existimo, vt contrarium probabile videri non possit. Et quanquam in huius sententiæ confirmationem nihil fortasse noui dicturus sim, res tamen ipsa exigit, denuò dici etiam vetera.

Proba-

Probatur itaq; omni ferè illo argumentorum genere, quo Ius diuinum probari poteſt. Et primum ſumitur ab exemplo Veteris Teſtamenti. Iam enim ſupra capite 15. Exemptionem hanc etiam in Veteri Teſtamento, apud Leuiticæ tribus homines, ipſo diuino mandato & inſtituto viguiſſe, probatum eſt. Ex quo rectè infertur, diuinæ voluntatis eſſe, vt multò magis in Nouo Teſtamento Clericis id priuilegij genus conueniat.

Licet enim ab inſtitutis antiquæ legis vniuerſim argumentum peti non poſſit, ad probandum, debere eadem etiam in Nouo Teſtamento reperiri; attamen cum de ijs rebus agitur, quæ ad dignitatem quandam Sacerdotum ſacrificiorumq; &c. pertinent, ipſi naturali æquitati vel maximè conſona; ea certè tantò conuenit in Nouo Teſtamento exactius & excellentius reperiri, quantò ordo Clericorum & Sacerdotum Noui Teſtamenti, præſtantior eſt, ordine Leuitarum & Sacerdotum Veteris Teſtamenti. De qua re etiam S. Paulus in epiſt. ad Heb. cap. 8. Vt Sacerdotij Chriſti dignitatem explicet, ait: *Nunc autem melius ſortitus eſt miniſterium, quanto & melioris teſtamenti mediator eſt.* Et Sanctus Leo ſermone 8. de paſſione Domini: *Nunc & ordo clarior Leuitarum, & dignitas amplior Seniorum, & ſacratior vnctio Sacerdotum.* Quocirca idem S. Paulus cap. 9. ac alias ſæpe oſtendit, ea quæ in Veteri Teſtamento circa Sacerdotium & ſacrificia reperiebantur, multò perfectius in Nouo Teſtamento inueniri debere. Quæ verò contra hoc argumentum obijci poſſunt, iam ſupra cit. cap. 15. diſſoluimus.

Secundum argumenti genus ſumitur ex Scriptura Noui Teſtamenti; vbi ferè tantum accommodare paulò magis ad propoſitũ neceſſe eſt illa, quæ ſupra cap. 14. adduximus. Tria enim loca ſunt præcipua quæ ad inſtitutum faciunt.

ciunt. Primus est locus Matthæi 17. vbi Christus de tributo loquens dixit: *Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, &c.* Ex quo loco Apostolorũ, & per consequens Sacerdotum immunitatem à tributo deduci, supra cap. 14. ostendi. Et cum manifestum sit, eam sententiam ipsius Christi Domini esse, dubitare non licet, quin id omne, quod de eiusmodi Immunitate inde deducitur, Iuris diuini sit.

Alter locus adduci potest ex Matthæi cap. 18, vbi Christus Dominus Ecclesiasticum tribunal etiam exterioris fori instituens, *Ecclesiam,* hoc est, vt Catholici interpretes intelligunt, Apostolos, & eorum successores Episcopos atq; Sacerdotes, ac præcipuè omnium Sacerdotum caput, Romanum Pontificem Iudices instituit: *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos: dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Amen dico vobis, quæcunq; alligaueritis super terram erunt ligata & in cælo: & quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Vnde sic argumentari licet. Nemo debet iudicare suum Iudicem, in eo ipso rerum genere, in quo ab ipso iudicandus est: sed ex Christi instituto, possunt & debent Laici iudicari ab Episcopis & Sacerdotibus in quibuslibet peccatis cuiusuis materiæ, etiam temporalis; vt patet ex illo: *Si peccauerit in te frater tuus, &c.* Ergo iuxta Christi institutionem non debent Laici iudicare Episcopos & Sacerdotes, etiam in causis temporalibus. Certè quidem cum ex suprema potestate iudicandi Veteris Testamenti Sacerdotibus concessa, rectè colligatur eorundem exemptio à ciuili tribunali, planè fatendum est, ex simili potestate, à Christo

Noui Testamenti Sacerdotibus concessa, consimilem eorundem exemptionem rectè colligi.

Tertius locus est 1. Cor. 6. Vbi rursum Apostolus Ecclesiastico Tribunali constituto vetat, ne Christiani suas causas ad aliud tribunal deferant iudicandas. Quod præceptum quamuis hoc tempore, quoad Laicos Christianos; vim non habere satis constet, tamen quoad Clericos, ne alibi vspiam accusentur, pristinum robur seruare, citato cap. 14. probaui.

Sed dices. Esto hoc quod asseris; vnde verò probas, id Apostolum diuina autoritate, non humana diuinitus inspirata edixisse. Respondetur, etsi forte hoc non euidenter ex eo loco colligi possit, tamen & à S. Augustino, graui vtiq; teste, asseri, cum, vt cap. 14. vidimus, ait, *Apostolum hoc non vtiq; suo, sed eius, qui in eo loquebatur arbitrio,* edixisse; & præterea indicijs quibusdam non obscure admodum diuinam inde iussionem innotescere.

Primò enim S. Paulus ita statim exorditur hoc negotiū, vt planè indicet, Christianos, id quod ipse postmodū apertius præscripsit, iam dudum antea cognoscere & obseruare debuisse; & verò secus agendo non leuiter peccasse iam anteà etiam, quàm ille hac de re quicquam iussisset. Sic enim inchoat hanc tractationem: *Audet aliquis vestrum habens negotium aduersus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud sanctos?* Si autem Paulus ipse suo primum arbitrio rem hanc instituisset, non erat, vnde Corinthij reprehenderentur, quasi ob transgressionem eius legis, quæ nulla adhuc erat.

Secundò S. Paulus in hac re nunquam indicat, se hanc legem sua primum authoritate sancire, sicut alioqui indicauit in eadem epistola cap. 7. vbi de matrimonij legibus agens,

agens, ſuas leges à præceptis diuinis diſtinguit : *Ijs autem qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, &c.* Et mox infra: *Cæteris ego dico, non Dominus. &c.*

Tertio S. Paulus citato cap. 6. legem de Eccleſiaſtico Iudicio, ea ratione probat, quæ ex ipſa rei natura obligationem oſtendat; cuius ſumma in hoc videtur conſiſtere: Illi qui per ſe habent iudicandi autoritatem, etiam de rebus temporalibus, ipſo diuino præcepto vetantur, cum ſcandalo & præiudicio fidei, Iudicum alienorum tribunal adire: Sed Eccleſia per ſe habet poteſtatem iudicandi etiam de temporalibus, ipſa vtique diuina inſtitutione: Ergo ipſo diuino præcepto illicitum eſt ei per ſe, aut ſua membra, Iudicum alienorum tribunal cum ſcandalo & præiudicio fidei ſponte adire. Maior eſt ipſo lumine naturali euidens. Minor etiam certa tum ex aſſertione S. Pauli: tum ex Chriſti inſtitutione Matth. 18. Tum ex ipſa rei natura; quia Eccleſia eſt Reſpublica perfecta, etſi ſpiritualis; poteſt ergo per ſe, ob finem ſpiritualem, cauſas quaſlibet cognoſcere, &c. Et certè ſi DEVS ipſe per ſe talem poteſtatem non dediſſet Eccleſiæ vniuerſali; non potuiſſet eam Eccleſia aliunde accipere. Quia cum Spiritualis ſit, non poteſt ab hominibus primitus inſtitui.

Nec obſtat quod forte Apoſtolus ipſe, particulari Eccleſiæ Corinthiorum, ipſiuſue Epiſcopo, iam anteà eam poteſtatem Iuriſdictionis actualis communicauerit; nihilominus enim verũ erat dicere, ea conditione poſita, Chriſtianos eius Eccleſiæ, ipſo Iure diuino, non niſi Eccleſiaſticũ tribunal adire, quantũ in ſe, debuiſſe. Sic etiã hodie Iuris diuini eſt, vt quiſq; iudicetur à ſuo Epiſcopo vel Parocho,

non ab alio potestatem non habente; tametsi & illi Iurisdictionem non immediatè à Deo, sed à Pontifice accipiant. Nec est quæstio, vtrum Episcopi Catholici immediatè à Deo Iurisdictionem accipiant, sed an hac vndecunq; tandem supposita, Clerici vbiuis locorum sint à tribunali ciuili diuino Iure exempti. Cætera quæ ad hunc locum pertinent vide cap. 14.

Tertiò probatur Ius diuinum Ecclesiasticæ Exemptionis ex trad(it)itione & autoritate Ecclesiæ, quæ id non obscurè subinde indicat; imò verò apertè satis asserit. Etenim in synodo Romana quarta, sub Symmacho Papa, Can. 3. ita dicitur; *Cauendũ ne exempla remaneant præsumendi quibuslibet Laicis; quamuis religiosis vel potentibus, in quacunq; ciuitate, quolibet modo aliquid decernere de Ecclesiasticis facultatibus, quarum solis Sacerdotibus disponendi indiscussè à Deo cura commissa docetur,* vt habetur tom. 2. Concil. editionis nouæ.

Bonifacius Papa octauus, in capitulo quanquam, de censibus, expresse asserit, *Ecclesias, Ecclesiasticasq; personas, ac res ipsarum, non solùm Iure humano, quin imò & diuino, à secularium personarum exactionibus esse immunes.*

Et Ioannes Papa octauus, in Can. *Si Imperator.* 96. dist. *Non à legibus publicis,* inquit, *non à potestatibus sæculi, sed à Pontificibus & Sacerdotibus omnipotens Deus Christianæ religionis Clericos & Sacerdotes voluit ordinari & discuti, recipiq; de errore remeantes. Imperatores Christiani subdere debent executiones suas Ecclesiasticis præsulibus, non præferre.*

Episcopi Franciæ in epistola, quam è Castro Carissiaco ad tuendam Ecclesiæ libertatem scripserunt ad Ludouicum Regem, priuilegia Ecclesijs concessa, *diuinitus constituta* asserunt, vt cap. 8. vidimus.

In Generali Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio cap. 43. dicitur: *Nimis de Iure diuino eos Laicos vsurpare, qui*

qui viros Ecclesiasticos, nihil temporale detinentes ab eis, ad præstandum sibi fidelitatis iuramenta compellunt.

In Concilio Generali Lateranensi sub Leone X. Sess. 9. dicitur: *Cum à Iure tam diuino, quam humano, Laicis potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa sit, innouamus omnes & singulas Constitutiones, fel. record. Bonifacij Papæ VIII. quæ incipit, Felicis; & Clementis V. quæ incipit, Si quis suadente, nec non quascunque alias Apostolicas sanctiones, in fauorem libertatis Ecclesiasticæ, & contra eius violatores quomodolibet editas, &c.*

In Concilio Coloniensi, parte 9. cap. 20. dicitur: *Immunitas Ecclesiastica, vetustissima res est, Iure pariter diuino, & humano introducta, &c.*

In Concilio Tridentino Sess. 25. cap. 20. de Reformat. dicitur: *Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum immunitas, Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constituta, &c.*

Clemens Romanus citatus cap. 12. de hac ipsa re disserens ait, *diuinis legibus repugnare, vt maiores à minoribus iudicentur.*

Dionysius Areopagita, quem ibidem citauimus, epist. 8. ad Demophilum Monachum disertè ait, *ordinem à Deo constitutum peruerti, si quis inferior Sacerdotem iudicare præsumat.*

Constantinus Magnus Imperator, in Concilio Nicæno, apud Ruffinum lib. 10. historiæ Eccles. cap. 2. quid hac de re sentiret, apertis verbis significauit, cum ita Episcopos allocutus est; *Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit, de nobis quoque iudicandi, & ideò nos à vobis rectè iudicamur. Vos autem non potestis ab hominibus iudicari. Propter quod Dei solius inter vos exspectate iudicium, & vestra iurgia, quæcunque sunt, ad illud diuinum reseruentur examen. Vos etenim nobis à Deo dati estis Dij, & conueniens non est, vt homo iudicet Deos, &c.*

Innocentius IV. Pontifex in suis Commentarijs (quos tamen vt priuatus Doctor, non vt Pontifex scripsit) in Decretales de maioritate & obedientia capite 2. ita scribit: *Quares, quis eximit Clericos de Iure Imperatoris, cum prius ei subessent? Respondetur quod Papa consentiente Imperatore, &c. Sed hi non plenè eximunt, vnde dicimus, quod exempti sunt à Deo. Vel dic, quod Papa etiam sine consensu Imperatoris benè potuit eos eximere à Iurisdictione Imperatoris, per suas constitutiones.* Sensit ergo hic Pontifex Clericos esse Iure diuino exemptos; cum adeo clarè suam sententiam expresserit: per voculam *dicimus*; etsi per voculam, vel dic, alijs aliter tum sentiendi liberam facultatem, quantum ex se, relinquere voluisse videatur. Vnde malè Couarruuias lib. practicarum quæst. cap. 31. affirmat, dictum Pontificem sensisse, hanc exemptionem non esse Iuris diuini; vt rectè etiam ex Panormitano notauit Cardinalis Bellarminus lib. 1. cap. 28. de membris Eccles. milit.

Sed ad hæc, quæ ex Ecclesiæ autoritate desumpta, ad nostræ sententiæ confirmationem adduximus; autores primæ sententiæ, aut qui cum ijsdem sentiunt, varia solent respondere. Primò dicunt aliqui, cum Pontifices & Concilia dicunt, Ecclesiasticam exemptionem esse Iuris diuini, id intelligendum esse duntaxat de causis spiritualibus. Sed hæc responsio adductis testimonijs accommodari nullo modo potest. Nam Symmachus Papa loquitur expresse de Ecclesiasticis facultatibus; Bonifacius Papa de exactionibus ciuilibus; Ioannes Papa vniuersim loquitur de iudicijs Clericorum; Concilium Lateranense sub Innocentio III. de Iurisdictione in ciuilibus; Concilium Lateranense sub Leone X. vniuersim de omni potestate Laicorum. Concilium Coloniense, vt ex adiunctis manifestum est, speciatim de immunitate à tributis & Iurisdictio-

dictione Principum: Concilium Tridentinum tum vniuersim itidem de Ecclesiastica immunitate loquitur; tùm speciatim de illis eius partibus, quas frequentius à Principum sæcularium ministris violari contingit, vt ex textu patet. Eodem modo loquuntur cæteri, quos adduximus.

Secundò respondent aliqui, esse Iuris diuini, mediatè & remotè. Quod ego sic intelligo, non ipsam exemptionem actualem esse Iuris diuini, sed potestatem eam constituendi, quam habet summus Pontifex, vtique immediatè à Deo. Sed hæc responsio repugnat verbis Canonum, qui ipsam exemptionem, non potestatem eximendi tantum, diuini Iuris esse docent. Peculiariter notentur hic verba Concilij Tridentini, à quo immunitas hæc (vtique actualis) *Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constituta* dicitur. Et si actualis exemptio non est Iuris diuini, quomodo Pontifex Symmachus ait, *solis Sacerdotibus à Deo commissam potestatem disponendi de Ecclesiasticis facultatibus?* Quomodo Conciliũ Lateranense sub Leone X. pronnntiat, nec Iure humano, nec Iure diuino *vllam Laicis potestatẽ esse tributam in Ecclesiasticas personas?* Nam si hæc exemptio fuit primum constituta à Pontifice, certè Laici ante hanc cõstitutionem habebant potestatẽ etiam in Ecclesiasticos.

Tertiò respondent aliqui, per Ius diuinum intelligi Ius Canonicum. Sed & hęc responsio primùm non seruat proprietatem verbi, *Iuris diuini*; constat enim, Ius Canonicum propriè non esse Ius diuinum. Deinde non potest plærisq; testimonijs accommodari, vtpote quæ hac vocula, *Ius diuinum*, non vtuntur. Peculiariter autem repugnat Concilio Tridentino, quod vel ob hanc ipsam fortasse causam, vt optimè etiam dixit Illustrissimus Bellarminus loco citato, abstinens ab eadem vocula, dixit, Immunitatem Ecclesiasticam *Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constitutã esse.*

Vbi

Vbi vides, Dei ordinationem à Canonibus & Constitutionibus Ecclesiæ apertè distinctam. Quocirca etiam dici non potest, eatenus solum hanc exemptionem esse diuini Iuris, quatenus à Deo per Ecclesiam est constituta; hoc enim nihil aliud est dicere, quam Ecclesiam potestate diuinitus accepta, Immunitatem hanc sanxisse; cum tamen, vt etiam supra diximus, Canones & Patres plus dicant.

Aut si sensus sit huius dicti, Ecclesiam necessitate quadam diuini præcepti compulsam, hanc exemptionem constituisse, idipsum est, quod maximè volumus; nempe ab ipso Deo immediatè præceptum esse datum, de Ecclesiastica immunitate sancienda; seu quod idem, Deum per seipsum, prius etiam, quam ab Ecclesia hac de re vllus Canon esset constitutus, voluisse, vt Ecclesiastici essent exempti.

Addo tamen, etsi id quod hæc nobis responsio largitur, respuendum minimè sit, tamen ijs ipsis argumentis, quibus hoc dictum probari potest, æquè etiam probari, Ecclesiasticos fuisse reipsa ab ipso DEO exemptos: cum præsertim Canones adeò disertè dicant, nullam vnquam Laicis in personas & res Ecclesiasticas fuisse concessam potestatem; quod hæc sententia, proprietatem verborum retinendo, tueri non potest, quandiu concedit, fuisse tempus, (nempe ante constitutos Canones) quo Ecclesiastici fuerint Laicis subiecti. Quocirca sic argumentor. Aut suppetebant ex ipsa rei natura vrgentes causæ, cur Deus vellet Ecclesiasticos ita esse exemptos; aut non. Si suppetebant, ergo eo ipso turpe erat Clericos à Laicis iudicari, &c. Nec vlla ratio erat, cur non statim ipsa Dei voluntate essent efficaciter exempti. Si non suppetebant, vnde probatur ergo, Deum immediato suo præcepto voluisse, vt Ecclesia Clericos eximeret?

Quar-

Quartò respondebit forte aliquis, esse Iuris diuini, sed mixti tamen, vt aiunt, & *circumstantionati* ac determinati ab humano iure, non purè diuini; ita vt quamuis exemptio Clericorum in genere, sit Iuris diuini; determinare tamen, quinam Clerici sint eximendi, & in quibus casibus, atrocibus nempe, an leuibus; & an in omnibus, quæ spectant ad eorum personas, bona, & negotia quæcunq́; , &c. liberandi sint ab omnium sæcularium Iudicum & Principum Christianorum potestate, spectet ad Ius Pontificium & humanum. Sed ego hoc *circumstantionatum Ius* in Canonibus summorum Pontificum & Conciliorum nusquam lego. *Iuris diuini, ordinationis diuinæ, voluntatis diuinæ* esse lego. Quæ ego verba tanquam diuinæ sententiæ interpretamenta malo purè, quam vllis ab humano ingenio additis peristasibus *circumstantionata* audire.

Deinde si, vt aiunt isti, exemptio Clericorum in genere tantum est Iuris diuini, non autem in specie, quoad certum exemptionis modum & gradum, tùm non rectè Concilia & Canones, in specie locuti de exemptione personarum, & bonorum Ecclesiasticorum, à iudicijs, & tributis ciuilibus, asseruerunt, eam esse *Iuris & ordinationis diuinæ*; at hoc planè posterius dixerunt, vt ex dictis patet: ergo nulla est illa de *circumstantionato* Iure exceptio. Nam quis vnquam, propriè loquendo dixit, esse Iuris diuini, vt festi dies Apostolorum, certorum Martyrum, Confessorum, Virginum colantur? Vt hæc vel illa certa ieiuniorum tempora obseruentur? Quantumuis Iuris diuini sit, vt nonnunquam peculiare quoddam tempus diuino cultui, sæpe etiam vt carni edomandæ per ieiunia, aliasue corporis castigationes sua opera tribuatur.

Quid, quòd nulla probabilitate dici potest, si vel ipsas rerum naturas intueamur, Exemptionem Clericorum esse

Iuris diuini in genere, non in specie. Cum enim in proposito sit sermo non de aliquo actu positiuo, qui vtcunq; honestus sit, & in genere ipsa lege diuina debitus, non potest nisi pro certo aliquo tempore, eoq; sæpe ab hominibus determinando, sub præceptum cadere; sed de cessatione talis actus, qui nonnisi ob intrinsecam quandam turpitudinis seu indecentiæ rationem, diuino iure prohibitus esse potest, necesse plane est, vt vel vniuersim sit Iuris diuini ea cessatio, vel certè sit respectu certorum obiectorum, in quibus maior turpitudo & indecentia cernitur, respectu aliorum non sit. Nam si V. G. bona etiam patrimonialia Clericorum tributis Principum subijci, nonnullam habet deformitatis aut indecori speciem; multo maiorem habebit, etiam bona eorum Ecclesiastica eiusmodi tributis subijci; & multò maiorem etiam ipsas personas per se sub tributum redigi; & maiorem adhuc, ipsas personas in ciuilibus causis à Iudicibus Laicis propria authoritate iudicari: & multo maximam deniq; ipsas etiam personas criminalibus iudicijs Laici tribunalis subiugari. Quocirca necessariò fatendum est, aut omnem hunc exemptionis modum & gradum esse Iuris diuini, aut certè immunitatem à posteriori subiectionis gradu vno vel pluribus, & non in genere tantum, diuini Iuris esse; vtpote cum in ijs multò maior deformitas, quam in aliquo præcedentium cernatur. Alioqui dicendum esset, iam satisfactum fore diuino Iuri, & nutui; si modo Ecclesia quemcunq; demum Ecclesiasticæ Exemptionis gradum sanxisset, verbi gratia primum, non vltimũ, &c. Quod quis æquis tandem auribus hauriat? Exemplum habemus in gradibus consanguinitatis, vbi nemo rectè dixerit, matrimonium in his gradibus esse diuino Iure prohibitum solum *confusè & in genere*; determinationem autem, in quibus omnino gradibus illicitum esse debeat, pertinere ad Ecclesiam, &c.

Atq;

Atq; hactenus satis, vt opinor, verum sensum sacrorum Canonũ & Conciliorum, asserentium, Exemptionem Clericorum esse Iuris diuini, defendimus; cum quibus mihi quidem cordi est, vt in hac re, non tantum sentiam, sed etiam loquar, præsertim cum absq; vi quadam, & quasi tortura verbis illata, in alium sensum trahi posse non videantur; commode autem omnino, & decenter proprio sensu accipiantur, vt non immerito noster Ioannes Azor lib. 5. Instit. moralium cap. 12. quæst. 2. huius nostræ sententiæ rationẽ reddens dixerit; *Plus valet apud me Canonici Iuris auctoritas, quam iuniorum prædictorum Theologorum sententia.*

Illud postremo restat, vt velut quandam petram scandali amoliar, in quam & Venetos scriptores, & nonnullos etiam ex autoribus pro prima sententia citatis impegisse video, vt vel inuiti quodammodo in alienum à veritatis meta scopum & scopulum illiderentur. Verba Pauli Veneti dabo, pag. 30. *Ingenuè fatebimur*, inquit, *si Dei iussu immunitate gauderent Ecclesiastici, quicquid contra aggressi essent Principes, id vsurpationem, Deiq; offensam futurum fuisse. Sed illud addemus bona cum eorum venia, qui suam exemptionem de Iure diuino faciunt, id si verè diceretur, Pontifici futurum integrum non esse, illos sæcularibus subijcere. Neq; enim eius facultatis exercendæ capaces sæculares forent, à qua eosdem Deus prohibuisset. A missa dicenda, confessionibus audiendis prohibuit sæculares Deus: earum itaq; fieri potentes Pontificia dispensatione nulla ratione possunt. Quod si dicant, hoc Ius esse diuinum indispensabile, illud verò à Pontifice dispensabile; ne laboremus in ostendenda repugnantia huius coniuncti (Ius diuinum humana potestate dispensabile) satis erit illis respondere, iura omnia quæ Pontificia dispensatione quæri possunt, eadem consuetudine comparari, quæ aduersus legem latam oriatur.*

Vides hic à Paulo Veneto quasi euictum proclamari,

Exemptionem Clericorum diuini Iuris non esse, cum ipsa summi Pontificis dispositione Clerici sæcularibus iudicijs nonnunquam subijciantur; quin & perinde præscriptione abrogari posse, sicut Pontificis autoritate potest relaxari; cum, vt ait, *iura omnia, quæ pontificia dispensatione quæri possunt, eâdem consuetudine comparentur, quæ aduersus legem latam oriatur.*

Sed prætcrquam quod hoc dictum, nisi limitetur & probè restringatur, falsum est, speciatim verò in nostro casu, in quo ipsa consuetudo Exemptioni Clericorum aduersa, velut *corruptela* ipso Iure damnatur, vt libro sequenti fusius monstrabitur, & rectè notauit Ioannes Azor lib. 5. Instit. moralium cap. 12. q. 1. certè in toto suo discursu grauiter hallucinatur Venetus. Siquidem non aduertit, Imunitatem Ecclesiasticam, non ita esse diuini Iuris, nec verò etiam in hoc consistere, quasi nullo modo obligati esse possint Clerici ad sententias & exactiones ciuilis magistratus; hoc enim vniuersali totius Ecclesiæ praxi, passim hactenus vsitatæ repugnat, nec vlla probari potest ratione: sed quia certè fieri nullo modo potest, vt eiusmodi potestaté Laicus Magistratus sibi vendicet propria autoritate, adeoq; independéter à priuilegio seu indulto Ecclesiastici magistratus.

Nam indecentia ob quam seu naturali rationi, seu Iuri diuino aduersa dicitur ea subiectio, non in hoc consistit, quòd Clerici sæculari magistratui, quocunq; tandem modo subduntur; sed quòd ei per se, & ex sua naturâ, citra *commissionem* peculiarem Ecclesiastici Magistratus, subdantur. Sicut v. g. naturali rationi aduersari dicitur homicidium, non quo homo hominé, quocunq; demum modo occidat, sed quo priuata autoritate, extra casum iustæ defensionis, &c. occidat: Nam publica autoritate palàm est, sontes licitè occidi. Ita etiam in proposito, Imunitas Ecclesiastica Iuris

Iuris diuini esse dicitur, non qua Ecclesiastici Magistratui ciuili nullo modo subdantur vnquam; sed qua ex sua quasi natura, nisi peculiaris interueniat ab ecclesiastico magistratu legitimè facta cõmissio, sint ab eo imunes. Quod etiam in alijs casibus accidit, quando Iudicium ratione vsurpationis duntaxat iniquum, & Iuri naturali aduersum redditur.

Alia ergò ratio est huius, de qua loquimur, potestatis, & alia eius, quę circa actus intrinsecè supernaturales versatur, vt est potestas consecrandi, absoluendi, &c. à qua nõ ea tantum ratione Laici excluduntur, quòd hæc propria autoritate facere nõ possunt, sed quia nec per commissam sibi ab homine vndecunq;tandem potestatem, vllo modo ea prę-stare, quandiu Laici sunt, possunt; eò quòd hæc inprimis etiam pertineant ad potestatem ordinis, sine quo fieri nullo modo queunt; illa verò ad potestatem Iurisdictionis tantum; quæ etsi Laicis in Clericos per se nulla competat, committi tamen eis ab ecclesiastico Magistratu potest. Cætera argumenta, quæ contra hanc sententiam obijciuntur, egregie soluunt Cardinalis Bellarminus, & Gregorius de Valentia locis citatis.

CAPVT XVIII.

IMMVNITATEM ECCLESIASTICAM TAM A IVDICIIS, QVAM A TRIBVTIS CIVILIBVS CONSTARE PLANE ratione & æquitate naturali.

CVM duplex sit Ius diuinum, naturale scilicet, & positiuum, potest esse quæstio, anne Exemptio hæc sit Iuris diuini positiui tantum, an etiam naturalis. Et Cardinalis Bellarminus quidem,

 cum

cum alioqui citat. lib. 1. de membris Eccleſ. milit. cap. 28. optimè probaſſet, Exemptionem hanc eſſe Iuris diuini poſitiui, poſtea cap. 29. docet, eam non eſſe Iuris diuini naturalis, niſi prout Ius naturale quandoq; pro Iure gentium accipi ſolet, quod videlicet eſt earum rerum, quę deducuntur ex principijs Iuris naturæ, ſed per conſequentiam *non abſolutè neceſſariam, nec omnino euidentem*, & ideo egent humana inſtitutione.

Et hac mihi videtur, inquit, *eſſe ſententia ferè omnium Theologorum, & Canoniſtarum, & in re non arbitror diſſentire Ioannem Driedonem, qui in lib. 1. de libert. Chriſt. cap. 9. cum Canoniſtis dicit, Exemptionem Clericorum eſſe Iuris diuini naturalis, à Victoria & Soto locis citatis, qui dicunt eſſe Iuris humani ac poſitiui. Nam Ioannes Driedo dicit eſſe Iuris naturalis, quia eſt omnino conformis, & conſentanea rationi naturali, Victoria verò, & Sotus negant eſſe Iuris diuini naturalis; quia per Ius naturale intelligunt Ius purè naturale, quo modo etiam Sotus negat Ius gentium eſſe naturale.*

Et addunt, (inquit Bellarminus de Victoria & Soto) *in hanc Exemptionem conſenſiſſe omnes gentes, ac propterea non poſſe mutari, vel abrogari à Regibus & Principibus, etiamſi omnes ſimul eam abrogare conentur*. de quo cap. præcedenti. Quocirca etiam idem Cardinalis Bellarminus cap. 30. ſolum Couarruuiam, & Ioannem Medinam tanquam *cæteris Auctoribus liberius locutos*, ab hac ſententia videtur ſecernere, refutatis eorum argumentis.

Eodem ferè modo, etiam de hac re loquitur Gregorius de Valentia, aſſerens Exemptionem iſtam *eſſe Iuris naturalis, vel ſimpliciter, vel certè aliquo modo*, prout etiam Ius gentiũ vocari ſolet Ius naturale. Ego verò, vt clarius fiat, quantòperè hanc exemptionem, ipſa etiam naturalis ratio exigat, adferam breuiter aliquot argumenta, ex ipſa rei natura petita, ad hoc demonſtrandum. Et prius de immunitate hac

Eccle-

Ecclesiastica in commnni, prout genus vtriusq; exemptionis comprehendit, & personarum videlicet, & rerum ecclesiasticarum: deinde in specie de singulis acturus; vt vel hinc appareat, quam rectè dixerit S. Thomas præcedenti capite citatus, hanc exemptionem esse *æquitatis naturalis*.

Prima igitur ratio sumitur, ex vsu omnium gentium. Si quod enim Institutum omnibus gentibus commune est, id valde verisimile est, ipso naturali rationis dictamine esse constitutum; non enim casu in vna quapiam re conspirant oẽs: sed iam supra c. 16. ostensum, apud omnes gentes sacerdotes peculiari Immunitatis & Exemptionis prærogatiua potitos fuisse, signum est ergo id à naturali rationis ductu fuisse profectum.

Deinde magni apud me momenti est hæc generalis ratio. Quia planè videtur esse contra Ius diuinum & naturale, vt de rebus & personis sacris, propria autoritate iudicẽt Laici & profani: sed res & personæ ecclesiasticæ sunt quodãmodo sacræ: Ergo est contra diuinum & naturale Ius, vt à Laicis profanisq; hominibus propria autoritate iudicentur. Maior probatur, Quia nulla potentia propria virtute & potestate ferri potest extra genus sui obiecti; atqui obiectum profanæ potestatis ex suo genere non potest nisi profanum esse; nam si sacrum quoq; eius dicatur obiectum esse; tùm etiam potestas illa non erit profana, sed sacra; cum potentia omnis specificetur, & in suo esse constituatur per habitudinem ad obiectum. Quod adeo verum est, vt etiã cum per actum voluntatis, aut intellectus tendimus in obiectum supernaturale, potentia seu principium, à quo talis actus emanat adæquatè spectatum, non possit esse merè naturale, sed potius quoad rationem vltimi *complementi* supernaturale esse debeat. Si ergo laica potestas propria autoritate, & quasi proprijs viribus in obiectum sacrum & quodam

quodamodo ſupernaturale ferretur, ea profectò iam non amplius naturalis, ſed ſupernaturalis, non profana, ſed ſacra dicenda foret.

Minor probatur ex doctrina S. Thom. in ſecunda ſecundæ, quæſt. 99. art. 1. Vbi dicit, *ſacrum dici aliquid ex eo, quod ad diuinum cultum ordinatur. Et ſicut ex eo, quod aliquid ordinatur in finem bonum,* inquit, *ſortitur rationem boni; ita etiam ex hoc quod aliquid deputatur ad cultum Dei, efficitur quoddam diuinum. Et ſic ei quædam reuerentia debetur, quæ refertur in Deum;* atqui tam perſonæ, quam res eccleſiaſticæ pertinent & referuntur ad diuinum cultum: Ergo ſunt aliquo modo ſacræ.

Quod quidem idem S. Thomas art. 3. ibidem explicatius tradit, vbi ſimul declarat, omnem iniuriam, eiuſmodi rei irrogatam, ſacrilegium eſſe, etſi gradu diuerſum, prout res ipſa maiorem vel minorem ſanctitatis participationem habet. *Dicendum,* inquit, *quod ſicut dictum eſt, peccatum ſacrilegij in hoc conſiſtit, quod aliquis irreuerenter ſe habet ad rem ſacram. Debetur autem reuerentia rei ſacræ ratione ſanctitatis, & ideò ſecundum diuerſam rationem ſanctitatis rerum ſacrarum, quibus irreuerentia exhibetur, neceſſe eſt quod ſacrilegij ſpecies diſtinguantur. Tanto enim ſacrilegium eſt grauius, quanto res ſacra, in quam peccatur, maiorem obtinet ſanctitatem. Attribuitur autem ſanctitas & perſonis ſacris, id eſt diuino cultui dedicatis, & locis ſacris, & rebus quibuſdam alijs ſacris. Sanctitas autem loci ordinatur ad ſanctitatem hominis, qui in loco ſacro cultum Deo exhibet. Dicitur enim 2. Machab. 5. Non propter locum gentem, ſed propter gentem, locum Deus elegit. Et ideo grauius peccatum eſt ſacrilegium quo peccatur contra perſonam ſacram, quam quo peccatur contra locum ſacrum. Sunt tamen in vtraq; ſacrilegij ſpecie diuerſi gradus, ſecundum differentiam perſonarum, & locorum ſacrorum. Similiter etiam & tertia ſpecies ſacrilegij, quæ circa alias res ſacras*

com-

committitur, diuersos habet gradus secundum differentiam rerum sacrarum. Inter quas summum locum obtinent ipsa sacramenta, quibus homo sanctificatur; quorum præcipuum est Eucharistiæ sacramentum, quod continet ipsum Christum. Et ideo sacrilegium quod contra hoc sacramentum cõmittitur, grauissimum est inter omnia. Post sacramenta autem secundum locum tenent vasa consecrata ad Sacramentorum susceptionem, & ipsæ imagines sacræ; & reliquiæ Sanctorum, in quibus quodammodo ipsæ personæ Sanctorum venerantur, & dehonorantur. Deinde ea quæ pertinent ad ornatum Ecclesiæ, & ministrorum: Deinde ea quæ sunt deputata ad sustentationem ministrorum, siue sint mobilia, siue immobilia. Quicunque autem contra quodcunq; prædictorrm peccat, crimen sacrilegij incurrit.

Vides hîc S. Thomam, & personas, & res ecclesiasticas, etiam illas, quę sunt destinatæ ad ministrorum sustentationem, seu bona mobilia sint, seu immobilia, apertè rebus sacris adnumerare, quarum indecenti tractatione sacrilegiũ committatur. Quod à S. Thoma prolatum, eò plus autoritatis habere decet, quò magis ipse scholasticè & propriè loqui assuetus, à Catachresibus & hyperbolis, præsertim in scholasticis disputationibus, abstinet. Sed quid opus autoritate humana, vbi diuina longe augustior suppetit? Certè Leuit. vlt. apertè dicitur: *Quidquid semel Deo fuerit consecratum, Sanctum Sanctorum erit Domino.* Res autem omnes ecclesiasticæ, Deo ipsi fuerunt oblatæ & dedicatæ, vt SS. Patres & ipsi fundatores pij loquuntur. Ergo sunt *Sancta Domino.*

Meritò igitur Ioannes Papa VIII. dist. 96. can. 11. ait. *Si Imperator Catholicus est (quod salua pace ipsius dixerim) filius est, non Præsul Ecclesiæ, quod ad religionem competit, discere ei conuenit, non docere. Habet priuilegia suæ potestatis, quæ administrandis legibus publicis diuinitus consecutus est: vt eius be-*

neficijs non ingratus, contra dispositionem cœlestis ordinis nil vsurpet. Ad Sacerdotes enim Deus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere, non ad sæculi potestates, quas, si fideles sunt, Ecclesiæ suæ Sacerdotibus voluit esse subiectas. Non sibi vindicet alienum ius, & ministerium, quod alteri deputatum est: ne contra eum tendat abrumpi, à quo omnia constituta sunt, &c. Recte etiam Theodosius & Valentinianus Imperat. in epist. ad Synodum Ephesinam missa, professi sunt, *illicitum esse eum, qui non sit ex ordine sanctissimorum Episcoporum Ecclesiasticis intermisceri tractatibus*, vt refertur etiam distinct. 96. can. 7. Rectè Nicolaus I. *Hi*, inquit, *quibus tantum humanis rebus, & non diuinis praeesse permissum est, quomodo de his, per quos diuina ministrantur, iudicare præsumant, penitus ignoramus*, vt c. 8. dictũ est.

Tertiò his addo & hanc rationem, ex S. Thomæ doctrina desumptam. Ad idem potestatis genus, non ad aliud spectat, disponere de fine & medijs, seu rebus per se ordinatis ad finẽ; sed ad Ecclesiasticam sólũmodo potestatẽ spectat dispositio de fine, qui est cultus supernaturalis Dei: ergo ad eandem etiam potestatem, non ad aliam, pertinet dispositio de ijs quæ sunt per se ad hunc finem ordinata. Talia autẽ sunt, vt paulò ante vidimus ex S. Thom. personę & res Ecclesiast. quæ non per accidens tantũ & extrinsecè, seu remotè vt res aliæ humanę, sed per se im̃ediatè, & ex sua natura ad finẽ supernaturalem diuini cultus ordinãtur; cũ sint & ipsa ordinis supernaturalis. Minor huius syllogismi est certa, & extra controuersiam apud omnes Catholicos. Maior est S. Thomæ, in 2. 2. quæst. 81. artic. 5. ad 1. vbi dicit, *quod semper potentia vel virtus, quæ operatur circa finem, per imperium mouet potentiam, vel virtutem operantem ea, quæ ordinantur in finẽ illum.* Et recepta Theologorũ doctrina est, eiusdẽ virtutis esse, versari circa finem suum proprium, & cir-

& circa media per ſe ad hunc finem ordinata. Quod ſi aliquando in vſu mediorum, alterius etiam virtutis ſeu potentiæ actum interuenire neceſſe eſt, ne tum quidem propriè loquendo diſpoſitio de vſu medij, quâ medium eſt, ad eam virtutem ſeu potentiam pertinet, ſed ad virtutem ſuperiorem, quæ circa ipſum finem verſatur; cum inferior illa virtus, non niſi ex imperio & motione ſuperioris, attingere medium illud, quâ tale poſſit. Sic ergo etiam propriè loquendo, ſola poteſtas Eccleſiæ, quæ circa finem ipſum diuini cultus verſatur, diſponendi facultatem habet de rebus ſacris, quæ per ſe ad hunc finem pertinent; quidquid autem politica poteſtas circa hoc facit, non niſi ex motione, & commiſſione, ſeu imperio Eccleſiaſticæ poteſtatis facere debet.

Ratio eius doctrinæ eſt. Quia ſicut finis & media proxima, ſunt inter ſe intrinſecè & ex ſua natura ſubordinata, eiuſdemque ordinis, ita neceſſe eſt etiam poteſtatem quæ circa finem, & quæ circa media verſatur, eſſe inter ſe non tantum quacunque ratione ſubordinatas, ſed etiam eiusdẽ ordinis. Ergo ſi poteſtas quæ circa finem verſatur eſt Eccleſiaſtica, neceſſe eſt, vt etiam poteſtas illa quæ verſetur circa ea, quæ per ſe ad finem hunc ordinantur, ſit Eccleſiaſtica, adeoq; eiuſdem generis, non diuerſi.

Poſtremò ſanè à nemine poteſt negari, Eccleſiaſticam poteſtatem, per ſe verſari circa res & perſonas ſacras, quod omnis ſcriptura, omnis hiſtoria teſtatur, ratioq; apertè cõuincit, ne alioqui poteſtas hæc in ſuo ordine manca ſit, & imperfecta, quod abſq; ſcelere dici non poteſt: eò vel maximè, cum in Eccleſia primitiua nulla fuerit laica vel ſecu-

laris poteſtas, nulli Principes, nulli Reges politici, &c. Cum igitur diuerſæ poteſtates in humanis, non poſſint ex æquo verſari circa eoſdem actus & obiecta, ne alioqui confuſio & perturbatio poteſtatum & regminis conſequatur; neceſſe eſt, vt ſi eccleſiaſtica poteſtas per ſe verſatur circa res eiuſmodi, & perſonas ſacras, politica poteſtas non niſi per accidens, & cum inferior ſit, nō niſi ex commiſſione, ſeu imperio eccleſiaſticæ poteſtatis, circa hæc verſari poſſit. Quod ſi propria autoritate in his quippiam attentet, manifeſtè alterius poteſtatis Iura & fines contra diuini & naturalis Iuris præſcriptum inuadit. Atq; hæc in genere de vtraq; exemptione dicta ſunto.

Iam verò in ſpecie Ius exemptionis eccleſiaſticæ, quoad perſonas, hoc argumento, ex ipſa rei natura deducto cōprobatur. Quia ſpiritualis & Eccleſiaſtica poteſtas ex ipſo fine, actibus, & obiectis ſuis, adeoq́ue omni modo eſt ſuperior, firmior, & excellentior poteſtate ciuili, quod libr. ſeq. cap. 8. manifeſtum faciemus, & nemo niſi hæreticus, aut totius tam ciuilis, quàm Eccleſiaſticæ Gubernationis penitus ignarus, negârit. Debet ergò, ſi id verum eſt, eiuſdem Eccleſiaſticæ poteſtatis vſus & executio, à poteſtate ciuili, eiuſq; vſu non impediri; impediretur autem, imò penitus eneruaretur omnis propemodum vſus & executio Eccleſiaſticæ poteſtatis; ſi huius miniſtri eſſent ſubditi poteſtati ciuili: Ergo Eccleſiaſticæ poteſtatis adminiſtratores, ex ipſa rei natura quaſi vendicāt ſibi hanc exemptionem à foro & poteſtate ciuili ſeu ſæculari; adeoq; Iure quodam naturali, non humano tantum ſunt ab eadem poteſtate exempti.

In hac argumentatione ſolius probatione minoris opus eſt, qua diximus, vſum & executionem Eccleſiaſticæ poteſtatis magnopere eneruatum iri, ſi eius adminiſtri ſubijciantur

antur potestati sæculari. Quod ita nunc breuiter probatur, cap. sequenti ex S. Thoma latius deducendum. Nam actus præcipui Ecclesiasticæ potestatis sunt, doctrinam salutarem proponere, vitia arguere, virtutum officia commendare, & si opus sit, imperare. Item peccantes corrigere, contumaces plectere, absoluere pœnitentes, obstinatos ligare. Hæc autem efficaciter, cum dignitate & authoritate, præstari non possent, erga Laicos, si Ecclesiæ ministri ipsis Laicis subderentur; tùm quia aut ob timorem Laicæ potestatis, sæpius ab Ecclesiasticis aut omitterentur penitus, aut nonnisi languidè præstarentur. Aut quia etiam pro viribus præstita, facilè à Laicis contemnerentur, seu velut à subditis facta, seu scandalo in aduersum trahente partem. Quod facile credet, qui & ipsam corruptam hominis naturam, & mores temporum perpendit.

Atq; hoc est, quod Constantinus Imperator indicauit, cum diceret apud Ruffinum lib. 1. hist. cap. 2. *Deus vos constituit Sacerdotes & potestatem vobis dedit, de nobis quoq; iudicandi, & ideò nos à vobis rectè iudicamur, vos autem non potestis ab hominibus iudicari.* Hoc etiam est, quod eidem Constantino tantam erga Sacerdotes & Episcopos obseruantiam ingenerauit, vt diceret apud Theodoretum lib. 1. cap. 11. *Sacerdotum vitia non sunt populo aperienda, ne inde ille causa offendiculi arrepta, licenter peccare aggrediatur. Quin etiam eum hoc quoq; adiecisse memorant; Si suis oculis Episcopum alienæ vxori stuprum inferre fortè videret, facinus illud nefandum suo paludamento se obtecturum, ne facinoris aspectus eos, qui idipsum cernerent, vlla ex parte læderet.* Hæc etiam causa est, ob quam Constantinus Imperator, in suo rescripto vetuit, Episcopos in sæculari tribunali accusari, *ne dum adfutura ipsorum* (Episcoporum, si sæculari iudicio sint expositi) *beneficio impunitas æstimatur, libera sit ad arguendos eos animis furialibus*

bus copia. Quæ iam à nobis capite 10. fusius relata sunt. Deinde quis non videt, à ratione penitus alienum esse, vt ouis Pastorem, filius Patrem, maior minorem, esto culpabilis sit, iudicet, & puniat; vt optimè dixerunt Sancti Patres, in specie verò S. Clemens Romanus, supra cap. 12. citatus. Atqui sanè Ecclesiastici ipso statûs sui & ordinis genere, superiores sunt Laïcis, & Sacerdos qualiscunque sit moribus, certè tamen officio, ordine & dignitate Pater & Pastor est Laicorum, vt rectè agnouit Basilius Imperator supra cap. 8. Ergo est contra naturalem rationem, vt Ecclesiastici Laicis subijciantur. Qua de re iam olim etiam grauissimè scripsit Gregorius VII. lib. 8. epist. 21. ad Episcopum Metensem, & refertur dist. 96. can. 9. *Quis dubitet,* inquit, *Sacerdotes Christi, Regum & Principum, omniumq; fidelium Patres censeri? Nonne miserabilis insania esse cognoscitur, si filius Patrem, discipulus Magistrum sibi conetur subiugare, & iniquis obligationibus illum suæ potestati subijcere: à quo credit non solum in terra, sed etiam in cœlis se ligari posse & solui?* Ita Pontifex.

Exemptionem verò rerum Ecclesiasticarum, ipsa etiam naturali ratione præscribi, hoc vnico argumento placet hic ostendere. Res quas peculiari modo & Iure constat esse ipsius Dei, seu Christi Domini, iure vtiq; naturali & diuino sunt exemptæ ab exactionibus & potestate Principum sæcularium: Sed res Ecclesiasticæ quæcunq;, etiam illæ, quæ ad victum solummodo ipsorum ministrorum, seu in Eleemosynas fidelium, pijs legatis & donationibus, accedente simul Ecclesiæ acceptatione, destinatæ sunt, peculiari modo & Iure res propriæ ipsius Dei sunt: Ergo naturali & diuino Iure sunt ab eiusmodi exemptionibus liberæ.

Maior videtur certa & euidens ex ipso lumine naturali; cui

cui penitus aduersatur, vt Deus, seu Christus Dominus, ex rebus sibi peculiariter mancipatis, tributum pendere sæcularibus Principibus cogatur. Aliud est quasi precarium quoddam subsidium ijs præstare, hoc enim in certis casibus, vt prompto & hilari animo fiat, ab eiusmodi bonorum administratoribus, qui sunt Ecclesiæ Rectores, non vtique displicet Deo, sed magnopere placet; quemadmodum etiam ex Ecclesiæ declaratione, id subinde, certis circumstantijs seruatis, fieri posse, & debere, ex duorum Conciliorum generalium constitutionibus, nempe Lateranensis sub Alexandro III. & alterius itidem Lateranensis sub Innocentio III. iam supra ostendimus, & rursum dicetur lib. 2. cap. 12.

Deinde probatur eadem maior euidenter, ex cap. 17. Matthæi, Vbi Christus nimirum hoc apertè declarauit, se velut naturalem Dei filiũ à tributo liberum esse, ijs verbis, *Ergo liberi sunt filij. Vt autẽ nõ scandalizem⁹ eos, vade ad mare, &c.* De qua re cap. 14. Nec opus hic est alia probatione maioris.

Minor quidem probari posset innnmeris veterum testimonijs, quibus passim asserunt, eiusmodi bona à fidelibus collata in Ecclesiam, Deo donata esse, ipsiusq; Dei esse. Sed quia multa in hunc sensum prolixè refert Nauarrus in suo tractatu de reditibus Ecclesiæ, & non pauca ex allatis supra testimonijs à Lectore adnotari poterũt, duo tantũ adducã. Primum sumitur ex Canone Apostolorum 39. qui talis est. *Omnium negotiorum Ecclesiasticorum curã Episcopus habeat, & ea velut Deo contemplante dispenset. Nec ei liceat ex eis aliquid omnino contingere, aut Parentibus proprijs (quæ Dei sunt) condonare. Quod si pauperes sunt, tanquam pauperibus subministret; nec eorum occasione Ecclesiæ negotia deprædentur.*

Alterũ est Concilij Tridentini Sess. 25. cap. 21. de Reformat. vbi sic statuit: *Omnino verò* (Ecclesiasticis) *interdicit, ne ex* reddi-

redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresue suos augere studeant; cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sint, ijs vt pauperibus distribuant, eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa. Imò quàm maximè potest, eos sancta synodus monet, vt omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosq; carnis affectum, vnde multorum malorum in Ecclesia seminarium exstat, penitus deponant. Ita Concilium. Et sanè vides vtrobiq;, lector, disertè asseri, bona Ecclesiæ *Dei esse* vtiq; velut peculiare quoddam peculium. Cætera omitto, cum præsertim ipsemet Paulus Venetus, pro hac sententia maximè pugnare velle videatur; cui non placet illa quorundam Theologorum, precipuè recentiorum opinio, qua dicunt, Ecclesiasticos esse dominos fructuum; *Nunc tandem*, inquit; *extitère quidam, exortaq; opinio est, ab omnibus bonis Theologis, Canonumq; Consultis improbata, Clericos esse dominos fructuum, quamuis Canonibus ac Patribus constanter clamantibus, bona Ecclesiastica esse pauperum. Quare*, inquit, *etiam sacrum Concilium Tridentinum omnino interdicit Episcopis, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresue suos augere studeant, cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent, &c.* Vt supra vidimus. Cum ergo sacri Canones, speciatim verò Concilium Tridentinum asserant, & ex illo Paulus Venetus fateatur, res Ecclesiæ esse Dei, in vsum scilicet & sustentationem tum ipsorum ministrorum, tum pauperum, ab Ecclesia, ipsius Dei nomine, acceptatas: non est cur in illa minore propositione diutius hæreamus.

Hoc tantum addo, licet totius huius argumenti filum non paulò maiorem vim habeat, iuxta Doctorum communem sententiam, quæ asserit, Ecclesiasticos non esse dominos eorum fructuum, quos vltra conuenientem vitæ susten-

ſuſtentationem percipiunt, quam ego ſententiam etiam ſuperiore anno in ſcholis docui, nihilominus tamen etiam ſecundum aliorum opinionem vtcunque procedere. Quandoquidem ſaltem fatentur omnes, & ipſorum bonorum immobilium: ſicut & eorum, quæ ad Eccleſias ipſas immediatè pertinent, dominium non eſſe penes ipſos Eccleſiaſticos ſingulos; & ipſos etiam prouentus, ſeu fructus ſuſtentationi ſuperfluos, eſſe peculiari ratione Deo, ad eleemoſynas & pia opera obligatos.

Satis ergo de hoc argumento, quod planè non tam meum eſt, quàm ipſius ſancti Pontificis Vrbani, qui proximus Apoſtolorum temporibus vixit; cuius teſtimonium etſi iam ſuperius cap. 12. recitatum ſit, hic tamen quædam eius particula non importunè repetetur: *Ipſæ res fidelium*, inquit, *oblationes appellantur, quia Domino offeruntur. Non ergo debent in alijs vſibus, quam Eccleſiaſticis & prædictorum Chriſtianorum fratrum, vel indigentium conuerti. Quia vota ſunt fidelium, & precia peccatorum, ac patrimonia pauperum, atque ad prædictum opus explendum, Domino traditæ, &c.* Concludo hunc locum cum S. Thoma, in Commentario capitis 13. epiſt. ad Romanos lect. 1. vbi cum dixiſſet *etiam apud Gentiles liberos fuiſſe à tributis illos, qui vacabant rebus diuinis*, addit: *Hoc autem omninò æquum eſt, quia ſicut Reges ſolicitudinem habent de bono publico in bonis temporalibus; ita miniſtri Dei in ſpiritualibus. Et ſic per hoc, quod Deo miniſtrant in ſpiritualibus, recompenſant Regi, quòd pro eorum pace laborat.* Ita S. Thomas.

CAPVT XIX.

ETIAMSI IMMVNITAS HÆC, NEC DIVINI IVRIS ESSET, PROPRIE LOQVENDO, NEC NATVRALIS; EAM TAMEN POtuisse nihilominus à summo Pontifice constitui, etiam sine consensu Principum.

POtest quidem fortasse alicui hęc res videri superflua, suppositis ijs, quæ capitibus præcedentibus dicta sunt. Si enim, vt probatum est, Exemptio hæc est Iuris diuini, & quasi naturalis; si etiam expressis Conciliorum, summorumq; Pontificum decretis, ex consensu quoque ipsorum Imperatorum, summorumq; Principum constituta est, quid attinet iam vlterius probare, potuisse eam ab Ecclesia, eiusq; supremis Rectoribus, etiam absque consensu Principum sanciri; si vel maximè nec propriè diuini Iuris esset, nec naturalis? Ego verò vt facile intelligo, caput hoc absque vlla eius, de qua agimus, causæ præiudicio prætermitti potuisse; ita etiam aduerto, ad nostrum institutum nonnihil conferre posse. Quia enim fortasse sunt nonnulli, adeo in ea, quam semel hauserunt sententia, ob firmati, vt nullo modo sibi patiantur persuaderi, Ecclesiasticam immunitatem esse Iuris diuini, aut naturalis; quin & præterea Veneti scriptores dicere non verentur, vt sub finem secundi libri videbimus, Exemptionem à criminalibus iudicijs nunquam fuisse à Repub. Veneta receptam; ac proinde, cum Exemptio Ecclesiastica suam vim omnem habeat à consensu & authoritate Principum, culpari Rempub. non posse, quòd iure suo vtendo, Clericos in grauioribus saltem criminibus suo tribunali subijciat, &c. Idcirco non abs re erit, ostendere, Ius illud etiam solius Ecclesiæ autoritate constitui potuisse, etsi

nec

nec diuino, aut naturali iure præscriptum, nec Principum assensu fuisset approbatum.

Neq; verò hoc est difficile ostendere, in quo quantum scire licuit, Catholicorum neminem, sed solos Ioannem Caluinum, Petrum Martyrem, Ioannem Brentium, aliosq; nostri temporis hæreticos, & ferè cum his sentientes Marsilium de Padua, Ioannem Marsilium, F. Paulum Venetum Seruitam, &c. à nobis dissentientes habemus; qui vel vniuersim Ius Ecclesiasticæ exemptionis, saltem in causis temporalibus damnant, vt videre est apud Cardinalem Bellarminum lib. 1. de membris Ecclesiæ milit. cap. 28. aut in Principum arbitrium seu priuilegia vniuersim reijciunt.

Ioannem Caluinum Venetorum scriptorum placitis accinentem audire, non fuerit importunum. Is lib. 4. Institutionum cap. 11. numero 15. ita loquitur: *Iurisdictioni annexa est immunitas, quam sibi sumunt Clerici Romanenses. Rem enim indignam esse putant, si in causis personalibus, coram ciuili Iudice respondeant: atq; in eo positam esse arbitrantur Ecclesiæ tum libertatem, tum dignitatem, si communibus iudicijs ac legibus eximantur.* Quæ à Caluino Hæresiarcha non paulò ferè modestius dicta sunt, quàm à Paulo Veneto illa: *Nomen Ecclesiæ quod ad omnes Christi fideles pertinebat antiquitus, nunc ad Clericos tantum plerunq; significandos reuocatum videtur. Quare & propria illis libertas attributa est, cuius primus videtur Honorius III. meminisse, &c.* Age ergo ostendamus, contra manifestum hunc errorem, summo Pontifici potestatem exemptionis sanciendæ adimentem; potuisse illum iure optimo hanc Immunitatem constituere, tam Iuris diuini præcepto, quam sæcularis Magistratus consensu seposito. Qua in re, eos ipsos authores, qui Ecclesiasticam libertatem negant esse Iuris diuini & naturalis, consentientes habemus, vt tum capite 17. ex Victoria, Soto, Couarruuia apertè

monſtrauimus, tum rurſum ex ſequentibus conſtabit apertius.

Certe Victoria citata relect. 1. de poteſtate Eccleſiæ, ſect. 7. num. 5. hanc quintam concluſionem ſtatuit: *Dato, quod perſonæ Eccleſiaſticæ non eſſent exemptæ iure diuino, aut Cæſareo, ſummus Pontifex potuit eas eximere, à poteſtate ciuili.* Idq; ibidem ipſe egregiè probat. *Nam hoc eſt conueniens,* inquit, *imò videtur neceſſarium ad adminiſtrationem rerum ſpiritualium, quòd perſonæ Eccleſiaſticæ ſint exemptæ à iudicio ciuili. Et vt ſupra dictum eſt, Reſpub. Eccleſiaſtica eſt perfecta & ſufficiens; ergo in ea eſt poteſtas ad ferendas leges conuenientes adminiſtrationi Eccleſiæ: ergo ſi exemptio Clericorum eſt conueniens, poteſt ferre leges de tali exemptione. Quod autem ſit neceſſaria talis exemptio, patet.* Cætera, quæ fuſius à Victoria adducta ſunt, omitto.

Sotus loco citato, concluſionem ſextam, vt vidimus hanc ſtatuit: *Quamuis Clerici neq; in ſuis perſonis, neq; in ſuis bonis eſſent diuino Iure liberi, nihilominus Papa potuit, etiam inconſultis Principibus, & debuit eos ab eorum exactionibus & foro excipere, &c.*

Couarruuias loco citato hanc tertiam concluſionem ponit: *Potuit nihilominus ſummus Eccleſiæ Pontifex Clericos, & eorum res à Iuriſdictione ſæculari eximere: idq; conueniens fuit, & eſt Chriſtianæ Reipublicæ, non tantum in ſpiritualibus, quod iure diuino iam erat inſtitutum, ſed & temporalibus.* Et addit: *Huius concluſionis author eſt Innocentius in cap. 2. de maiorit. & obedientia; quem alij communiter ſequuntur, &c.* Ita Couarruuias.

Verba autem Innocentij citato cap. 17. iam retulimus: Cum enim quod res eſt, dixiſſet, Papam conſentiente Imperatore, exemiſſe Clericos; addit: *Sed hi non plenè eximunt. Vnde dicimus, quòd exempti ſunt à Deo. Vel dic, quòd Papa etiam ſine conſenſu Imperatoris benè potuit eos eximere à Iuriſdictione Imperatoris, per ſuas Conſtitutiones.* Et ſanè non immerito dixit

dixit Innocentius, eam non fore *plenam exemptionem*, si ita facta esset à Pontifice ex consensu Imperatoris, vt absq; tali consensu sanciri non potuisset. Nam si hoc verum esset, valde pronũ aduersarijs foret, obijcere, eos Principes, qui se cæsareis legibus adstrictos nullo modo agnoscũt, nõ teneri ad exemptionis legem seruandã, si quidem ipsi, aut eorum Antecessores nunquam in eam consensissent; quod vt maximè volunt Veneti Scriptores; ita, sat scio, alius nemo Catholicus dixerit.

Probatur igitur primum hæc potestas, ex illo contra hæreticos decantatissimo axiomate, Matth. 16. *Tu es Petrus &c. Tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis. Et quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis, &c.* Ex quo loco Catholici Doctores communiter probare solent, Ecclesiam, adeoq; Põtificem habere potestatem, leges ad gubernationem spiritualem animarum vtiles, toti Ecclesiæ præscribendi. Optimè Cardinalis Bellarminus l. 4. de Pontifice Rom. cap. 16. *Hæc verba*, inquit, *referri possunt & debent ad omnia, quæ secundũ vsum scripturæ dicuntur ligari. Nam generaliter loquitur Dominus, nec dicit: Quemcunq; ligaueris, sed quodcunq; ligaueris. Inuenimus autem Matth. 23. ligare, significare legem imponere: Alligant enim, inquit, onera grauia & importabilia imponũt in humeros hominũ, digito autem suo nolunt ea mouere*. Ita Bellarm. Quod si ergò est in Ecclesia potestas, leges ad cõmune totius Ecclesiæ bonũ oportunas præscribendi, quis dubitat, esse pariter in ea potestaté eximédi Clericos à potestate sæculariũ Principũ; cum eius rei oportunitas, imò & necessitas (moraliter loquendo) iam antea superioribus capitibus abundè sit cõprobata; nec multò pòst plura sint hac de re dicenda.

Secundò probatur ex illo 1. Corinth cap. 6. *Audet aliquis vestrum, habens negotium aduersus alterum, iudicari apud*

iniquos, & non apud Sanctos? &c. De quo loco supra cap. 14. fusè actum est; ad præsens verò institutum inde duplex argumentum sumere licet. Primum. Si Apostolus autoritatem & potestatem habuit præcipiendi, ne tam laici Christiani, quam Clerici vspiam alibi suas inter se causas actitarent, quam coram tribunali Ecclesiastico; tum & Pōtifex, siue Ecclesia posterior, iustis ex causis habebit potestatem statuendi, ne saltem Ecclesiasticæ personæ, vspiam alibi à Christianis, quam ad Tribunal Ecclesiasticum suas causas dicere compellantur: sed verum est antecedens, vt euidenter patet tùm ex verbis Apostoli, tùm ex ijs quæ cap. 14. dicta sunt: Ergo & consequens verum est, potuisse videlicet ab Ecclesia statui legem, ne Clerici vspiam alibi à Christianis, quam ad Tribunal ecclesiasticum suas causas dicere compellantur.

Maior huius syllogismi ex eo euidens est. Quia plus est constituto ecclesiastico tribunali, à tribunali Principum Ethnicorum Laicos simul & Clericos repellere; quam à tribunali Principum Christianorum prohibere solos Clericos siue Ecclesiasticos; non solùm quia maius quiddam est, vtrumq; simul hominum genus, quàm vnum à compellatione sæcularis Iudicis arcere; sed etiam quia manifestior erga Christianos, adeoq; subditos Ecclesiæ Principes, est Ecclesiæ potestas, vt proinde, si potuit Ecclesia lege lata, ab Ethnicorum Principum tribunali Christianos auocare, multò magis, iustis causis suppetentibus, possit à tribunali Principum Christianorum arcere Ecclesiasticos. Suppetere autem planè iustas & vrgentes causas, cur Ecclesiastici à iudicijs sæcularibus Principum debeant esse exempti, partim capite præcedenti, & citato capit. 14. satis ostendimus: partim inferius paulò post, nonnihil in eundem sensum addetur.

Sed

Sed quia hoc argumento plus non probatur, quam in Ecclesia potestatem esse legem statuendi, vt nullo Christianorum etiam Principum obstante, Ecclesiastici possint & debeant ad solum tribunal ecclesiasticum cum opus esset, vocari; quod quidem imperfectæ cuiusdam exemptionis genus est; idcirco hoc alterum ex citato Apostoli loco argumentum duco; ad probandum, esse quoque in Ecclesia potestatem, iustis ex causis, penitus eximendi ecclesiasticos à iudicio & Iurisdictione Principum sæcularium: Si Ecclesia ex iustis causis habet potestatem erigendi inter fideles ipsos proprium tribunal, eosq; etiam compellendi, vt nusquam alibi Ius & iudicium expetant, idq; tàm in ciuilibus, quàm criminalibus causis, habebit profectò etiam potestatem penitus eximendi Clericos, iustis de causis, à tribunali sæculari: Sed est in Ecclesia iustis causis exigentibus, potestas erigendi proprium tribunal, tàm in criminalibus quàm ciuilibus causis, ipsosq; fideles præcepto compellendi, vt hoc duntaxat tribunal adeant, vt ex S. Paulo manifestum fecimus. Ergo est etiam in Ecclesia potestas penitus eximendi Clericos, iustis de causis, à tribunali sæculari.

Minor huius syllogismi patet ex dictis. Maior probatur. Quia quisque suo tribunali subditos, potest eximere à tribunali quouis alio, à quo sui tribunalis authoritas non dependeat, quodq; absolutè & simpliciter suo inferius est. Et quamuis Apostoli olim in primitiua Ecclesia non ita exemerint fideles (secundum aliquos verò, nec ecclesiasticos quidem) à tribunali ciuico, vt Ius & potestatem quoque ipsam Christianos in ciuilibus, seu criminalibus causis iudicandi, sæcularibus iudicibus auferrent: eo quod Ethnici cum essent illi, in primordio statim Ecclesiæ id absq; scandalo graui, & magno fidei, ipsiusq; Ecclesiæ periculo fieri non posset: satis tamen hoc argumento ostenditur,

ditur, eam potestatem Apostolis non defuisse; si ratio & vsus eius exercendæ causam præbere nt.

Tertiò probatur hæc potestas authoritate Ecclesiæ multis modis. Nam vt colligi potest ex iis, quæ supra cap. 4. & sequentibus octo capitibus fusè commemorauimus, Ecclesiastica libertas non tātum his posterioribus quatuor seculis, perpetuo Ecclesiæ vsu recepta & comprobata, multisq; summorum Pontificum rescriptis sæpius constituta & inculcata fuit; sed etiam antiquissimorum & sanctissimorum Pontificum & Martyrum, eorum qui Apostolis ꝓximè successerunt, decretis, continua quasi serie præscripta; quin & complurium generalium conciliorum sanctionibus roborata fuit; præcipuè verò Concilij Chalcedonēsis, Concilij Lugdunensis sub Gregorio X. Concilij Lateranensis triplicis, sub Alexandro III. sub Innocentio III. & Leone X. denique & ipsius Tridentinæ synodi sess. 25. de Reformat. cap. 20. nusquam ullibi, vt apparet, exspectato, vel tanquam conditione necessaria, requisito Principū consensu.

Certè quidem tanta, tamque sacrosancta est Concilij Tridentini autoritas, vt licet omnis alia deesset Ecclesiæ sanctio, aliaque nulla ratio suppeteret, ipsum tamen per se tantæ autoritatis Concilium ad hanc Ecclesiæ potestatem comprobandam, ipsumq; Ius immunitatis Ecclesiasticæ, inuiolabili robore firmandum, cuiusq; hominis Catholici iudicio, meritò sufficiens censeri posset & deberet. Vide enim, quam luculenter Ius Ecclesiasticæ libertatis asserat, suaq; autoritate confirmet loco citato. *Cupiens sancta synodus Ecclesiasticam disciplinam, in Christiano populo, non solùm restitui, sed etiam perpetuò sartam, tectam à quibuscunque impedimētis conseruari, prater ea, qua de Ecclesiasticis personis constituit, sæculares quoq; Principes officij sui admonendos esse censuit, confidēs*

eos

eos, vt Catholicos, quos Deus sanctæ fidei, Ecclesiæq; Protectores esse voluit, ius suum Ecclesiæ restiiui, non tantum esse concessuros, sed etiam subditos suos omnes ad debitam erga Clerum, Parochos & superiores ordines reuerentiam reuocaturos; nec permissuros, vt officiales, aut inferiores Magistratus, Ecclesiæ & personarum Ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus cōstitutam, aliquo cupiditatis studio, seu inconsideratione aliqua violent; sed vna cum ipsis Principibus debitam sacris summorum Pontificum & Consiliorum constitutionibus obseruantiam præstent.

Decernit itaq; & præcipit, sacros Canones & Concilia generalia omnia, nec non alias Apostolicas sanctiones, in fauorem Ecclesiasticarum personarum, libertatis Ecclesiasticæ, & contra eius violatores editas; quæ omnia etiam præsenti decreto innouat, exactè ab omnibus obseruari debere.

Proptereaq; admonet Imperatorē, Reges, Respublicas, Principes, & omnes & singulos, cuiuscunq; status & dignitatis extiterint, vt quo largius bonis temporalibus, atq; in alios potestate sunt ornati, eò sanctius quæ Ecclesiastici Iuris sunt, tanquam Dei præcipua, eiusq; patrocinio tecta, venerentur: nec ab vllis Baronibus, Domicellis, Rectoribus, alijsue Dominis temporalibus seu Magistratibus, maximeq; Ministris ipsorum Principum, lædi patiantur: sed seuerè in eos, qui illius libertatem, immunitatem, atq; Iurisdictionem impediunt, animaduertant: quibus etiam ipsimet exemplo ad pietatem, religionem, Ecclesiarumq; protectionem existant: imitantes anteriores optimos, religiosissimosq; Principes, qui res Ecclesiæ sua inprimis autoritate ac munificentia auxerunt, nedum ab aliorū iniuria vindicarunt. Adeoq; ea in re quisq; officium suum sedulò præstet: quo cultus diuinus deuotè exerceri, & Prælati, cæteriq; Clerici in residentijs & officijs suis, quieti, & sine impedimentis, cum fructu & ædificatione populi, permanere valeant.

Intelligis quãta authoritate, & quot modis Ecclesiastica libertas & immunitas à Concilio Tridentino, quod nemo Catholicus respuat, sanciatur. Primò iudicat, ad officium Principis Christiani pertinere, vt nihil contra ecclesiasticã libertatem seu im̃unitatem *aut faciat ipse, aut fieri permittat.* Secundo hanc ipsam libertatem, seu immunitatem censet pertinere ad *Ius Ecclesiæ.* Tertiò dicit, eandem immunitatem *Dei ordinatione & canonicis sanctionibus constitutam.* Quartò eius obseruationem nominat *debitam sacris summorum Pontificum & Conciliorum constitutionibus obseruantiam.* Quinto decernit & præcipit, *sacros Canones & Concilia Generalia omnia, nec non alias Apostolicas sanctiones in fauorem Ecclesiasticarum personarum, libertatis Ecclesiasticæ, & contra eius violatores editas exactè ab omnibus obseruari debere*; quæ ꝓpterea etiam denuo *innouat.* Sexto asserit ea, quæ ecclesiastici Iuris sunt, esse quasi res quasdam *præcipuas Dei, eiusq́; patrocinio tectas.* Septimo proinde monet, vt summi etiam terræ Principes, ea præcipuo studio venerentur & tueantur; idq́; *exemplo optimorum religiosissimorũq́; Principum.* Habemus ergo non vnam tantum legem ecclesiasticam, eamq́ue generalis synodi authoritate constitutam, qua ecclesiastica libertas & immunitas sanciatur; sed in ea quoque oĩa alia decreta Ecclesiæ ad eam rẽ spectantia pariter renouata.

Quis iam verò tantæ sit confidentiæ homo, vt asserere ausit, leges, quibus ecclesiastica libertas & immunitas sancitur, non esse iure latas? Quod nihil aliud esset, quam omnes Pontifices, omnia Concilia etiam generalia, & in his speciatim sanctissimam synodum Tridentinam, quibususpiam ecclesiastica libertas & immunitas cõstituta est, erroris, imò & iniustitię damnare, idq́; circa vniuersalem legem ad mores & disciplinam totius Ecclesiæ pertinentẽ; quod facilè quisque Catholicus videt non solum errorem esse

scan-

ſcandalo pleniſſimũ;ſed plane etiã hęreſin,vtpote ſentẽtiã, tantorum Conciliorũ decretis & definitionibus aduerſam.

Deinde qui ita ſentiret, non ſolum in ipſa Veneta ditione leges ad Eccleſiaſticam immunitatem pertinentes, meritò ac impunè negligi poſſe putaret, ſed etiam hoc ipſo pariter in vniuerſo Chriſtiano orbe negligendas & contemnendas eſſe pronunciaret. Si enim eiuſmodi leges iniuſtę ſunt,neminem ergo & nuſquam obligant,quia leges iniuſtæ vim obligandi nullam habent, vt inter omnes Theologos & Iuriſperitos receptum eſt, ipſoque lumine naturali euidenter conſtat. Poſſunt ergo leges illæ & Canones, quibus Eccleſiaſtica immunitas & libertas conſtituitur, ab omnibus, & in omni cuiuſque Principis politici ditione impunè negligi, contemni, violari. Et verò eſſe poteſt quiſquam Catholicus, qui id tanquam apertum in fide errorem non damnet? Aut qui protinus cum Auguſtino epiſtola 118. ad Ianuarium non exclamet: *Si quid tota per orbem frequentat Eccleſia,quin ita faciendum ſit, diſputare,inſolentiſſima inſania eſſe?*

Quartò vt aliquid ex ratione etiam adiungam, quo directè probem, Eccleſiæ Rectores, optimo Iure (quicquid tandem ſit de Iure diuino) potuiſſe res & perſonas eccleſiaſticas à Principum ſæcularium poteſtate & Iuriſdictione eximere, ex doctrina quadam ſancti Thomæ, ab omnibus Theologis communiter recepta, ſic argumentor: Eccleſia per ſe loquendo maius vtique & euidentius Ius habet, eximendi fideles à dominio Principis Chriſtiani, quam à dominio Principis Ethnici; ſed Eccleſia Ius habet certis de cauſis fideles à dominio Principis etiam Ethnici eximendi. Ergo multò magis Ius habet eximendi eoſdẽ à dominio & Iuriſdictione Principis Chriſtiani,ſi pares cauſę ſuppetãt.Cõſequentia patet.

Prior propositio est euidens. Quia sine dubio cæteris paribus, quisq; facilius aliquid statuere potest circa personã sibi subiectam, quam non subiectam, Principes autẽ Christiani, hoc ipso, quod Christiani, sunt filij Ecclesiæ, adeoq; subditi spirituali potestati Ecclesiæ, cum Principes infideles eidem subditi non sint, vt patet ex illo S. Pauli 1. Corint. 5. *Quod mihi de his, qui foris sunt iudicare?*

Minor probatur ex S. Thoma in 2.2. quæst. 10. art. 10. vbi docet, hoc ipso quidem duntaxat, quod subditi alicuius Principis Ethnici, ad fidem conuertantur, non liberari, vel absolui à potestate & dominio eiusdem Ethnici Principis, attamen Ecclesiam habere Ius, eiusmodi subditos conuersos ad fidem eximendi ab eiusdem Principis potestate. *Potest tamen*, inquit, *iustè per sententiam, vel ordinationem Ecclesiæ, authoritatem Dei habentis, tale Ius dominij vel prælationis tolli, quia infideles merito suæ infidelitatis merentur potestatem amittere supra fideles, qui trãsferuntur in filios Dei.* Quæ ratio non ita intelligenda est, quasi Ecclesia per modum pœnæ Ethnicis principibus, qui alioqui in temporalibus Ecclesiæ subiecti non sunt, eiusmodi potestatis diminutionem irrogare possit: hoc enim est contra communem, & certam eiusdem S. Thomæ sententiam ibidem artic. 8. traditam, quæ statuit, infideles, qui fidem nunquam susceperunt, non posse ob solam infidelitatem ab Ecclesia, Principibusúe Christianis puniri, vel ad fidem vllatenus cogi; sed sensus est, ex ipsa natura rei, infidelitatem Principis temporalis, non bene cum subiectione eorum subditorum, qui ad fidem conuertuntur, cohærere; ac proinde cum ratio non sit, cur fides potestati infidelis Domini cedere debeat, hanc potius per Ecclesiam posse, quoad eiusmodi subditos, eneruari.

Ratio-

Rationes verò, cur potestas infidelis Domini in subditos fideles, non bene cum eorundem subditorum fide cohæreat, iam superius attulerat S. Thomas his verbis: *Illi qui subijciuntur aliorum Iurisdictioni, immutari possunt ab eis, quibus subsunt, vt sequantur eorum Imperium, nisi illi qui subsunt, fuerint magnæ virtutis.* Secunda, quia *infideles*, inquit idem Sanctus Doctor, *contemnunt fidem, si fidelium defectus cognoscant.* An verò hæ rationes rectè applicatæ, non æquè pugnant, quò minus res & personæ Ecclesiasticæ absque discrimine Laicæ potestati sæcularium Principum subijciantur? Ita planè videtur.

Primò enim cederet talis subiectio in periculum Ecclesiasticæ disciplinæ, & in detrimentum religionis. Facilè enim Principes, si quid fortè contra fidem, & bonos mores machinarentur, Ecclesiasticos quoq; ipsos in commercium suæ improbitatis adducerent, si ijs alioqui de Iure subijcerentur. Quod patet hoc ipso luctuoso exemplo Veneti Schismatis. Nam si Resp. Veneta, tam facilè tot Ecclesiasticos in communionem sui Schismatis pertraxit, quando facto ipso duntaxat, non autem Iure, sibi potestatem in Ecclesiasticas personas arrogauit, quid fieret, si palàm esset, Ecclesiasticos de facto, & de Iure Principibus sæcularibus subijci?

Secundò si ab oneribus, & temporali Iurisdictione exempti non essent, quam facile foret Laicis, præsertim si vt sæpe accidit, male erga Clericos essent affecti, qualibet occasione captata, eos ad iudicia & negotia sæcularia pertrahere, in ijsq; pro libito agitatos à spiritualium rerum cura & studio auocare, contra mandatum S. Pauli prohibentis, *ne quis militans Deo implicet se negotijs sæcularibus.* Certè vel ob hanc etiam causam, vt suo loco vidimus, prohibuit Iustinianus, ne Clerici in ciuilibus essent iudicio sæculari subiecti.

Atqui dices. Constat, sæpe Principes erga Ecclesiam & Ecclesiasticos esse quam optimè affectos; & fortè nonnunquam melius curaturos bonum Ecclesiæ, quam ipsos Ecclesiasticos. Respondeo id minimè negari; sed in hac re considerandum, non quid rarò fiat; sed quid frequenter fieri posset, si exemptionis lex nulla esset. Deinde Canones in hac re, vt supra etiam ex Concilio Tridentino aduerti potuit, non tam contra Principes in hac re queruntur, quam contra eorum ministros; qui etiamnum constituta lege Exemptionis Ecclesiasticæ, non raro longe solent aliter agere & affici erga Clericos, quam aut Principes vellent, aut recta ratio ferat; quanquam in his etiam complures esse tam iuris & æquitatis studiosos, quam sacrorum Canonum obseruantes, quis neget? Quod si omnes essent tales, non opus fuisset vt Bonifacius Papa VIII. conquereretur: *Clericis Laicos oppido infestos tradit antiquitas, quod & præsentium experimenta temporum manifestè declarant, &c.* vt refertur cap. 3. de immunit. Eccl. in 6.

Tertiò eadem ratione fieret sæpe, vt magno totius populi scandalo, seu vera, seu falsa crimina Clericorum in apertum deducerentur. Ex quo non leue detrimentum pietatis sæpe in Ecclesia caperent infirmi, qui cum non tam ratione, quam authoritate & exemplo ducantur, obuia quauis mali specie sæpius labuntur. De qua re Constantini Magni Imperatoris iudicium sapientia plenissimũ, retulimus cap. 18. Quibus addo, quod Fabianus Pontifex e pist. 2. ad omnes Orientales Episcopos in hęc verba perscripsit, valdè ad propositum accommodata. Cum enim anteà multis rationibus demonstrasset, quàm indecens sit, Sacerdotes facile & sine certa moderatione Laicorum accusationibus, nedum iudicijs subiacere, addit: *Talia cogitantes sancti Apostoli, eorumq́ue successores, Spiritu Dei repleti, malos homines praui-*

dentes, & simplices considerantes, difficilem, aut nunquã voluerunt esse accusationem Sacerdotum, ne à malis potuissent euerti aut submoueri. Quia si hoc facile concederetur sæcularibus & malis hominibus, aut nullus, aut vix perpauci (in suo officio) *remanerent: quoniã semper fuit, & est, & quod peius est, nimis viget, vt mali bonos persequantur, & carnales spirituales infestent. Idcirco (vt prædictũ est) statuerunt, ne accusarentur, aut si aliter fieri non possit, perdifficilis eorum fieret accusatio, & à quibus (vt supra dictũ est) non præsumeretur, neq; à proprijs sedib. aut Ecclesijs Episcopi eijcerẽtur, &c.*

Et infra: *Similiter statuentes*, inquit, *Apostolica authoritate iubemus, ne pastorem suum oues, quæ ei in fide commissæ fuerant, nisi in fide errauerit, reprehendere* (quantò minus iudicare & punire) *audeant: quia facta Præpositorum oris gladio ferienda non sunt, neq; potest esse discipulus super Magistrũ, &c. Exemplo Cham filij Noe damnantur, qui Patrum suorum culpas in publicũ produnt, aut eos accusare, vel detrahere præsumunt: veluti Cham, qui Patris sui Noe pudenda non operuit, sed deridenda monstrauit. Similiter & illi exemplo Sem & Iaphet iustificantur, qui reuerẽter operiunt, & non produnt ea, quæ Patres suos excessisse cognoscũt, &c.* Hactenus Pontifex. Ex quibus manifestũ est, non absq; detrimento religionis, Exemptioné Ecclesiasticam aboleri posse, &c.

Quartò, vt secundam rationem S. Thomæ Instituto applicemus, eiusmodi subiectio, vergeret in contemptum, & contumeliã ordinis & potestatis Ecclesiasticæ. Quomodo enim Principes reuerebuntur & obseruabunt Pastores & Rectores suos, quos heri carceri mancipatos, hodie verberibus castigatos à se dimiserunt? Quam authoritatem habebit potestas illa Ecclesiasticis diuinitus concessa, ad soluendum, adligandum, ad excommunicandum, etiam si opus sit; Principes quoq; ipsos, & eorum Magistratus, apud eos, qui suos Præsules, à quibus hodie anathemate perculsi sunt, possint ipsi cras, vel ob hoc ipsum (si Princeps fortè iudicet iniu-

iniuriam ſibi factam) vel ob aliam denique cauſam, quã facile inuenire odium & ira poteſt, in carceres, & vincula cõpingere? Imò quàm pauci ex Eccleſiaſticis forent, quibus tantus circum præcordia feruor bulliret, vt tanto vndique ſæcularis poteſtatis obſidente terrore, ſuam liberè nihilominus poteſtatem exequerentur, vitia reprehendentes, de neglectis admonentes, neminem palpantes, *non adulterantes verbum Dei*, vt S. Paulus loquitur 2. Cor. 2. *ſed ex ſinceritate, ſed ſicut ex Deo, coram Deo, in Chriſto loquentes?* An non igitur prorſus tota vis, efficacia, & authoritas, ne dicam Ius Eccleſiaſticæ poteſtatis periret, ſi Eccleſiaſtici, non minus quam laici, Principibus ſæcularibus ſubiecti forent?

Quintò probatur etiam ratione Ludouici Victoriæ, quã ex eo ſupra retulimus. Omnis enim Reſpub. perfecta, & ab alia ſuperiore independens, habet poteſtatem leges ferendi ſuo ſtatui conſeruando neceſſarias: ſed ad bonum ſpirituale, cuius cura incumbit Eccleſiæ, moraliter loquendo planè neceſſarium eſt, vt Clerici ſint à iudicijs Principum exempti, vt etiam apertè aſſerunt Victoria & Sotus; & ex adductis rationibus ſatis liquet: Ergo potuit Eccleſia propria autoritate, adeoq; ſine conſenſu Principum talem exemptionis legem ſtatuere, etiam poſito, quod diuini Iuris non eſſet.

Sexto deniq; probatur ex ijs, quæ infra lib. 2. cap. 8. fusè proferemus, ad probandum, Pontificem poſſe etiam de rebus temporalibus totius Eccleſiæ *indirecta poteſtate*, ſtatuere ea, quæ bonum ſpirituale Eccleſiæ poſtulat. Neq; iam hac de re plura.

Finis libri primi.

DEFEN-

DEFENSIONIS ECCLESIASTICÆ LIBERTATIS.

LIBER SECVNDVS.

Argumentum Libri.

STABILIVIMVS superiori libro Catholicam doctrinam de Ecclesiastica libertate & immunitate, contra Venetæ causæ patronos; sequitur nunc, vt potissimas quasdam obiectiones eorundem, quibus euertere eam student, refellamus. Quod si animum diligenter aduertamus ad omnia, quæ ab istis obijciuntur, deprehendemus, præter ea, quæ hactenus in probatione Iuris Ecclesiasticæ libertatis dissoluta sunt, sex obiectionibus generatim Ecclesiasticam libertatem impeti. Prima desumitur ab origine, vi & efficacia potestatis ciuilis, suppeditante argumentum inprimis sacra Scriptura, ex Apostolo Paulo ad Rom. cap. 13. & 1. Petri 2. vbi aiunt, Principi sæculari Iurisdictionem im̃ediatè ab ipso Deo, adeoq; diuino Iure concedi, in omnes etiam personas & res Ecclesiasticas, in eius ditione constitutas; cui proinde Iuri nulla possit humana authoritate derogari. Addunt, ipsius saltem scandali, & communis perturbationis respectu, abstinendum fuisse sum̃o Pontifici, ne contra Venetam Rempub. tam seuera castigatione procederet. Secunda desumitur

ab exilitate Pontificiæ poteſtatis, quæ, vt aiunt, nec ad exemptionem Clericorum, nec ad temporalia extra Romanæ Eccleſiæ propriam ditionem extendatur: nec verò etiam ita ſit immutabilis aut infallibilis, vt paſſim prędicatur. Tertiam, deſumunt ex eo, quod tantã Eccleſiæ opulentiã, quæ titulo Eccleſiaſticæ libertatis vel acquiritur, vel defenditur, repugnare aſſerunt diuinæ voluntati, Chriſtiq; & Apoſtolorum monitis, quibus illi paupertatem potius, quam diuitias, & curam rerum ſæcularium Eccleſiaſticis comendare videntúr. Quarta deſumitur ex ſtatu politico, quaſi eius felicitati repugnet Eccleſiaſtica libertas. Quinta deducitur ab exemplo totius Europæ, quę legibus Venetæ Reip. vti dicitur. Sexta ſumitur à peculiaribus Iuribus, ſeu priuilegijs, quibus Veneta reſp. videtur eſſe libera ab obligatione Iuris Eccleſiaſticæ libertatis, ſeu quòd illic nunquã fuerit receptum, vel ob aliqua ſpecialia priuilegia Reip. conceſſa, &c. Quæ ſingula obiectionum genera ita hoc libro expendemus, vt veram etiam vbiq; ſententiam ſuis argumentis non leuiter confirmare adnitamur.

CAPVT I.

DE ORIGINE ET AVTHORITATE POTESTATIS POLITICÆ, QVÆ SINT EXTRA CONTROVERSIAM, QVÆQVE A IOANNE Marſilio fruſtra ſint in controuerſiam vocata; cum aſſerit, Poteſtatem Principum eſſe immediatè à Deo.

VT igitur primam obiectionum claſſem aggrediamur, quam ab origine & authoritate poteſtatis temporalis ſeu Politicæ inſtruunt Venetæ cauſæ Patroni, Ioannes Marſilius, vt libro præcedente cap. 2. vidimus, duo dicit. Primum. Principem

cipem Venetum, aliosq; supremos Principes Politicos, habere potestatem in omnes suos subditos immediatè à Deo. Alterum, habere à Deo potestatem etiam in Ecclesiasticos. Vtrumq; verò conatur ostendere ex Apostolo ad Rom. 13. & 1. Petri 2. ex quibus hanc tacitè conficere intendit argumentationem. Potestas quæ principibus est immediatè à Deo concessa, non potest à summo Pontifice, aut per vllam aliam potestatem Ecclesiasticā auferri, vel restringi: Principibus in suos subditos est à Deo immediatè concessa potestas, ergo non potest vlla potestate Ecclesiastica, seu Pontificis, seu etiam Concilij generalis, ipsis quidem Principibus inuitis, auferri vel restringi. Rursum; ea potestas, quam Principes in suos subditos habent; non potest Ecclesiastica potestate auferri vel restringi, potestas etiam in res & personas Ecclesiasticas continetur sub potestate principum: ergo non potest ab Ecclesia auferri vel restringi.

Cæterum seposita nunc posteriori argumentatione, cuius momentum præcipuè in minori propositione constitutum, inferius suo loco expendendum erit. Ad priorem quod attinet, multa in ea grauiter peccat Marsilius. Primum, quod adeo ex Apostolo Paulo pro comperto sumit confidenter, Potestatem ciuilem esse im̄ediate à Deo. Vbi verò hoc Apostolus? *Non est enim potestas*, inquit citato loco ad Rom. 13. *nisi à Deo, quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt*. Hoc Apostoli audio, & credo. Vbi verò est illud Marsilij, potestatem omnem esse à Deo *immediate?* aut qua ratione hoc Marsilius ex citatis verbis tentat exsculpere? nulla planè. Quocirca cum euanidum sit Marsilianæ assertionis fundamentum, nullius etiam planè roboris constat esse assertionem.

Deinde certum est, hoc Marsilij pronunciatum receptissimæ Theologorum sententiæ aduersari, qui diligen-

ter ſemper, hoc ipſo vel maximè diſcrimine poteſtatem temporalem & politicam à Spirituali & Eccleſiaſtica ſeiunxerunt, quod hæc quidem immediatè Deum authorem habeat, illa verò minimè. Teſtes huius rei produco vel eos ipſos, quos pro ſua ſententia ſtare, videri voluit Marſilius. Ita enim in ſpecie loquitur Dominicus Sotus lib. 4. de Iuſt. q. 4. art. 1. concluſ. 2. *Regiam*, inquit, *Imperatoriamq́; poteſtatem, cæterorumq́; Principum authoritatem, non hominum eſſe inuentum, ſed Dei ſanctiſſimam ordinationem, aliam tamen à poteſtate ſpirituali. Hanc enim per ſe ipſe Chriſtus immediatè inſtituit, cui, ceu caput, Vicarium ſuum præfecit, eidemq́; ſubinde Vicario, poteſtatem ſuam contulit, perpetuò in Eccleſia duraturam. Itaq́; poteſtas illa, neque facta eſt à Repub. neque per Rempub. deriuata, ſed à ſolo per ſe Chriſto. Poteſtatem autem ciuilem Deus per legem naturalem, quæ ſua ſempiterna participatio eſt, ordinauit, &c.* Et inferius. *Nam etſi*, inquit, *amba à Deo procedant, non tamen altera per alteram, ſed modis varijs; prior ſcilicet* (ſpiritualis) *à Deo immediatè, poſterior verò mediante lege naturæ, per ciuilem Rempub.* Ita Sotus, qui addit, hoc etiam modo intelligi illa ex Iure ciuili: *Imperium Deus de cælo conſtituit.* Item: *Sacerdotium & Imperium ſunt dona Dei, à ſuperna clementia collata.*

Eodem planè modo, & iiſdem verbis loquitur Couarruuias, practicarum quæſtionum cap. 1. num. 6. Vbi cum dixiſſet, poteſtatem Regiam eſſe à Deo, addit: *Hæc tamen intelligenda ſunt, in hoc quidem ſenſu, quod ciuilis poteſtas à Deo procedat mediatè, quippe quæ ab ipſamet Repub. mediante lege naturæ, electione, aut conſenſu populorum, conſtituatur. Non item ſpiritualis poteſtas, cum hæc à Deo ipſo ſupernaturaliter immediatè proceſſerit.*

Eandem doctrinam velut certam & communem tradit Cardinalis Toletus, commentario ſuo in Epiſt. ad Rom. cap.

cap. 13. *Adnotandum eſt*, inquit, *poteſtates ſæculares, à ſpiritualibus in hoc multum differre. Illa enim ſic ſunt à Deo, quod Inſtitutio per homines efficitur. Per eos enim fit Regia poteſtas, principatus, cæteraq; ſimilia; vnde earum Inſtitutio humana eſt, ſed ex Dei voluntate procedens, proptereaq; dicuntur à Deo mediatè eſſe. At poteſtas ſpiritualis ab ipſo Deo immediatè inſtituta eſt. Chriſtus enim homo Deus, poteſtatem immediatè dedit Petro, quæ in ſucceſſores emanat. Ipſe inſtituit Epiſcopos; non enim voluntatis humanæ eſt, quod Epiſcopi ſint in Eccleſia, ſed diuinæ. Epheſ: 4. Ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam Prophetas, alios Euangeliſtas, alios Paſtores, Actor. 20. In quo Spiritus ſanctus eos poſuit Epiſcopos. Non quod omnis poteſtas ſpiritualis ſit ab ipſo Chriſto immediatè inſtituta; nam ſunt multæ ab homine; ſed quòd prima poteſtas, vnde cæteræ dimanant, ab illo ſit; non ſic in poteſtate ſæculari.* Hactenus Toletus. Similia tradunt Cardinalis Bellarminus lib. 3. de Eccleſ. milit. cap. 6. & Ludouicus Molina tom. 1. de Iuſtit. diſput. 21. & ſequentibus.

Omnium verò in hoc genere, non immeritò Anteſignanum dixerim S. Thomam, qui pauculis quidem verbis, ſed apertè rem totam complexus eſt in ſua ſecunda ſecundæ quæſt. 10. artic. 11. vbi generatim ait: *dominium & prælationem* (politicam) *introductam eſſe ex Iure humano.* Si ex Iure humano, non igitur immediatè à Deo, ſeu ex Iure diuino.

Ecce quanto conſenſu omnes, etiam illi, (Sotum & Couarruuiam intelligo) quos in ſuas partes trahere conatur Marſilius, hoc diſcrimen inter poteſtatem ciuilem & Eccleſiaſticam tueantur, vt hæc quidem à Deo ſit immediatè, illa verò non ſit.

Denique nihil ad propoſitum Marſilij concludendum facit hoc eius pronunciatum, poteſtatem ciuilem eſſe à

Deo immediatè: idq; duas ob causas. Prima, quia nullo argumento probat Marsilius, Principes habere potestatem à Deo, etiam in res & personas Ecclesiasticas, vt cap. 6. videbimus. Altera, quia etiamsi maximè probaret, Principes accipere suam potestatem immediatè à Deo, & verò neq; Deum ipsum per se restrinxisse eam potestatem, ad res & personas sæculares & Laicas; minimè tamen inde sequeretur, nec à Pontifice quidem ita restringi potuisse, vt patet cum alijs varijs documentis; tum exemplo sacræ Eucharistiæ, cuius vsum etsi Deus ipse per se, ne quoad Laicos quidem restrinxerit ad vnam speciem, rectè tamen nihilominus ita ab Ecclesia restringi potuit, de qua re lib. præcedente cap. vltimo fusius actum est.

Et quanquam his dictis tutò possemus acquiescere, atq; ad alias obiectiones Venetorum Theologorum refutandas progredi, quia tamen hæc res, & ipsa per se magni momenti est, originem nempe & authoritatem vtriusq; potestatis, tam politicæ, quam Ecclesiasticæ probè compertam habere; & sanè etiam ijs obscuritatibus est inuoluta, vt quia non satis accuratè, ea quæ in hoc genere distincta sunt, distinguuntur, nec auctores omnes inter se, nec secum ipsi singuli conuenire videantur; visum est operę precium, rem hanc paulo enucleatius edisserere; cum præsertim constitutum sit, non tantum ad obiectiones Aduersariorum obiter respondere; sed eas etiam opposita veritatis penitus refellere. Quod ita faciam, vt primum in hoc capite, quæ de origine & authoritate potestatis politicæ apud Catholicos extra controuersiam sunt, explicem; deinde exposito controuersiæ statu, de origine potestatis politicæ, ea quæ dubia sunt, sequentibus capitibus, paulo diligentius confirmem. Ex quibus demum capite quinto manifestum colligam discrimen inter vtriusq; potestatis, ciuilis & Ecclesiasticæ originem,

ginem, simulq; luculentius ostendam, absurditatem Marsiliani dicti, quo affirmat, Principem Venetum habere potestatem suam immediatè à Deo.

Enimuerò ante omnia certum inter Catholicos, & extra controuersiam est, potestatem ciuilem esse demum etiam planè à Deo quadam ratione profectã, id enim S. Paulus apertè asserit citato ad Rom. 13. *Non est enim potestas nisi à Deo*; vbi inprimis etiam de ciuili potestate sermonem esse, nemo negat, & inter alios etiã docet S. Thomas in cõmentario epist ad Rom. lect. 1. vbi huius etiam rei luculentã adducit rationem. *Quicquid enim*, inquit, *communiter de Deo & creaturis dicitur, à Deo in creaturas deriuatur, sicut patet de sapientia* Eccles. 1. *Omnis sapientia à Domino Deo est; Potestas autem de Deo & de hominibus dicitur.* Iob. 39. *Deus potestates nõ abijcit, cũ ipse sit potens. Vnde consequens est, quod humana potestas sit à Deo.* Qui discursus S. Thomę fundatur in illo principio generali. Quod primũ est in vnoquoq; genere, id causa est cæterorũ.

Huic addi potest alia ratio. Omnis enim potestas, qua interna etiam hominum conscientia coram Deo obligari potest, necesse est, aut diuina sit, aut ex diuina descendat: Nullus enim sua authoritate quenquã foro superiori obnoxiũ reddere, seu, quod idem est, ad pœnas, quas cum in suo foro exequi ipse non possit, superior sibi reseruatas voluit, obligare potest, nisi à superiore aliquo modo talẽ authoritatẽ acceperit: sed humana potestate ligari etiam possunt ipsæ conscientiæ, tum ad culpam, tum ad reatum pœnæ æternæ, si non pareant, vt docet ibidem S. Paulus, cum Principi subditos esse iubet, *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Ergo necesse est humanam potestatem ex diuina deriuari.

Vnde sine dubio communis omnium Theologorum, & Iurisperitorum sententia, procul amandandam, velut erro-

erroneam, & scandalosam, censet illam quorundam plus quam falsam, & absurdam sententiam, qui falsissimè dixerunt, Potestatem & Institutionem Principum sæcularium esse contra ius naturale & diuinum. Quem errorem ex instituto refellunt Victoria, Sotus, Nauarrus, Molina, & alij inferius citandi. Sit ergo ratum & firmum, omnem potestatem etiam sæcularem aliquo modo à Deo descendere, vt magis etiam inferius patebit.

Secundò certum, & apud omnes exploratum est, ex hypothesi, & facta suppositione, quod Princeps quispiam politicus semel principatum legitimè adeptus sit, habere ipso Iure diuino, adeoque immediatè à DEO potestatem, seu potius necessitatem & obligationem, cum opus fuerit, præcipiendi, puniendi, iusteque subditos gubernandi; non minus, quam subditi, necessitatem & præceptum, immediatè etiam à Deo habent, obtemperandi principi iusta præcipienti. Patet hoc innumeris scripturæ locis, quibus tam iusta administratio Principi, quam obedientia subditis diuino præcepto commendatur. Ad Principem enim spectat illud Prouerb. 20. *Rex qui sedet in solio Iudicij, dissipat omne malum intuitu suo.* Et rursum, *dissipat impios Rex sapiens, & incuruat super eos fornicē.* Item Prou. 29. *Rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur.* Et Ecclesiastici 10. *Regnum de gente in gentem transfertur, propter iniustitias, iniurias, contumelias, & diuersos dolos, &c.*

Ad subditos pertinent illa ad Tit. 3. *Admone illos Principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire.* 1. Petr. 2. *Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis, &c.* Ad Philipp. 6. *Serui*

Serui subditi estote Dominis carnalibus in timore & tremore in simplicitate cordis vestri &c.

Ad vtrosq; verò pertinet locus ille S. Pauli sæpius citatus ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi à Deo. Quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac & habebis lauden ex illa, Dei enim Minister est, tibi in bonum: Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit. Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

Quibus verbis duplicem rationem innuit Apostolus, cur ex diuino & naturali præcepto, teneantur Principes, in quantũ Principes, impios etiã pœnis à sceleribus reuocare, adeoq; in cæteris quoq; iustè suum munus administrare. Primò quia Ministri sunt quoad hoc ipsius Dei. Omnis autem ad Deo seruiendum, per alicuius muneris administrationem destinatus, tenetur suo muneri satisfacere, ex diuina & naturali lege. Secũda ratio, quia & ob hanc causam, eis à subditis tributum & stipendium persoluitur: omnis autem qui pro alicuius muneris administratione stipendium accipit, ipso naturali & diuino Iure, tenetur munus susceptum exequi: alioqui iniustitiam, & restitutionis obligationem incurrit.

Deinde verò & subditos ad obedientiam Principibus pręstandam teneri, quadruplici ratione ijsdem verbis insinuat. Prima. Quia hæc est Dei ordinatio. Secunda. Quia alioqui damnationem sibi acquirunt, etiam apud Deum. Tertia. Quia alioqui gladio & pœnis temporalibus à Principe iure mulctantur. Quarta. Quia ipsa tributorum præ-

 sta-

ſtatione ſe ſubditos profitentur. Decet autem id ipſum facere, quod profiteris. Clarum eſt igitur, & extra controuerſiam, Principem ipſo naturali & diuino Iure, habere, non dico, facultatem, ſed obligationem & neceſſitatem iuſtè gubernandi ſubditos, in quantum & quamdiu princeps eſt. Quod rectè etiam Cardin. Bellar minus, duplici ſuo contra Ioannem Marſilium tractatu aſſeruit. Neq; tamen propterea efficitur, leges Principum eſſe Iuris naturalis & diuini; ſunt enim nihilominus Iuris poſitiui & humani tantum, quanquam ijs ſuppoſitis, eſt de Iure naturali & diuino, vt eiſdem pareatur.

Tertiò certum & extra controuerſiam eſt, poteſtatem politicam immediatè eſſe à Deo in ſua radice. Patet. Quia ſiue radicem vocemus ipſam hominis naturam, in quantũ homo naturaliter non tantum ſociale, ſed etiam politicum animal eſt, vt dixit Ariſtot. 1. Polit. cap. 2. ſiue radicem vocemus ipſum naturale lumen rationis, de qua re inferius dicetur; conſtat vtrouis & vtroq; modo, politicam poteſtatẽ eſſe immediatè à Deo in ſua radice. Neq; verò hæc, quæ certa hactenus, & extra controuerſiam diximus, quidquã iuuant cauſam Ioan. Marſilij, vtpote qui non hypotheticè, ſed abſolutè, non ſecundum quid, & reſtrictè, ſed ſimpliciter aſſeruit, Principẽ Venetum, cæteroſq; ſupremos Principes ſæculares, habere Ius in ſuos ſubditos immediatè à Deo.

Quod pronunciatum vt tueatur, neceſſe eſt, duo hæc afferat; primum, inſtitutionem politicæ poteſtatis non tantum in genere, ſed etiam in ſpecie conſideratam, qualis eſt ſuprema Principum, nempe Monarchia, eſſe immediatè à Deo inſtitutam. Alterum, eam etiam immediatè à Deo Principi Veneto, alijſque ſupremis Principibus conferri.

Vera

Vera autem ſententia de origine poteſtatis politicæ conſiſtit in his tribus pronunciatis.

Primum, poteſtatem politicam in genere quidem, & ſecundum informem quaſi quendam, & imperfectum ſtatũ conſideratam, eſſe immediatè à Deo, ſeu Iure naturali diuino inſtitutam.

Secundum, nullam poteſtatem politicam, certæ ſpeciei, qualis eſt Monarchiæ, Ariſtocratiæ, & Democratiæ, eſſe ipſo Iure naturali propriè loquendo, ſeu immediatè à Deo inſtitutam.

Tertium, aſſignandum quidem eſſe aliquod politicæ poteſtatis primigenium ſubiectum, quod videlicet immediatè à Deo ſuam eiuſmodi poteſtatem acceperit, attamen nec ſupremos Principes, nec vllos omnino Reipub. Rectores certam Regiminis formam tuentes accipere ſuam poteſtatem immediatè à Deo.

Vbi ſupponimus ex S. Thoma in epiſt. ad Rom. lect. 3. poteſtatem humanam tripliciter conſiderari poſſe. Primò ſecundum ſe, ſiue quoad ſui inſtitutionem. Secundò quoad eius conſecutionem & coniunctionem cum ſubiecto. Tertiò quoad vſum; idq; in ſingulis rurſum tam in genere, quàm in ſpecie & indiuiduo. Atq; is ipſe controuerſiæ huius ſtatus eſt, iuxta quem ordine tria illa pronuntiata, veritati aſſerendæ, ſuis rationibus tuebimur.

CAPVT II.

POTESTATEM POLITICAM IN GENERE QVIDEM, ET SECVNDVM INFORMEM QVASI QVENDAM ET IMPERFECTVM statum consideratam, esse immediatè à Deo seu Iuris diuini naturalis.

PERTINET hoc pronuntiatum ad originem, siue autoritatem politicæ potestatis, secundum se spectatæ; & videtur comunis Doctorum sententia, vt inferius patebit. Quoad primam verò partem, qua dicitur politicam potestatem in genere esse imediatè à Deo, seu quod in proposito idem est, Iuris diuini naturalis, disertè asseritur à Cardinali Bellarmino lib. 3. de Ecclesia milit. cap. 6. vbi ait: *Potestatem politicam in vniuersum consideratam, non descendendo in particulari ad Monarchiam, Aristrocratiam, vel democratiam immediatè esse à solo Deo &c.* Et inferius ait, *etiam potestatem Principum, in genere consideratam esse de Iure naturæ.*

Probatur verò hæc pars. Nam illud rectè aliquo modo dici potest, esse immediatè à Deo institutum, quod Deus ipso naturali & diuino suo præcepto esse voluit, esto, quòd interueniente consensu & ordinatione aliqua humana, id demum re ipsa efficiendum esset: sed Deus ipso naturali & diuino suo præcepto voluit & ordinauit, vt aliqua tandem legitima potestas ciuilis in genere, cuiuscunq; demum formæ & modi constitueretur; ergo rectè dici potest aliquo modo, Institutionem politiicæ potestatis in genere, esse diuini & naturalis Iuris, adeoq; immediatè à Deo.

Maior probatur primo exemplo Matrimonij, quòd à Bonifacio Papa VIII. de voto & voti Redempt. in 6. dicitur *ab ipso Deo,* (quasi dicat non ab homine) *institutum in para-*

paradiso; etsi constitutum & confectum non fuerit absque mutuo consensu Coniugum; imò vt multi sentiunt, nec constitui quidem potuerit.

Secundò probatur eadem Maior ratione. Quia generatim non ille tantum dicitur autor & institutor alicuius rei, qui eam ipse physicè quodammodo effecit, & in suo esse constituit; sed etiam qui ordinatione, vel præcepto suo mediatè vel immediatè dato, effecit, vt esset; ergo etiam ille vtcunque dici poterit autor siue Institutor immediatus, qui immediato suo præcepto fecit, vt esset: atqui præceptum naturale, cum sit propriè diuinum, rectè dici potest immediatum Dei pręceptum; Ergo quod Deus præcepto naturali voluit esse; id omne suo modo dici potest ipsius immediatæ institutionis diuinæ.

Iam verò minor primi syllogismi probatur, quia voluntatis diuinæ non fuit, vt homines vagi seorsim habitarent, aut singula capita distinctis familijs, absq; communi rectore coalescerent; sed plane ipso instinctu naturæ, & naturalis rationis ductu eò direxit, vt in politicam quandam communitatem coirent, certisq; à se delectis rectoribus supremam regendi potestatem conferrent, vel à se in eos transferendo, vel certè se ipsos sponte subijciendo.

Quod inprimis etiam ex ipsa conditione humanæ naturæ, ab Aristotele probatur, lib. 1. polit. cap. 2. vbi ostendit, vel ipsum naturale etiam lumen rationis consulendo magnopere necessarium esse, ad felicitatem etiam (si quæ esse potest) naturalem ipsius hominis, vt mortales in vnam quandam comunem & politicam societatem conuenientes, vnum itidem politicum magistratum agnoscant. Quocirca concludit: *Esse igitur ciuitatem à natura, & priusquam singuli* (in genere causæ finalis) *manifestum est. Si enim sibi ipsi non est sufficiens vnusquisq; separatus, perinde se habet, ac cæteræ*

partes ad totum. Qui autem in communi ſocietate nequit eſſe, quiq; nullius indigus propter ſufficientiam, nulla pars eſt ciuitatis, aut beſtia eſt, aut Deus. Natura igitur omnibus ad huiuſmodi ſocietatem eſt appetitus. Qui autem primus illam inſtituit, maximorum bonorum cauſa fuit. Vt enim perfectione ſuſcepta, optimum cunctorum animalium eſt homo, ita ſi alienus fiat à lege & iudicijs, peſſimum eſt omnium animalium.

In eundem ſenſum multa diſſerit S. Thomas, ſeu quiſq; ille author eſt opuſculi de regimine principum cap. 1. vbi ait; *cum naturale ſit homini, quòd in ſocietate multorum viuat, neceſſe eſt in hominibus eſſe, per quod multitudo regatur, multis enim exiſtentibus hominibus, & vnoquoq; id, quod eſt ſibi congruum prouidente, multitudo in diuerſa diſpergeretur, niſi etiam eſſet aliquis, de eo, quod ad bonum multitudinis pertinet, curam habens; ſicut & corpus hominis, & cuiuſlibet animalis deflueret, niſi eſſet aliqua vis regitiua communis in corpore, quæ ad bonum commune omnium membrorum intenderet. Quod conſiderans Salomon dicit: vbi non eſt gubernator, diſſipabitur populus, &c.*

Vnde eiuſdem communis rectoris neceſſitatem probat vlterius idem author, exemplo & inductione aliarum rerum naturalium, quæ ad vnum finem ordinantur. *Nam in omnibus,* inquit, *quæ in vnum ordinātur, aliquid inuenitur alterius regitiuum. In vniuerſitate enim corporum per primum corpus, ſcilicet cœleſte, alia corpora ordine quodam diuinæ prouidentiæ reguntur, omnia corpora per creaturam rationalem. In vno etiam homine, anima regit corpus, atq; inter animæ partes iraſcibilis & concupiſcibilis, ratione reguntur. Itemq; inter membra corporis, vnum eſt principale, quod omnia mouet, aut cor, aut caput. Oportet ergo in omni multitudine eſſe aliquid regitiuum, &c.*

Ob eandem cauſam idem S. Thomas in ſua ſumma prima parte q. 96. art. 4. & cum eo alij Theologi communiter omnes docent, etiam in ſtatu innocentiæ futuram fuiſſe inter

ter homines poteſtatem gubernatiuam. Quod eodem fere modo ibidem probat, quo generatim neceſſitaté huius poteſtatis hactenus comprobauimus. *Homo,* inquit, *naturaliter eſt animal ſociale. Vnde homines in ſtatu innocentiæ ſocialiter vixiſſent. Socialis autem vita multorum eſſe non poſſet, niſi aliquis præſideret, qui ad bonum commune intenderet. Multi enim per ſe intendunt ad multa, vnus verò ad vnũ. Et ideo Philoſophus dicit in principio politicorum: Quandocunq; multa ordinantur ad vnum, ſemper inuenitur vnum, vt principale & dirigens, &c.*

Demum idém docuit S. Auguſtinus lib. 19. de ciuit. Dei cap. 14. *Iuſti,* inquit, *non dominandi cupiditate imperant, ſed officio conſulendi. Hoc naturalis ordo præſcribit, ita Deus hominem condidit.* Satis ergo demonſtratum, poteſtatem politicam in genere, ad nullam certam regiminis ſpeciem deſcendendo ex ijs, quas Ariſtoteles commemorat, eſſe iuris & inſtitutionis naturalis, adeoq; hoc ipſo rectè dici poſſe, immediatè à Deo eſſe profectam.

Iam verò eandem poteſtatem, ſecundum informé quaſi quendam & imperfectum ſtatum conſideratam, ipſo iure naturali, adeoq; imediatè à Deo & inſtitutam, & conſtitutã fuiſſe, probatur duplici ratione; quarum prima ſupponit, quod graues quidam Theologi, tum antiquiores, tum recentiores tradiderunt; priuſquam vlla omnino conſtituta eſſe intelligatur Reſpub. politica, quæ non niſi ex pluribus familijs conſtituitur, vt docet Ariſtoteles 1. polit. cap. 2. penes ipſas familias ſingulas, iure naturali, eſſe poteſtatem interficiendi ac puniendi malefactores, eo ipſo, quod ſuperior aliqua poteſtas conſtituta non ſit, in quam familiæ ſuam tranſtulerint poteſtatem. Addunt ijdem, etiamnum fieri poſſe, vt ſicubi familiæ fortaſſe ita ab inuicem ſint diuiſæ, vt necdum communem vllum habeant ſuperiorem (quod apud Braſilienſes etiam hodie eueni-

euenire dicitur) ſingulæ per ſe, & propria authoritate habeant ſupremum ius gladij, quo etiam alijs, ſi iniurias inferant, bellum indicere, iuſtamq; de illatis iniurijs vindictam ſumere poſſint. Ita Ludouicus Molina tom. primo de Iuſtit. diſput. 22. & diſputat. 100. vbi pro eadem ſententia citat Gabrielem in 4. ſententiarum diſtinct. 15. q. 4. artic. 1. & Angelum verbo bellum, §. 6. & Nauarr. in capit. Nouit. de Iudicijs, Corollario 25. numero 94. & 95.

Et ratio eſt, quia quælibet communitas ab alio ſuperiore in humanis independens, debet eſſe ſufficiens, tum ad ſe defendendum, tum ad ſibi ius dicendum, vtpote quod etiam natura cæteris animalibus non negauit: at domus eiuſmodi, ſeu familia in caſu, de quo loquimur, non eſt ab vllo alio ſuperiore in humanis dependens, hoc ipſo quod nulli ali capiti ſubdita eſt. ergo ipſa ſibi per modum ſupremi magiſtratus Politici ius dicere poteſt, &c.

Hoc igitur fundamento ſuppoſito, ſatis iam intelligitur prima ratio, qua poteſtas politica, ſecundum informem quaſi quendam & imperfectum ſtatum conſiderata, ſit immediatè Deo. Ea enim ipſa poteſtas, quam in ſingulis eiuſmodi familijs, naturâ prius reſidere diximus, quam in alios politiæ rectores, certa politici regiminis forma vtentes, transferatur, adhuc quaſi informis, imperfecta, & impolita eſt, vtpote maiore adhuc perfectione, ipſa naturali ratione duce, informanda, vt ſupra diximus. Cum igitur eam à natura familijs ineſſe conſtet, ex dictis; ſatis intelligitur, & ipſam politicam poteſtatem ſecundum impolitum quaſi & informem quendam ſtatum ab ipſa natura immediate eſſe profectam.

Et hoc ipſum etiam agnouiſſe videtur Ariſtoteles 1. polit. cap. 1. vbi ait: *Omnis domus regitur à Seniore: quare & colo-*

nia

nia inde propagata propter consanguinitatem. Et hoc est, quod inquit Homerus, Iura dant singuli, natis & vxoribus. Sparsim namq; etiam sic antiquitus habitabant, &c. Hæc Aristoteles. Altera ratio asserendi, potestatem ciuilem, secundum statum quendam imperfectum, esse immediatè à Deo, velut autore naturæ, non minus ferè probabili nititur fundamento, quod tale est. Nimirum, non ipsas tantum familias singulas, priusquam in communitatem politicam coirét; habuisse ipso Iure naturali & diuino, adeoq; immediatè à Deo plenum & perfectum Ius gubernandi, sed ipsam etiam eiusmodi communitatem politicam, ex pluribus familijs deinceps conflatam, non ab ipsis familijs priuatis singulis, aut earum Rectoribus, vllaúe humana institutione, sed ipsomet Iure naturali & diuino, adeoq; immediatè ab ipso Deo accepisse potestatem suam gubernatiuam, non minus, quàm familiæ singulæ priusquam in vnum corpus coalescerent.

Hanc doctrinam tribuit Ludouicus Molina citata disputat. 22. Victoriæ & Soto, eandemq; etiam ipse sequitur. *Victoria,* inquit, *in relectione de potestate ciuili à numero 6. & Sotus 4. de Iustit. quæst. 4. art. 1. asseuerant, eo ipso, quod homines, ad integrandum vnum Reipub. corpus conueniunt, iure naturali oriri potestatem corporis totius Reipub. in singulas partes, ad eas gubernandum, ad leges illis ferendum, iusque illis dicendum, & ad eas puniendum. Quare, inquiunt, cum Deus Opt. Max. author sit iuris naturalis, sane huiusmodi potestas immediatè est à Deo naturam instituente; tametsi hominum adunatio in vnam Rempub. conditio sit, sine qua ea potestas non resultaret.*

Et inferius: *Placet,* inquit Molina, *Victoriæ & Soti opinio. Tum quod in se consentanea sit rationi; tum etiam quoniam esto, respublica ex familijs non constaret, sed ex hominibus singulis, in repub. tamen esset eadem potestas. Præterea qua ratione in familia, ex natura rei consurgit potestas occidendi externos malefactores, quæ*

potestas non est in singulis de familia, quatenus singulares priuatæq; personæ sunt, cur etiam non consurget similis potestas in tota republica quæ à partibus, quibus constat, communicata illi non sit? profectò nulla potest reddi legitima ratio, &c. Quare dicendum est, rempublicam non habere suam potestatem authoritate partium, ex quibus coalescit, sed authoritate diuina, à Deoq; immediatè, tanquam authore naturæ, &c. Verum etsi nec Victoria, nec Sotus locis citatis, vtantur eo ipso verbulo, *immediatè*; quin potius Sotus disertè asserat, spiritualem potestatem esse quidem à DEO immediatè, ciuilem autem non ita, vt capite primo vidimus, fatendum est tamen, istos Authores saltem aliquo sensu idipsum in re asserere. Victoria numero quinto sic loquitur: *Patet ergo, fontem & originem ciuitatum, rerumq; publicarum, non inuentum esse hominum, neque inter artificiata numerandum, sed tanquam à natura profectum, quæ ad mortalium tutelam, & conseruationem, hanc rationem mortalibus suggessit.* Et infra numero sexto. *Efficientem*, inquit, *causam huius potestatis ex dictis facile est intelligere. Si enim publicam potestatem ordinemus constitutam iure naturali, ius autem naturale Deum solum auctorem cognoscit, manifestum euadit, potestatem publicam à Deo esse, nec hominum conditione, aut iure aliquo positiuo contineri.* Similia habet Sotus, vt ex dictis cap. primo intelligi potest.

Patet igitur, hac etiam secunda ratione satis probabiliter asseri, potestatem ciuilem secundum statum quendam imperfectum immediatè esse à DEO. Quandoquidem ea quoque potestas, quæ in ipsam communitatem vniuersam ex ipsa rei natura se insinuat, adhuc est imperfecta, nec admodum sufficiens, vt per se

ipsam

ipſam communitatem gubernet. Quamobrem etiam ipſo iure naturali, talis communitas tenetur, ſpeciali quadam politiæ forma conſtituta, certos ſibi magiſtratus deligere, & in eoſdem ſuam poteſtatem transferre, vt omnes fatentur, & ex ijs quæ initio capitis dicta ſunt, intelligi poteſt.

Cæterum ad eam, quæ in nonnullis Auctoribus reperiri videtur, contradictionem tollendam, aliquid inſuper ad ea, quæ diximus addendum eſt. Nam vt ſuperius vidimus, Sotus vtrumque hoc dicit; poteſtatem ciuilem *non eſſe hominum inuentum, ſed Dei ſanctiſſimam voluntatem*; & rurſum eandem poteſtatem; *non eſſe à Deo immediatè, ſed mediante lege naturæ*. Molina verò dicit; *eſſe immediatè à Deo*, ſed nunquam negat, quin ad eius inſtitutionem interuenire lex, & propria indoles humanæ naturę debeat.

Quocirca ne autores ſibimetipſis aduerſari videantur, animaduertendum eſt; Ius ſiue legem naturæ, eſſe quidem aliquid creatum in ipſo homine, ſed quod tamen non eſt poſitum in libero arbitrio hominis, nec ſuam authoritatem habet ab homine, ſed à Deo, à quo etiam immediatè ipſi naturæ noſtræ inditum eſt. Vnde quod ipſo ſolummodo naturæ lumine & præcepto interueniente, citra vllam liberam hominis diſpoſitionem, ſeu autoritaté eſſe aut fieri dicitur, aliquando dicitur immediatè fieri aut eſſe à Deo, quia videlicet nulla authoritas, vel libera diſpoſitio humana interuenit, quæ propriè, & immediatè det Eſſe rei.

Aliquando verò dicitur fieri mediatè à Deo, ipſo videlicet inſtinctu, lumine, & pręcepto naturali interueniente,

quod licet,vt dixi,diuinum sit, quoad suam authoritatem & originem,est tamen aliquid humanum, quoad subiectũ & entitatem; ita vt meritò proinde medium dici possit inter Deum,& illud,quod mediante seu interueniente lumine naturali,esse,aut fieri dicitur.

Secus est de potestate spirituali,quam, vt inferius dicemus,nullo modo ex naturali lumine,statu, vel conditione hominis ortam,Christus ipse per se immediatè condidit,tradidit,propagauit.

Vnde saltem hoc etiam nomine, verum demonstratur, quod absolutè à Doctoribus asseri solet, potestatem spiritualem esse à Deo immediatè, temporalem verò seu politicam mediatè; qui modus loquendi quia communis est,& optimè insigne quoddam discrimen inter vtramque potestatem explicat,vt inferius magis patebit,meritò retinendus est; cum præsertim is qui absolutè asserit, potestatem ciuilem & politicam esse immediatè à Deo, eo ipso significet, eam non tantum in genere,aut secundum statum quendam imperfectum,sed etiam secundum speciem, & statum aliquem perfectum, qualis in Monarchico,Aristocratico, & democratico seu politico regimine cernitur,immediatè à Deo esse, quod tamen falsum esse c. seq. demonstrabitur.

CAPVT

CAPVT III.

NVLLAM POTESTATEM POLITICAM, CERTÆ SPECIEI, QVALIS EST MONARCHIÆ, ARISTOCRATIÆ, ET DEMOcratiæ, esse ipso Iure naturali propriè loquendo, adeoq; immediatè à Deo constitutam; ac proinde absolutè dici non posse, potestatem Principum esse immediatè à Deo.

HOc secundum pronuntiatum est, quo iam supra veram sententiam de origine politicæ potestatis contra Ioannem Marsilium asseruimus. Et sensus est, potestatem ciuilem certa eiusmodi, qua diximus, specie definitam, esse immediatè à Repub. & mediatè à Deo, tum per lumen naturale, tum per ipsius Reip. potestatem, sibi Magistratum deligentis, suamq; in eum autoritatem conferentis. Atque hæc ipsa communis est sententia Doctorum, quam speciatim tradit Ludouicus Molina disput. 26. post Durandum de origine Iurisdictionis q. 1. Driedonem lib. 1. de libert. Christiana cap. 15. Alphonsum à Castro lib. 1. de potestate legis pœnalis cap. 1. His accedit Sotus loc. cit. dum apertè asserit, potestatem ciuilem esse à Deo, *mediante lege naturæ per ciuilem Rempub.* Idem docuit Couarruuias loco cit. pract. quæst. cap. 1. n. 6. potestatẽ ciuilem *à Deo procedere mediatè, quippe quæ ab ipsamet Repub. mediante lege naturæ, electione, aut consensu populorum constituatur.* Quid apertius?

Nec dissentit Guilielmus Barclaius in suis de Regno & Regali potestate libris, quibus potestatem Principum non minori doctrina, quam contentione & studio recens propugnauit; quandoquidem fatetur, potestatem in Reges (eadem est ratio aliorum supremorum magistratuum) col-

latam esse à populo. Sic enim scribit lib. 3. cap. 2. *Itaq; Reges hac ratione à Deo constituti esse, & potestatem accipere dicuntur, quòd is potestatis à multitudine in ipsos collatæ summus & author, & approbator sit: vt quamuis eius potentiæ largitor populus videatur, qui Regem super se constituit, & suum omne Imperium & potestatem in eum transfert, tamen id donum atque beneficium Dei frequentius, quàm populi in sacris literis nuncupetur.*

Ratio ex dictis est manifesta. Quia duobus tantum modis generatim dici potest, politica potestas à Deo immediatè descendere, vt ex dictis constat. Aut quia ex ipsa rei natura potestas ciuilis tanquam naturalis quædam proprietas, non interueniente vlla electione, vel transactione humana, societatem aliquam consequitur; aut quia ipsa naturalis & diuina lex præcipit, vt talis quæpiam potestas constituatur; sed neutro modo dici potest, ciuilem potestatem, qualis nunc est, in tres politiæ species distincta, esse immediatè à DEO: Ergo, nullo modo.

Non primo, quia omnium sapientum consensu constat, potestatem tàm in Reges, quam in optimates, & eos qui nomine populi Rempub. administrant, collatam esse per homines, siue in familijs separatim anteà degentes, siue iam aliqua Reipub. communione sociatos, iuxta diuersas Doctorum hac de re sententias.

Nec secundo. Quia lex naturæ, nec familijs adhuc dissociatis, nec iam aliqua societate deuinctis, præcepit, vt hanc vel illam determinatam Regiminis formam amplecterentur; nulla enim eius rei necessitas, aut ratio fingi potest: sed id totum in earum arbitrio situm erat, vt eam quam mallent, quamque expedire magis iudicarent, deligerent.

Idipsum

Idipſum in alijs rebus, quæ dicuntur eſſe Iuris humani, non diuini & naturalis, accidit. Nam Iuris quidem naturalis & diuini eſt, vt Deum aliquando homines religioſe colant, & venerentur; ſed vt hoc ipſo die determinatè, puta dominico, vt tali modo, & loco fiat, id totum eſt Iuris humani & Eccleſiaſtici. Simili modo, Iuris quidem naturalis & diuini eſt, vt malefactores plectantur, attamen vt hoc, vel illo mortis genere, igne an ſuſpendio plectantur, id totum, in Eccleſia Chriſti, eſt Iuris humani & ciuilis.

Idem deduci poteſt ex Iure Ciuili, libro primo Digeſtorum, tit. 2. de Origine Iuris, lege 2. Vbi cum de varia Romanæ Reipub. forma, regendique ratione agitur, nuſquam non diſertè aſſeritur, omnem poteſtatem in Rectores à populo ſiue Repub. tranſlatam. Exempli cauſa ſint iſta: *Exactis*, inquit Pomponius, *Regibus, lege Tribunitia omnes leges hæ exoleuerunt, iterumq́; cæpit populus Romanus incerto magis Iure & conſuetudine aliqua vti, quam perlata lege: idq́; prope viginti annis paſſus eſt. Poſtea ne diutius hoc fieret, placuit publica authoritate decem conſtitui viros, per quos peterentur leges à Græcis ciuitatibus & ciuitas fundaretur legibus; quas in tabulas eboreas perſcriptas pro Roſtris compoſuerunt, vt poſſent apertius percipi. Datumq́; eſt eis Ius eo anno in ciuitate ſummum, vti & leges corrigerent, ſi opus eſſet, & interpretarentur; neque prouocatio ab eis, ſicut à reliquis magiſtratibus fieret, &c.* Ecce ſtatum Reipubl. quaſi ad Ariſtocratiam reuocatum; ipſis optimatibus ab ipſa communitate poteſtatem accipientibus.

Et infra: *Nouiſſimè ſicut ad pauciores Iuris conſtituendi via tranſiſſe, ipſis rebus dictantibus videbatur; per partes euenit, vt eſſet neceſſe Reipubl. per vnum conſuli. Nam Senatus non perinde omnes prouincias probè regere poterat. Igitur conſtituto*

tuto Principe, datum est ei Ius, vt quod constituisset, ratum esset. Vides iterum Ius datum Principi à Republica.

Sed ne quis Imperatorem forte excipiat, audiamus expressum textum eiusdem Iuris ciuilis, lib. 1. Digest. tit. 4. de Constitutionibus Principum, lege 1. vbi sic loquitur Vlpianus: *Quod Principi placuit, legis habet vigorem; vtpote cum lege Regia, quæ de imperio eius lata est, populus ei, & in eum omne suum Imperium & potestatem conferat. Quodcunq; igitur Imperator per Epistolam & subscriptionem statuit, vel cognoscens decreuit, vel de plano interlocutus est, vel edicto præcepit, legem esse constat.* Ecce Constitutiones Imperatoris solummodò dicuntur ex eo vim habere, quod in eum populus omne suum Imperium & potestatem conferat.

Plato quoque cum non à natura ipsa Reges esse intelligeret, sapientum Consilio Regiminis formam instituendam permisit. Sic enim scribit in suo Politico. *Nunc autem postquam non nascitur rex talis in ciuitatibus, qualis inter apum examina statim à principio, tam corporis, quam animi habitu vnus cæteros antecellens, necesse est, vt videtur, cætu consultantium facto, instituta conscribere, vestigiaq; verissima reipub. illius percurrere.* Vnde & eius interpres Marsilius Ficinus in argumento eiusdem libri, Platonis mentem planius exponens, hæc scribit; eum nempe velle, *authoritatem regiam tradi debere à senioribus atq; probatissimis, quorum senatus, deinde sit collega Regis, quasi quædam Respub. Optimatum.*

Nec Aristoteles, vbicunq; seu de Regia, seu de Aristocratica, vel politica potestate agit, aliud significat, quam eas ab exordio quidem, humana electione siue transactione enatas.

Vnde eius consectator Kyriacus Stroza lib. 9. de Repub. quem Aristoteli adiecit, cum hanc ipsam quæstionem proposuis-

posuisset, vnde & à quibusnam homines ij, quos Reges nuncupamus, vim hanc atque authoritatem acceperint, præsertim primus, priscisq; temporibus, ita respondet: *Nempe,* inquit, *haud incredibile fuerit, neq; à communi existimatione prorsus alienum, eos homines, qui cunctis vitæ commodis priuati, miserè victitabant, quiq; grauia omnia & horrenda sese vndiquaq; vrgentia formidabant, viros illos inprimis probasse & suspexisse, qui quidem non pauca ex eis, quibus in præsens indigebant, bona sibi suggererent, quæ autem nocitura, & nunc, & posthac esse videbantur, ea amolirentur, & depellerent. Atq; idcirco putandum, Medos Deiocen primum Regem salutasse, quia scilicet singulare quoddam Iustitiæ & probitatis specimen, dum priuatus adhuc ætatem ageret, suis popularibus dabat, litesq; & controuersias omnes ad se delatas ex bono & æquo dijudicans, statim sedabat. Ita enim fama & litteris de eo accepimus. Iam verò Persas alta Cyri indoles, atque animi robur, ad parem dignitatem, potestatemq; sibi deferendam inuitauit. Et meritò. Nam cum in fide & tutela viri huiusce, se suaq; omnia ponerent; Medorum quidem, quibus olim seruierant, domini extitere: non multò autem post Asiæ totius Imperio potiti sunt, &c.*

Quid quòd sacræ etiam literæ apertè indicant, Reges suam potestatem à populo accipere? *Cum aggressus fueris terram,* inquit Moyses ad populum Deuter. 17. *quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam, habitaueris q; in illa, & dixeris; constituam super me Regem, sicut habent omnes per circuitum nationes, &c.* Ecce Moyses ad populum siue Rempub. pertinere significat Regis *constitutionem.* Omitto exempla particularia, breuitatis causa.

Quod si ratio ipsa naturalis consulatur, manifestum est, aliter fieri non potuisse, quam vt potestas eiusmodi ciuilis, initio quidem aut electione & consensu plurium populorum, seu familiarum constitueretur, aut Iure belli obtine-

tineretur; quorum tamen neuter titulus immediatè, & propriè Iure diuino, & naturali exoritur; sed vterq; duntaxat humana conuentione cõstat, ille hominum se sponte submittentium: hic verò Victoris etiam inuitos sibi subijcientis. Quod si enim aut illi nollent se subijcere, aut hic nollet subiectos habere, certè neutro casu potestas de qua loquimur, obtineretur.

Nam vt de filijs Adami vel Noë V.G. loquamur, eorumq; singulis familijs, cum natura pares omnes essent, omnesq; liberi æquè & sui Iuris; (nam nec Ius primogenituræ constat ciuilem aliquam in alios fratres potestatem suapte natura, & seclusa quadã humana conspiratione dare potuisse); manifestũ est, opus fuisse, vt si quispiam cõmunis inter eos, certusq; ac determinatus magistratus, ijs ita consentientib', esse deberet, eũ ipsi vel sponte eligerẽt, vel certè ob iniurias innocenti illatas, etiam inuiti paterentur. Eademq; & maior est ratio aliarum familiarum, minori cognationis propinquitate iunctarũ, suaq; adhuc libertate vtentium, & viuentiũ. Certè nec per somniũ quidem aliud de hac re nobis videri potest; vt planè existimem, hanc sententiã, quã hactenus defendimus, apud omnes firmã, certã, & ratam esse debere, videlicet politicam potestatem in specie, huius aut illius modi, nõ esse à Deo immediatè constitutam, nec propriè esse Iuris naturalis; etsi dici possit Regia potestas Iuris gentium, eo quod velut in optimam gubernandi rationem, omnes quodamñodo gentes conspirarint, vt supra etiam ex scriptura vidimus.

Vnus tamen huic doctrinæ obsistere videtur Franciscus Victoria, præclarus alioqui Theologus, qui citata relect. de potestate ciuili num. 8. contrarium asserere videtur, nempe ipsam etiam Regiam potestatem in specie immediatè Deum authorem habere. Sic enim ait: *Dico Reges etiam à*

Iure

Iure diuino & naturali habere potestatem, & non ab ipsa Repub. aut prorsus hominibus: Quod tamen ita probat, vt suam potius denuò assertionem refellere, nostramque stabilire videatur; adeò non potest falsum vero defendi.

Probatur, inquit. *Quia cum Resp. potestatem habet in Reip. partes, hac autem potestas per ipsam multitudinem exerceri non potest (non enim commodè posset leges condere, atq; edicta proponere, lites dirimere, & transgressores punire) necesse ergo fuit, vt potestatis administratio alicui, aut aliquibus commendaretur, qui huiusmodi curam gererent. Et nihil refert vni aut pluribus commendetur; Ergo potuit commendari potestas, quae eadem est, quae Reipub.*

Hactenus optimè omnia Victoria, modò contra seipsum inferret. Ergo Regiæ potestatis institutio, non est immediatè à Deo; seu quod ferè idem est; Ergo Reges habent suam potestatem, non immediatè à iure diuino & naturali, sed ab ipsa Repub. & hominibus. Nam si potestas administrandi Rempub. commendanda erat vtiq; ab ipsa Repub. *vni vel pluribus,* necesse est fateri, hunc ipsum vnum puta Regem, vel plures, vt sunt optimates, habere suam potestatem ab ipsa Republica, penes quam prius ea potestas residebat, vt fatetur Victoria. Rursum, si quantum est ex lege naturali, nihil intererat, *vni an pluribus,* ea potestas commendaretur, rursum euidenter sequitur, Rempub. non magis vni, hoc est Regi, quam pluribus, hoc est optimatibus, suam potestatem credere debuisse, quantum est ex vi ipsius Iuris naturalis; adeoque Institutionem Regiæ potestatis non esse Iuris naturalis, propriè loquendo; etsi Iuris naturalis sit aliqua demum certi magistratus creatio, vt cap. præcedenti diximus, vt rectè probat argumentum Victoriæ.

Sed pertexat Victoria siue suæ siue nostræ assertionis probationem. *Et authoritatibus*, inquit, *probatur. Constat enim regnum non esse contrarium Iuri naturali, vt isti putant. Ius enim naturale est immutabile, vt Aristoteles probat. 5. Ethic. & etiam habetur in decretis. Nam si regnum esset contra Ius naturale, nullo sæculo, aut ætate iustum esse potuit. Cuius contrarium esse, cōstat ex veteri testamento, vbi laudatur Melchisedech Rex Salem, &c.*

Sed hæc omnia, quæ ibidem fusius prosequitur Victoria, rectè quidem probant, potestatem Regiam non esse contra Ius naturale & diuinum, imò verò consonam Iuri diuino & naturali, attamen esse immediatè diuini & naturalis Iuris, non probant.

Malè proinde infert Victoria; *Videtur ergo, quod regia potestas sit non à Repub. sed ab ipso Deo, vt Catholici Doctores sentiunt. Quamuis enim à Repub. constituatur, (creat enim Respub. Regem) nō potestatem, sed propriam authoritatem in Regem transfert, nec sunt duæ potestates, vna Regia, altera communitatis. Atq; ideo sicut potestatem Reipub. à Deo, & à Iure naturali constitutam esse dicimus, idem prorsus de regia potestate dicamus necesse est, &c.*

Verum vt ingenuè dicam, quod sentio, equidem acumen viri doctissimi in hac ratiocinatione non assequor. Fatetur authoritatem è Repub. in Regem transferri, sed potestatem, negat. Quid verò aliud tandem est authoritas, quam potestas, nisi fortè hæc ex illa quasi consequi dicitur? Deinde negat Rempub. suam potestatem, (quam sibi naturali Iure vendicare, non negat Victoria) in Regem transferre, & nihilominus colligit, non esse duas potestates, vnam Regiam, & alteram communitatis, sed vnam. Atqui si Respub. suam potestatem in Regem non transfert, ergo retinet; sunt ergo duæ potestates, non vna

Im

Imò quia post constitutum Regem, est vna tantum potestas, saltem propinqua, quæ nullo impedimento ligata in actum liberè prodeat; nempe Regia, fatendum est potius, Rempub. suam illam potestatem propinquam, quam ante Regis electionem habebat, in Regem transtulisse; remanẽte nihilominus penes eam potestate saltem quasi in habitu, vt rectè dixit Molina.

Quod si potestatem Regiam, cum illa potestate, quam ante Regem à se conditum habebat Respublica, conferamus, erit eadem quasi formaliter & secundum speciem, nõ materialiter & in indiuiduo; sicut aqua hodie per Danubiũ defluens, eadem est cum illa, quæ ante centum annos defluxit; siue vt melius dicam, erit eadem vi & efficacitate, non autem origine & subiecto; sicut lumen vnius candelę, est idem cum lumine alterius candelæ, quæ suum à priore lumen accepit, non origine & subiecto, sed vi & efficacitate.

Tandem quid in nostra sententia Victoriæ displiceat, videamus. *Quod si homines*, inquit, *vel Respub. non haberent potestatem à Deo, sed ex condicto omnes conuenirent, & pro bono publico vellent potestatem contra se constituere, illa quidem esset ab hominibus, sicut est, quam Religiosi tribuunt abbati. Nõ ita verò est. Constituta enim est in Repub. omnibus etiam ciuibus inuitis, potestas se ipsam administrandi, in quo officio Ciuiles Reges constituti sunt.*

Respondeo ob hoc maximè, quia siue Respublica, siue familiæ, (de quo supra) Regem constituentes, ipso iure naturali & diuino habebant potestatem, se ipsas regendi, poterant eodem iure in Regem aut alios Magistratus suã potestatem transferre, quæ tamen translata in Regem potestas Iuris diuini non esset, sed humani, vt pote nec eadem

ſimpliciter,ſed ſecundum ſimilitudinem & efficacitatem, vt dictum. Sicut Iure diuino,& naturali,poſſunt quidem, & verò etiam debent ſuperiores leges & præcepta ad bonam gubernationem ſubditorum ſpectantia ferre,attamen non propterea conſequitur, eiuſmodi leges ſiue præcepta eſſe Iuris diuini & naturalis,cum ſint humana tantum, vt patet. Manifeſtum eſt igitur ex dictis, non minus certam, quam communem eſſe aſſertionem,nullam poteſtatis ciuilis ſpeciem propriè loquendo,eſſe Iuris naturalis & diuini;multò minus à Deo immediatè conſtitutam, quicquid Victoria dixerit,quem ipſum non tam nobis in re ipſa,quam ſibi repugnare manifeſtè oſtendimus.

Et fortè inſignis hic Doctor;non aliud demum voluit, quam homines naturali quodam inſtinctu ad Regiam, aliaſúe demum poteſtates conſtituendas eſſe inductos, iuxta doctrinam præcedenti capite explicatam. Quod vel ex eo confirmatur,quod idem Victoria,relect. 1. de poteſt. Eccleſ. n. 7. diſertè aſſerit, *Poteſtatem Principum eſſe totam à Repub.* vt lib. præcedente cap. 17. vidimus. Certè ſi aliud ſenſit,ferè auſim dicere, nullum ſapientem ſibi conſentientem habere; quicquid ipſe de præuia ſibi authoritate Catholicorum Doctorum inſinuauerit.

Neque tamen ex noſtra ſententia conſequens eſt, creato iam Rege, alioúe Magiſtratu,Rempublicam ipſam, per quam ſua eis poteſtas conceſſa eſt,eſſe ſuperiorem.Imò verò ſequitur,non eſſe ſuperiorem. Quantum enim Reſpublica poteſtatis abſolutæ, nulloq; vinculo adſtrictæ, cócedit Regi, tantum ſibi adimit. Quocirca ſi ſuam in Regem poteſtatem tranſtulit, ſi hunc ipſum ſibi caput, Ducem, ac Paſtorem,ſi hunc ſuorum magiſtrum morum inſtituit, ſequitur planè,non modo ſingulos è Republica, ſed

ſed & Rempublicam vniuerſam ſubditam & ſubiectam eſſe Regi, tanquam clientes Principi, membra capiti, milites Duci, oues paſtori, diſcipulos Magiſtro. Sic habet ipſa poteſtatis huius inſtitutio, ſic loquitur ſcriptura, quæ toties Regem *ſuper populum* conſtitui aſſerit, Deuteron. decimo ſeptimo. 1. Reg. 8. 1. Reg. 10. Sic penè ſentit vniuerſus ſapientum virorum cœtus, ſpeciatim verò ij, quos ſuperius citauimus, Victoria, Sotus, Couarruuias locis citatis Molina diſputatione vigeſima tertia, Gregorius de Valentia tomo 2. diſputatione ſeptima, quæſtione quinta, punct. quinto, Gabriel Vaſquez. in primam ſecundæ partis ſancti Thomę tom. ſecundo, diſputatione centeſima quinquageſima ſexta, numero trigeſimo octauo, Barclaius lib. quarto capite decimo, & alij, quicquid Ioannes Maior eximius alioqui Theologus in quarto ſentent. diſtinctione decima quinta quęſtion. decima quarta, & alij nonnulli in errorem deuij ſenſerint.

Id quidem omnino fatendum eſt, Principem ſupremum, ſiue electione Reipublicæ, ſiue Iure hæreditario; (quod ipſum etiam plerumque in libera electione fundatur) ſiue Iuri belli poteſtatem Regiam adeptus ſit, nunquam tamen in ſuo Regimine aliud ſibi propoſitum habere debere, quam commune bonum ac felicitatem Reipublicæ, ac proinde nec bona priuatorum, quæ communi Iure ipſorum ſunt, non Principis; nec perſonas, quæ liberæ ſunt, ciues vtique, non mancipia, in priuata ſua emolumenta trahere poſſe. Alioqui Tyrannidem indueret, & ex *paſtore* populorum, vt eum Plato, & Homerus, & ipſa ſcriptura ſacra vocat, vaſtator gregis euaderet; vt ſacræ literæ egregiè docét, & conſentiunt omnes tam ſacri, quam profani politicarum quæſtionum Magiſtri, quos ne nimis longum omitto.

Imò

Imò etiam cum potestas à Repub. in Rectores deriuetur, (casum Iuris belli excipio) poterit sane pro arbitratu Reipub. (nihil tamen contra instituta, & conuenta innouando) in vnaquaq; Regiminis forma, maior vel minor potestas Rectoribus concedi; quam si Rectores extendant, rursum per iniustitiam in Tyrannidem degenerabunt, vt ij quos superius citauimus docent; in specie Molina lo. cit. vbi addit; *Si rex potestatem sibi non concessam vellet assumere, posset quidem Respub. ei tanquam Tyranno ea in parte resistere, perinde ac cuiuis alteri extraneo, qui Reip. iniuriam vellet inferre.* Et rationem addit: *Quia neq; Rex ea in parte est Repu. superior, neq; Respub. est illo inferior, sed manet vt se habebat, antequam illi vllam concederet potestatem. Nunquam tamen,* inquit Couarruuias, *potest per Remp. Rex Regno, expoliari nisi is fuerit in grauissimam tyrannidem lapsus.* Imò Barclaius nec hoc ipsum quidem fieri posse in suis libris de Regia potestate prolixè contédit, de quo non est hic fusius disputandi locus.

Ex his verò colligitur, multò minus dici posse, potestatem Principis Veneti, aliorumúe Rectorum, cuiuslibet cómunitatis in indiuiduo esse immediatè à Deo institutam. Volo dicere, particularem illam regiminis formam, quæ in Repub. Veneta, alijsúe communitatibus ciuilibus reperitur in indiuiduo, non fuisse ordinatam, & institutam immediatè à Deo. Et contrarium dicere, esse errorem veritate, ne dicam stultitia plenissimum. Nec opus est hìc multa probatione. Nam si potestas ciuilis in specie à Deo immediatè instituta & constituta non est; multò minus in indiuiduo; quia indiuiduum supponit, aut potius includit rationem speciei. Deinde si omnem antiquitatis historiam percurramus, vnam solummodo inuenire licet communitatem ciuilem, nempe Israëlitici populi, cuius regimen etiam ciuile, datis legibus, & designatis etiam Rectoribus, Deus

Deus ipse per se immediatè constituerit. An verò hinc quisq; argumentabitur & concludet, etiam aliam, aut alias in hoc mundo politias fuisse à Deo immediatè institutas & dispositas? Sed huic respondebimus primo illud ex Psalmo, *Non fecit taliter omni nationi & iudicia sua non manifestauit eis.* Respondebimus deinde, & postulabimus, vt vel signatis tabulis & instrumentis, vel editis portentis comprobet, eos qui Venetam Remp. primi instituerunt, fuisse Prophetas immediatè à Deo missos, quin etiam à Deo tanq̃ nouos quosdã Moyses accepisse eas leges, quas ipsi reip. pręfixerunt. Nec opus est probatione vlteriore in re manifesta.

CAPVT IV.

ADMITTENDVM QVIDEM ESSE ALIQVOD POLITICÆ POTESTATIS PRIMIGENIVM SVBIECTVM, QVOD IMMEDIATÈ à DEO suam potestatem acceperit, attamen nullos omnino Reip. moderatores certam Regiminis formam tuentes habere suam potestatem immediatè à Deo.

HOC tertium est pronunciatum nostrum, de origine authoritatis politicæ supra cap. 1. contra Marsilium propositum, quod propriè ad coniunctioné politicę potestatis cum subiecto pertinet. Habet autem duas partes. Prima asserit, admittendum esse aliquod politicæ potestatis primigenium subiectum, quod immediatè à Deo potestatem acceperit, & demum in alios etiam transfuderit. Altera, nec supremos Principes, nec vllos Rerumpub. moderatores, certam regiminis formam tuentes, accipere suam potestatem im̃ediatè à Deo. Vtraq; verò pars ferè ex dictis colligitur.

Quod enim ad primam attinet, cap. 2. ostendimus, supremum quandam potestatem politicam etsi imperfe-

ctã, primitus ex ipsa rei natura, citra vllã humanã dispositionem, tum in ipsis familijs singulis, nullum adhuc alium cõmunem Rectorem agnoscẽtibus, tum ex probabili sententia in ipsa quoque tota communitate seu Repub. ex pluribus familijs cõstituta, inhęsisse suamq; sedem fixisse; atque hinc deinceps in alios Rectores perfecta Reipublicę, forma constituta, deriuatam esse. Et verò quamuis hac ratione, probabiliter duo primigenia subiecta politicæ potestatis constituantur, familia scilicet, & Respublica, mihi tamen, vt dicam quod sentio, semper magis arridere visa est eorum sententia, apud Molinam citat. disputatione 21. qui vno duntaxat primigenio subiecto politicæ potestatis assignato, soli familiæ hoc priuilegium transcripserunt, vt immediatè à Deo, non ab hominibus suam eiusmodi potestatem accipere diceretur. Cum enim in cæteris rebus naturalibus vnius qualitatis vnum tantum sit primarium subiectum, vt caloris ignis, frigoris aqua, &c. videtur etiã politicæ potestatis non ex æquo duplex subiectum primarium, sed vnum duntaxat assignandum.

Accedit quod cum Respublica ex familijs, habentibus iam, vt dixi, supremum temporalis potestatis Ius, componatur, congruum est, vt inde suam accipiat potestatem, vnde Esse accipit. Nec obstat quòd pariter etiam Respublica potestatẽ in singulas partes obtineret, tametsi ex singulis tãtũ capitibus, nullã certam familiã constituentibus cõponeretur. Nam etsi hoc casu à partibus suis potestatem Respublica non ita acciperet, quasi illæ à se in Rempub. eã transferrent, tamen hoc ipso adhuc ab ijs accipere eam posset, quod singuli se ipsos toti communitati, vel certis à se constitutis Rectoribus submitterẽt. Sed hac de re nõ est magnopere contendendum. Nam siue fons & origo prima totius potestatis ciuilis, quæ nunc in orbe certa quapiam regiminis

nis ſpecie continetur, ſit illa ipſa poteſtas duntaxat, quæ primitus in familijs ſingulis ſeorſim adhuc degentibus, cõtinebatur, ſiue potius illa, quæ primitus in Republica ſeu communitate è pluribus familijs coagmentata inerat; ſequitur, primigeniam illam poteſtatem in ſuum proprium ſubiectum, non ab hominibus, nec vllo nutu & diſpoſitione humana, ſed ex ipſa rei natura, adeoq; immediatè quodámodo à Deo, autore naturæ fuiſſe transfuſam; vt ijdem authores, ſinguli in ſua quiq; ſententia aſſerunt.

Quod vel ex communi principio Philoſophorum, omne quod mouetur, ab alio mouetur, quo primum ipſi motorem ſolent probare, ita denuò confirmatur. Nam ſi omne quod mouetur adeoq́ue perficitur, ab alio mouetur, & perficitur; acquiſitio autem ciuilis poteſtatis motus ſeu perfectio quædam eſt; ergo quicquid hac ciuilis poteſtatis perfectione perficitur, ab alio perficiente perficitur; Aut ergo dabitur ꝓceſſus in infinitum in hac ſerie eorum, quibus mediantibus ad vltimum hoc ſubiectũ deuenitur; quod ſi non repugnat rationi naturali, de quo Philoſophi adhuc diſceptant, ſaltem repugnat fidei, quæ docet mundum non fuiſſe ab æterno, adeoq; nec infinitos ſucceſſiuè homines in mundo. Aut tandem, ſiſtendum erit in vno quodam perficiente primo, quod cum alia omnia hoc certo perfectionis genere perfecerit, ipſum nullam vnquam perfectionem acceperit, ſed ex ſe abſolutiſſimam perfectionem ab æterno habuerit. Et hic eſt Deus.

Patet igiť euidenter, p̃ſertim ſuppoſitis fidei principijs, neceſſariò aſſignandũ eſſe primũ aliq; creatũ ſubiectũ ciuilis poteſtatis, q, eã nec à ſe acceperit (hoc n. fieri nó poteſt) nec à quoq̃ alio creato ſuppoſito, ſed im̃ediatè à Deo. Omitto alias rationes quas Author operis de regimine Principũ l. 3. c. 1. 2. & 3. doctè & diligenter perſequitur, & ad inſtitutũ facilè quiſq; poterit accõmodare.

Cæterum vt aſſertio rectius intelligatur, obſeruandum in propoſito, cum de primo ſubiecto poteſtatis politicæ agitur, primũ dupliciter dici poſſe, vel poſitiuè ſcilicet, quod ſit ſaltem naturâ prius omnibus alijs ſubiectis eiuſmodi poteſtatem politicam participantibus; vel negatiuè tantum, quo non ſit aliud naturâ prius, eſto quod nec ipſum ſit naturâ prius omnibus. Vtrouis autem modo rurſum aſſignari poteſt ſubiectum primum, vel in ſpecie, vel in indiuiduo.

Iam ergo cum in aſſertione dicimus, admittendum eſſe primum aliquod ſeu primigenium ſubiectum politicæ poteſtatis, cui nempe ſua poteſtas fuerit immediatè à Deo collata, non contendimus aſſignandum eſſe aliquod indiuiduũ ſubiectum eiusmodi primum abſolutè & poſitiue, hoc eſt, vel communitatem ſingularem, vel hominem cui & ipſi immediatè à Deo, & à quo poſtea omnis omnino humana & ciuilis poteſtas in alios homines ſit collata, nullus enim talis aſſignari poteſt; ſed aſſignandum dicimus, tum certum & determinatum aliquod ſubiectum in ſpecie, puta familiam, communiatéue nulli ſubiectam quæ ſit primum ſubiectum eiuſmodi poteſtatis etiam poſitiuè; tum certum etiam aliquod & determinatum ſubiectum in indiuiduo, puta hanc familiam, ſiue hanc Rempub. quæ ſit primum ſubiectũ politicæ poteſtatis ſaltem negatiuè; quo videlicet ſubiecto nullum ſit prius inter homines, à quo ſuã illud poteſtatem acceperit. Quocirca nihil obſtat, quò minus in indiuiduo plura eiuſmodi ſubiecta prima fuerint, & verò etiamnum eſſe poſſint, ſicubi fortè familiæ adhuc ſolitariæ, & ſub nullius poteſtatem redactæ viuant, vt apud aliquas Indorum gentes contingere fertur.

Dicet fortaſſe quiſpiam, an non ex fide noſtra conſtat, Adamum fuiſſe primum hominem, non tantum negatiuè, ſed

sed etiam positiuè, à quo nempe tùm Eua suo modo, operante Deo, tum omnes posteri suam naturam acceperint; cur non ergo & potestatem ab illo accepisse dicantur? Quandoquidem credibile videri potest, Adamum immediatè à Deo habuisse potestatem eiusmodi ciuilé in omnes suos filios & posteros, quibuscum in mundo vitam aliquandiu tolerauit.

Ad hoc Respondetur, longe disparem esse rationem vitæ seu naturæ humanæ, secundum se, & ipsius potestatis ciuilis. Nam vitam ac naturam humanam, & quæ sunt ipsi naturæ secundum se spectatæ congenita, puta naturales proprietates & affectiones, certum est, nos à maioribus nostris accipere, at ea quæ talia non sunt, certum est aliunde primum acquiri, vt sunt artes, scientiæ, virtutes, &c. In quibus est etiam propemodum potestas ciuilis, quæ non est aliqua affectio connaturalis, aut congenita humanæ naturæ secundum se spectatæ, alioqui enim omnes homines hac potestate præditi forent, sed est aut accidens, quod fortuito quibusdam contingit, aut proprietas quidem aliqua respectu certi subiecti, sed quæ non ex ipsa natura humana secundum se, sed ex natura humana, vt certo modo consociatâ, prouenit. Satis ergo patet, Adamum ea quidem ratione præcisè, qua est author naturæ, non posse dici proprie authorem ipsius potestatis, quæ videlicet ab eo, & per eum in homines alios sit deriuata.

Deinde verò quod nec suo etiam arbitratu, & propria quadam dispositione ipse quidem primùm in suos filios & nepotes, aut omnes, aut aliquem certum; & hi rursus eodem modo in suos, & sic deinceps omnes posteri continua serie perpetuo transfuderint, id quidem si de facto loquamur, satis ex ipsa historia sacra fit clarum. Nusquam enim significat, Adamum aut in Seth solum, aut in alium quem-

uis ex posteris, totam, suam eiusmodi potestatem transtulisse, in eaue sibi successorem reliquisse; multò minus indicat, Adamum suam authoritatem in plures diuisisse.

Nec verò etiam opus erat, aut cõueniens, vt hoc Adamus faceret; siue ipse omnem eiusmodi potestatem ciuilem in suos posteros sibi coæuos habuerit, siue non; & siue id suo arbitratu facere potuerit, siue non; quod probabilius iudico. Nam aut in vnum certum quempiam tota potestas conferenda erat, aut in plures diuidenda; primum præterquam quod inter eos, qui Ius æquale omnes habebant, erat plenum inuidiæ, non erat ei tempori & loco accommodatum, quo non iuncti simul posteri, certisq; & vniusmodi legibus politicis sociati sub vno statim capite viuere; sed in omnem terram dispergi & propagari, & è re nata pro loco, & tempore, sibi suisque posteris propria quisq; & conuenientia præcepta deinceps ferre debebant.

Quod si quis dicat, eiusmodi potestatem mox ab Adamo in plures fuisse tribuendam, à quibus singulis deinceps itidem inter plures posteros esset dispertienda; huic respondeo, id vel superuacaneum futurum fuisse, vel etiam perniciosum. Nam aut inter eiusdem propaginis posteros filiosq; familias nullum omnino caput excludendum erat ab eius potestatis participatione; & tunc frustranea fuisset eiusmodi potestatis collatio à parente facta; nam cum ea cuiq; familiæ seorsim constitutæ, nullique ali capiti subditæ, per se & ex natura rei sit necessaria, adeoq; debita, & vt ita dicam connaturalis talis potestas, frustra homo in ea conferenda laborasset, quæ sponte & per se suo tempore enascitura erat. Aut ab eiusmodi potestatis communicatione aliquod familiæ caput erat excludendum, & hoc etiam tunc temporis, in ipsis veluti naturæ incuna-

incunabulis perniciosum potius, quam oportunum futurum erat: quandoquidem in tanta necessitate propagandi humanum genus, oportebat, vt singulæ cuiusque familiæ capita, vti suos posteros quam latissime in omnem terram diffunderent, ita etiam quam amplissimam, minimeque ab alijs dependentem potestatem haberent, aut saltem habere nemine facilè impediente possent.

Cuius rei egregium documentum nobis exhibet sacra scriptura, in Abrahamo, qui licet inter fratres suos minor natu, vt probabilior habet sententia, apud Pererium nostrum, lib. 16. in Genes. disput. 14. num. 229. nihilominus tamen ex mandato Dei à domo parentis euocatus, ipse sibi propriam gentem & populum constituere iussus est. Et quanquam suæ peregrinationis comitem haberet Loth, suum ex fratre Aran nepotem, tantum tamen abest, vt eum sibi politicè subditum habere tentauerit, vt potius etiam à se liberius suo arbitrio victurum dimiserit.

Quocirca cum vtrique esset magna pecoris copia, adeo vt non posset eos capere terra, simul habitantes, quin subinde rixæ inter Pastores Abrahæ ac Loth exorirentur, non aliter lis hæc, quam communi vtriusque conuentione & compositione dirempta est, habente, ob insignem Abrahæ beneuolentiam & lenitatem, primas in optione partes ipsomet Loth. Sic enim ait scriptura, Genes. 13. *Dixit ergo Abram ad Loth: Ne quæso sit iurgium inter me & te, & inter Pastores meos, & Pastores tuos; fratres enim sumus. Ecce vniuersa terra coram te est, recede à me obsecro; Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.*

Eleuatis

Eleuatis itaq. Loth oculis vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuersa irrigabatur antequam subuerteret Dominus Sodomam & Gomorrham, sicut paradisus Domini, & sicut AEgyptus venientibus in Segor. Elegitq. sibi Loth regionem, circa Iordanem, & recessit ab Oriente, diuisiq. sunt alterutrum à fratre suo. Abram habitauit in terra Chanaan, Loth verò moratus est in oppidis quæ erant circa Iordanem, & habitauit in Sodomis. Patet ergo vel hoc exemplo, diuinæ voluntatis, aut naturalis institutionis non fuisse, vt vel fratres etiam natu minores maioribus, vel nepotes Patruis suis, absque alia conuentione, politice subijcerentur.

At vrgebit vlterius quispiam, cur non potius ipse homo singularis saltem per modum indiuidui vagi, subiectum primum & primigenium politicæ potestatis constituatur. Respondetur, hoc fieri non posse propterea; quia nunquam hactenus Doctores existimarunt fieri posse, vt priuatus quispiam & singularis homo, à reliqua communitate separatus, ex ipsa rei natura, citra peculiarem Dei commissionem, habeat potestatem ciuilem, qua non solum seipsum defendere, sed & pro se vindictam sumere ab offendentibus posset. Quod si ergo ipse talem potestatem primitus non habet, non potest eam per modum primigenij & primi subiecti in alios transfundere.

Qua de re prudenter etiam scripsit Ludouicus Molina citata disput. 22. *Fortè*, inquit, *contendet aliquis, priuatas quoque personas posse sumere iustam vindictam de ijs, qui sibi sunt iniurij & malefactores, quando nulla alia esset constituta superior potestas, cui id incumberet. Id tamen*, inquit, *nullo modo auderem concedere; eo enim dato, pari ratione concedendum esset, in euentu, quo per publicam potestatem non sumeretur, vel quia affectus iniuria deficeret in probatione, vel quia publica potestas sua nequitia non sumeret, posse priuatam personam sumere per seipsum vindi-*

vindictam, cessante scandalo: non secus ac cessante scandalo, potest propria authoritate accipere, quod sibi debetur, si aliter id recuperare non valeat. Concedendum etiam esset, non esse de Iure naturali, quod personæ priuatæ sumere non possent per seipsas vindictam, sed de Iure duntaxat positiuo, ac proinde homines dum coeunt ad constituendam vnam Rempub. posse sibi reseruare potestatem, sumendi per seipsos vindictam, eam à se non abdicando, neque transferendo in Rempubl. quæ nulla ratione sunt concedenda, &c.

Prudenter, inquam, isthæc Molina. Quanquam enim fortasse rationes adductæ non conuincere Lectorem videbuntur singulæ, nil tamen est, cur à certa & receptissima Doctorũ sententia recedatur, asserentium, neminem propria authoritate vindicare acceptas iniurias posse; idq; iure naturali vetante.

Sit ergo ratum, omnino admittendum esse primigenium subiectum politicæ potestatis, quod nempe ex ipsa naturæ institutione, non ab homine, politicam eiusmodi potestatem, generatim saltem acceptam habeat, vt supra diximus, & à quo postmodũ ea ipsa in alia subiecta secundaria (vt sunt minimum omnes certæ cuiusdam speciei, ex tribus ab Aristotele assignatis, Politici Rectores) fuerit deriuata; idq; ipsum primigenium subiectum, aut esse familiam quamq; separatam nulli adhuc politicè subiectam; vel Rempub. siue communitatem ex pluribus familijs constitutam; siue vtramq;. Iam reliqua videamus.

Altera pars nostri pronunciati; videlicet nec Principes, nec vllos alios Reipub. Rectores habere suam potestatem immediatè à Deo, est fere extra controuersiam apud sapientes, & patet ex ijs quæ cap. præcedente quinta & sexta assertione diximus. Nam si ipsa institutio ciuilis potestatis in specie, aut in indiuiduo, non est immediatè à DEO,

multò minus coniunctio ipsius potestatis cum hoc vel illo particulari & indiuiduo subiecto. Deinde in historia sacra paucos duntaxat quosdam legimus à Deo immediatè fuisse principes populi constitutos, vt Moysen, Samuelem, Dauidem, &c. at certè reliquos aut successione, aut electione scimus constitutos. Nec vt reor quisquam Principum huius ætatis tam arrogans erit, qui se immediatè à Deo constitutum Principem gloriari ausit. Et quanquam Victoria visus est dicere, Principes accipere suam potestatem à Deo, non ab hominibus (in quo eum si verba spectemus errasse demonstrauimus) nunquam tamen exclusit electionem, successionem, similemúe titulum ab humana dispositione pendentem. Atq; hæc de subiecto politicę potestatis hactenus dicta sunto.

Iam verò quod ad modum acquirendi potestatem politicam, vsumq; eius attinet, hæc duo breuiter ad ea, quæ diximus, auctarij quasi cuiusdam loco addimus. Primum: Errorem esse in fide & moribus, dicere Principes aliosque Rerumpub. Rectores semper habere suam potestatē à Deo quoad modum acquirendi. Est extra controuersiam. Quia cum manifestum sit, Principes in adeundo Principatu, nōnunquam ambitione duci, quandoq́; etiā illicitis artibus vti, in eo acquirendo, euidens est, modum acquirendi Regimen non semper esse à Deo, nedum immediatè à Deo. Huc spectat illud Osee 8. Ipsi regnauerunt, & non ex me; Principes extiterunt, & non cognoui. Alterum est. Errorem esse in fide, & moribus, dicere, Principes sęculares, aliosq́; Rerumpub. Rectores habere semper vsum potestatis suæ, quâ talis vel talis est, à Deo, adeoq́; potestatem sæcularem semper esse à Deo, quoad vsum. Patet eadem ratione. Quia Principes multa sæpe & grauiter peccant in vsu potestatis suæ, qui proinde, quâ malus est, Deo, non nisi per hæresin

resin tribui potest. Et hinc est illud Scripturæ, *Potentes potenter tormenta patientur*. Sap. 6.

Atq; hæc quæ diximus, omnia confirmantur ex Commentario S. Thomæ in epistolam ad Romanos lect. 1. vbi ait: *Regia potestas, vel cuiuscunq; alterius dignitatis potest considerari, quantum ad tria. Vno quidem modo, quantum ad ipsam potestatem, & sic est à Deo, per quem Reges regnant. Alio modo potest considerari quantum ad modum adipiscendi potestatem; Et sic quandoq; potestas est à Deo, quando scilicet aliquis ordinatè potestatem adipiscitur; secundum illud* Heb. 1. *Nemo sibi honorem assumit, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Quandoq; verò non est à Deo, sed ex peruerso hominis appetitu, qui per ambitionem, vel quocunq; alio illicito modo potestatem adipiscitur.* Amos 6. *Nunquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua? Tertio modo potest considerari quantum ad vsum ipsius, & sic quandoq; est à Deo, puta cum aliquis secundum præcepta diuinæ Iustitiæ vtitur concessa sibi potestate, secundum illud* Prouerb. 8. *Per me Reges regnant &c. Quandoq; autem non est à Deo, puta cum aliqui potestate sibi data vtuntur contra diuinam Iustitiam, secundum illud* Psal. 2. *Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, &c.* Ecce quam doctè, quam sanè, quam cautè loquutus est S. Thomas; potestatem politicam secundum se, seu quoad suam institutionem dixit esse à Deo. Quoad modum acquirendi, & vsum aliquando esse, aliquando non esse à Deo; immediatè verò esse, absolutè nunquam dixit. In cuius proinde sententia & modo loquendi planè etiam nobis acquiescendum est.

CAPVT VI.

COLLIGITVR EX DICTIS DISCRIMEN INTER POTESTATEM CIVILEM ET ECCLESIASTICAM, ET SIMVL OSTENditur, quam absurdè dixerit Ioannes Marsilius, Principem Venetum aliosue politicos Principes habere suam potestatem & authoritatem immediatè à Deo.

EX ijs quæ hactenus diximus, facile colligitur ingens quoddam discrimen inter potestatem ciuilem & Ecclesiasticam, seu quod idem est, inter temporalem & spiritualem; idq; à Doctoribus Catholicis hoc ipso loquendi modo significari consuetum, cum dicunt, potestatem Ecclesiasticam seu spiritualem esse immediatè à Deo, ciuilem verò seu temporalem, mediatè. Applicandum est enim plane hoc discrimen vtrique potestati, tam in genere & secundum primam originem spectatæ, quam in specie & indiuiduo; idque rursum vtrique non solum quoad institutionem, sed etiam quoad applicationem, coniunctionemque cum subiecto, & vsum.

In genere quidem vtriq; potestati quoad institutionem eatenus conuenit, quia potestas ciuilis nec in genere quidem, & nec primigenia quidem illa, radix & origo cæterarum, à Deo constituta est, nisi media interueniente saltem ipsa naturæ lege, seu quasi ingenita humanæ naturæ, societate aliqua copulatæ, indole; ex qua velut ex proximo principio, immediataq; causa secunda enata est; eo modo quo passio ex proximo subiecto naturaliter emanare solet. Econtra vero potestas spiritualis ligandi & soluendi, in ordine ad supernaturalem finem, sola Christi Dei & homi-

hominis authoritate & voluntate, nihil ſeſe per modum cauſæ interponente naturæ lege, inſtituta & erecta eſt; quandoquidem hæc multo ſuperior eſt, quam vt ex naturæ principijs enaſci poſſit, quod ex fide conſtat; nec niſi ab Ethnico negari poteſt, omnia Chriſtianæ fidei principia conuellente.

In ſpecie verò multò planius vtriq; poteſtati diſcrimen hoc applicatur etiam quoad inſtitutionem. Quia vt ſuperius cap. 3. dictum. Nulla poteſtas ciuilis in ſpecie conſiderata, ex ijs quibus mundus cōmuniter gubernari nunc ſolet, conſtituta eſt, niſi & interueniente primum ipſo naturæ lumine, quo ipſa quodammodo inuenta eſt, & conuentione ſeu diſpoſitione humana, qua approbata, & immediatè inſtituta eſt. At verò poteſtas ſpiritualis etiam in ſpecie conſiderata, nempe ipſius ſummi Pontificis, imò etiam Epiſcoporum, Sacerdotum, cæterorumque ſaltem maiorum ordinum &c. (ſi de poteſtate ordinis loquamur,) im̄ediatè à Chriſto Domino erecta & conſtabilita eſt; imò & poteſtas etiam Iuriſdictionis ſuper vniuerſam Eccleſiam, in ſummo Pontifice & Paſtore Eccleſiæ reſidens, iuxta exploratam Catholicæ Eccleſiæ ſen tentiam, fruſtra obgannientibus hæreticorum clamoribus exagitatam, immediatè à Chriſto Domino inſtituta, & in hunc mundum introducta fuit, adeo vt propterea, conſentientibus omnium Catholicorum ſententijs, dicatur primatus ſummi Pontificis eſſe Iuris diuini, nequaquam autem humanæ inſtitutionis, vt magis inferius patebit cap. 9.

Denique in indiuiduo poteſtati vtrique hac ratione accommodatur. Quia vt probatum ſuperius, nulla poteſtas humana, certa regendi formula definita, in hanc vel illam Rempub. ſeu communitatem indiuiduam, puta Venetã, Genuenſem, &c. eſt ab ipſo Deo immediatè introducta.

Imò nec vlla diuina lege sancitum est, vt hic populus V. G. Venetus, subiectus esse deberet Principi aut Senatui Veneto, huic vel illi Domino, nisi in sensu, vt loquuntur, composito, siue ex hypothesi, nempe si & quandiu hic vel ille Princeps legitimus manet. Alioquin si legitima ratione contingat, Regnum aliquod, vel ditionem à prioris Domini potestate, transire in alienam, puta per hæreditatem, Ius belli &c. nihil procul dubio in ea re diuinæ voluntati contra itur.

Aliter se res habet in Ecclesia. Quia cum Ecclesia ipsa Dei institutione vna numero sit, eidemq; ab ipso Deo determinatum, & vniuersale caput in terris præfectum, manifestum est, Ecclesiæ regimen & potestatem etiam in indiuiduo spectatam, nempe vt est in hanc vniuersalem Ecclesiæ communitatem, immediatè à Deo proficisci. Quocirca etiam fieri non potest, vt huius communitatis regimen mutetur, aut vt semel Ecclesiasticæ potestati summi Pontificis subiecti, eidem subditi esse desinant, quandiu in viuis existunt; exire enim ex eius potestate non possunt: nec vllo penitus angulo se recondere, quin eò pontificis potestas penetret; nec vlla pactione, vi, authoritate, perfidia ab eius potestate & Iurisdictione auelli.

Iam verò quod ad applicationem seu coniunctionem vtriusq; potestatis cum suo subiecto attinet; eodem fere modo discrimen hoc explicari poterit. Nam potestas ciuilis, vt ex dictis patet, ne primigenio quidem subiecto suo coniungitur, nisi mediante velut causa quadam principali, humanæ naturæ aliqua societate deuinctæ ingenita vi & indole; secundarijs autem subiectis, non nisi interueniente simul electione seu dispositione, qua demum per homines, velut causas itidem secundas principales, huic vel illi subiecto applicetur. Superius enim probatum est,

ea

ea quæ ſunt huiuſmodi, non à DEO immediatè, ſed ab hominibus, mediante electione, &c. ſuam poteſtatem accipere.

At verò poteſtas ſpiritualis, ea quidem quæ ordinis dicitur, immediatè à Deo tanquam cauſa principali, etſi quidem interuenientibus hominibus Sacramentum ordinis conferentibus, per modum cauſæ inſtrumentalis ſeu miniſterialis, confertur: Similiter poteſtas Iuriſdictionis, ſaltem in primigenium veluti ſubiectum, nempe ſummum Pontificem, totius Eccleſiæ Paſtorem, cæteris deinceps Eccleſiæ Rectoribus, prout cuique opus eſt, diſpenſanda; immediatè itidem à Deo confertur; vt habet conſentiens hodie Eccleſiaſticorum Doctorum conſenſus; iuxta doctrinam à Chriſto traditam Lucæ 12. *Quis putas eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis in tempore tritici menſuram? Beatus ille ſeruus, quem cum venerit Dominus, inuenerit ita facientem. Verè dico vobis, quoniam ſupra omnia quæ poſſidet, conſtituet illum.* De qua re fuſius Cardinalis Bellarminus lib. 4. de Pontifice cap. 22. 23. & 24.

Nec obſtat, quod homines eligere Pontificem dicuntur; etenim eligendo ſeu nominando, nullam ipſi poteſtatem vel authoritatem pontificiam electæ perſonæ tribuunt, ſed eam ſolummodo Deo veluti præſentant, & offerunt, à quo demum ſuam poteſtatem accipiat. Eſt igitur electio iſta tantum conditio, ſine qua Deus poteſtatem pontificis in hominem non transferret; non autem ratio ſeu medium, quo Electores ipſi eam poteſtatem electo tribuant, vt in aliqua Regis, Principis, &c. electione fieri ſolet. Quocirca eodem fere modo ſe habet, quo diſpoſitiones humani corporis ad animę infuſionē pręrequiſitę, ſeu poti⁹

quo

quo applicatio ignis ad ſtuppam, quæ ſine tali applicatione non combureretur. Sicut ergo anima dicitur à Deo immediatè corpori infundi, etſi diſpoſitiones quædam ex parte corporis prærequirantur; & ſicut ignis ad ſtuppam applicatus immediate ſtuppam comburit, quanquam non niſi interueniente applicatione, tanquam conditione ſine qua non, ita Deus immediatè confert electæ Pontificis perſonæ authoritatem & poteſtatem Pontificiam, etſi nonniſi interueniente legitima hominum electione, tanquam conditione ſine qua non; quæ ſola per ſe nunquam obſtat, quò minus immediatè aliquid à principali agente fieri dicatur; ſicut nec cauſa inſtrumentalis immediate ab ipſo principali agente mota: vt in ſacramentis eſt manifeſtum, in quibus Deus ipſe immediatè operari, gratiamq́; efficere dicitur, etſi non niſi interueniente inſtrumentali vi Sacramentorum. Quod colligitur etiam ex S. Thoma 3. parte q. 64. ar. 1. vbi propterea dicit, *gratiam, quæ eſt interior ſacramenti effectus, eſſe à ſolo Deo, &c.* Nec verò alia huius diſcriminis ratio inquirenda eſt; niſi quia cum poteſtas ſpiritualis intrinſecè ordinata ſit ad finem & actus ſpirituales & ſupernaturales, non potuit ipſa ex natura hominis quomodocunq́; ſpectata, originem trahere, ſed inſtitutionem planè authoritatemq́; diuinam, ac naturæ limites excedentem requirebat. Poteſtas autem temporalis, cum per ſe nonniſi finem actusq́; naturales reſpiciat, ex ipſa naturâ, vt naturæ debita, meritò originem habuit.

Poſtremo, vt de diſcrimine etiam poteſtatis vtriuſq; quoad vſum aliquid dicam, illud quidem libenter fatemur, vti Principes ſæculares in vſu poteſtatis ſuæ, tam committendo, quam omittendo varijs modis peccare poſſunt, ita etiam Rectores Eccleſiæ, non parum ſubinde, nec leuiter, ſeu vtendo, ſeu non vtendo ſua poteſtate, labi vt homines

nes posse: attamen nihilominus in ipso etiam vsu minimũ duplex inter vtramq; potestatem discrimen omnes Catholici agnoscunt. Primum illud est, quod Ecclesiastica seu spiritualis potestas se extendit ad quosdam effectus, saltem per modum instrumenti seu ministerij, efficiendos, qui non possunt nisi à Deo velut principali ac quasi particulari etiã agẽte effici, qualis est gratia, per oĩa Sacramẽta conferri cõsueta, item character, quem nonnulla Sacramenta animæ imprimunt; vt & potestas ordinis, iuxta ea quæ tradit S. Thomas 3.p.q. 64.a. 1. At verò vsus potestatis temporalis per se ad nullum se effectum extendit, quem homo per modum causæ secundę principalis, non ipsis etiam naturæ viribus (cooperante Deo, solum per modum causæ vniuersalis) efficiat, aut saltem physicè loquendo efficere possit.

Et ratio est. Quia potestas temporalis vti ad finem solummodo naturalẽ p se ordinatur, ac ppterea ex ipsa natura, velut fonte & radice sua, originem trahit, ita non potest etiã ipsa per se nisi ad effectus naturæ pportionatos extẽdi. Debent enim media respondere fini, & vtraq; simul proportionata esse principio seu causæ efficienti. At verò potestas spiritualis omnes naturæ limites excedens, ad supernaturalia fertur, quæ proinde vim naturæ longè excedunt.

Secundum discrimen est, quia loquendo de summo Pontifice, in quo spiritualis & Ecclesiastica potestas in terris primario residet, is sanè quicquid in cęteris peccare seu errare possit, in fidei tamen morumq; decretis vniuersam concernentibus Ecclesiam, errare non potest; vt proinde saltem hoc genus vsus Ecclesiasticæ potestatis, quoad certitudinem & infallibilitatem, nulli sit errori obnoxiũ, quin potius Deum ipsum authorem adiutoremq; habeat. Cum è contra nullus plane politicæ potestatis vsus, ab errore sit exemptus, Nam Princeps etiam supremus in omnibus nõ

solùm deliberationibus priuatis, sed publicis quoq; decretis errare potest. Quorũ alterum nemo Catholicus negauerit; alterum nemo mentis compos. Et ratio est manifesta. Quia Christus Dñs in cõmodum Ecclesię suæ, certissimò alioquin in errorem inducendę, peculiarem infallibilitatis eiusmodi ꝓmissionem fecit S Petro, eiusq; successoribus, vt etiã c. 9. dicetur, qualem cæteris Principibus factam esse nusquam audiuimus; nec vt fieret, admodum humanæ politiæ necessarium erat.

Atq; ex his quæ diximus, etiã aliud maximi momenti discrimen inter politicam & spirituale͂ seu Ecclesiasticã potestatem enascitur. Quia n. vt dictũ, potestas spiritualis nõ est instituta ab hominibus, sed à Deo, nec ea quæ in terris summa est, ipsius Vicarij Christi, cõfertur per homines, sed immediatè per ipsum Deum, secus quam in ciuili potestate accidit, hinc est, q, homines non possunt eiusmodi potestate͂ spiritualem, quam nec instituunt ipsi, nec conferunt, suo arbitrio restringere, nec conditiones circa eam præscribere potuerunt vnquam. Quia institutum & voluntate͂ superioris Dei, non potest inferior homo immutare, nec potestatem à Deo datam sua autoritate minuere; cum vt dixi ab eius voluntate vel authoritate nullo modo pendeat. At verò Respub. à qua immediatè ad Principes, aliosq; Rectores sua potestas deriuatur, potuit initio certas conditiones Rectoribus præscribere, quas proinde constanter obseruare tenentur, nisi Iuris & æqui semitam transgredi velint.

Postremò & illud quoq; ex dictis manifestũ, quã absurdũ sit illud Ioan. Marsilij ꝓnunciatum absolutè positũ: Potestas, quã habe͂t Principes sæculares, *ea ipsis est immediatè à Deo cõcessa*. Ite͂ Princeps Venetus, autoritate, *quã immediatè à Deo habet*, iure leges statuit, etiã supra res & ꝑsonas ecclesiasticas. Primò enim hoc ꝓnunciatum sic absolutè positum de ipsa pote-

potestate politica Principis in specie accepta, est contra receptissimum modum loquendi omnium Theologorum, vt ex dictis præcipuè capit. 1. & 3. patet. Secundò malè sonans propositio est, vt quæ eo tendere videtur, vt discrimen amplissimum, & apud Catholicos exploratissimum inter ciuilem & Ecclesiasticam potestatem, quoad originem vtriusque penitus abroget. Tertiò est falsa; siue intelligatur de institutione authoritatis & potestatis Principum, siue de eius coniunctione cum hac vel illa persona, siue de vsu. Et quartò, quia propositiones illæ in rigore significant, eiusmodi potestatem sæcularium Principum esse immediatè à Deo, tam quoad institutionem, quàm quoad coniunctionem cum hac vel illa persona Principis, imò etiam quoad vsum, & quidem in re iniquissima; (hoc enim est Principem Venetum leges ferre etiam in Ecclesiasticas res & personas, per potestatem quam immediatè à Deo habet) idcirco addo, propositionem illam esse etiam erroneam, temerariam, scandalosam & hæresi proximam, vt ex ijs quæ partim cap. 3. & 4. prolixè disseruimus, partim cap. 6. dicemus, patebit.

Adde quod ipsemet etiam Marsilius hanc suam propositionem vix pronunciatam, mox item refellit, quandoquidem continuò subdit: *Pro intelligentia*, inquit, *& explicatione huius propositionis, aduertendum est, de Iure gentium dominium & seruitutem, imperium Principis, & obedientiam subditi, quatuor modis introducta esse, scilicet, electione, hæreditate, donatione, aut Iure belli, &c.* Pulchra planè non explicatio, sed euersio conclusionis. Nam si dominium & imperium Principis Iure gentium introductum est, idque interueniente electione, hæreditate, donatione, aut Iure belli, quomodo immediatè à Deo Principi conceditur?

Reiicienda est ergo hæc propositio, & contraria substituenda, videlicet Principibus sæcularibus suam potestatem esse concessam non à Deo immediatè, sed à Repub. etsi annuente & approbante Deo: seu quod idem est, à Deo, mediãte electione & autoritate Reipub. Item Princeps Venetus non fert im̃ediatè autoritate, quã à Deo habet, leges suis ciuibus, ne sæcularibus quidem, sed authoritate, quam ab hominibus accepit, Clericis verò nulla penitus authoritate, vt mox dicetur. Omitto alias absurditates eiusmodi propositioni Ioan. Marsilij admixtas, vt quod Princeps Venetus sit *naturalis Dominus sui status,* item quod *nullũ in temporalibus superiorem habeat, &c.* Quos errores iam à Cardinali Bellarm. diligenter notatos, nos quidem ipsi Reip. cuius libertatem euertunt, potissimum corrigendos relinquimus.

CAPVT VI.

HÆRESIN ESSE DICERE, ECCLESIASTICOS IVRE DIVINO SVBIICI PRINCIPIBVS SÆCVLARIBVS, ADEOQVE ECCLESIAsticam libertatem aduersari obedientiæ diuino Iure superioribus debitæ.

ARGVMENTVM præcipuum, quo & Ioannes Marsilius, & Paulus Venetus, velut potissimo suæ causæ firmamento, nituntur, desumitur ex Apostolo Paulo cap. 13. ad Romanos ita scribente: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo, &c.* Et infrà: *Reddite ergo omnibus debita, cui tributũ, tributũ cui vectigal, vectigal.* Similis est locus apud S. Pet. 1. Pet. 2. *Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum: siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis, &c.* Vbi inquiunt isti, S. Paulus & S. Petrus de Principibus secularibus loquuntur, iubentq; & probant, omnes

etiam

etiam Christianos, & Clericos, ijs subdi debere, debitumq́; tributum pendere. Ergo Clerici iure diuino sunt Principibus subiecti. Ergo immunitas Ecclesiastica non est Iuris diuini, nec absq; consensu Principum, iure ab Ecclesia statui potuit. Ergo Respublica Veneta iure suo in Clericos potestatem exercet, &c. Adijciunt his etiam exemplum Christi, in Pilato etiam de se iudicandi potestatem agnoscentis Ioann. 19. Addunt exemplum S. Pauli Cæsarem appellantis Actor. 25.

Vtuntur hoc eodem argumento hæretici ad impugnandam Ecclesiasticam immunitatem, vt videre est apud Cardinalem Bellarminum lib. 1. de membris Ecclesiæ militantis cap. 28. & Greg. de Valentia tom. 4. disput. 9. q. 5 punct. 4. speciatim verò Petrus Martyr in cap. 17. ad Rom. vbi ita ex loco citato S. Pauli vlterius etiam, quam Veneti isti, progressus, argumentatur: *Iure diuino subiecta est omnis anima sublimioribus potestatibus, id est, Regibus: Ergo non potuerunt Reges eximere vllos Christianos à sua potestate.* Et confirmat argumentum ex doctrina Catholicorum, qui ea ratione probant, non posse vllum eximi à potestate Papæ, *quia Iure diuino omnes homines subijciuntur Papæ, &c.*

Sed absq; dubitatione dicendum est, vtramq́; hanc propositionem, & quod Clerici Iure diuino subijciantur potestati ciuili, eiusque iudicio, & quod Ecclesia non habeat potestatem eximendi Clericos à potestate & iudicio politici magistratus, absq; eiusdem consensu; planè in fide erroneas esse. Cum enim superiore libro, innumeris Conciliorum, etiam generalium, summorum Pontificum, sanctorumq́; Patrum testimonijs probatum sit, Ecclesiam, etiam antequam vlli Principes Christiani in Ecclesia essent; & pòst etiam sæpe, repugnantibus Principibus, Ecclesiasticam immunitatem & Exemptionem, non solum perpe-

tuò vsurpasse, sed etiam sub Anathematis pœna sæpius sanxisse; quis non videt, eam doctrinam tam perpetuo vsu & praxi Ecclesię, quam apertis definitionibus aduersam, in fide erroneam esse; siue quis dicat, Ecclesiasticam immunitatem absque consensu principum sanciri non potuisse; de quo speciatim actum cap. vltimo lib. 1. siue Clericos etiamnum communi Iure, nedum diuino, Principibus subijci. Adde quod contraria propositio in terminis asserta est, in generali Concilio Lateranensi sub Leone X. videlicet, *à Iure tam diuino, quam humano Laicis potestatem nullam in Ecclesiasticas personas attributam esse*. Nec opus est de hac re plura dicere, quæ ex dictis est manifesta.

Vnum tantum addo: Si Ioannes Marsilius non absolutè pronunciasset, Clericos iure diuino subijci potestati ciuili; sed vel hypotheticè, hoc modo: Nisi Ecclesiastici Iure Canonico essent à ciuili Magistratu exempti, tum illi ipso diuino Iure subijcerentur ciuili magistratui; vel de præterito locutus dixisset: Olim, nondum constituta per Ecclesiam exemptione Clericorum, Clerici diuino Iure subijciebantur magistratui sæculari; tunc falsum quidem nihilominus dixisset, supposita ea doctrina, quâ diximus Exemptionem hanc esse Iuris etiam diuini, non tantùm humani; attamen erroris in fide notam vtcunq; effugere potuisset, addita videlicet declaratione, eiusmodi Clericorum subiectionem esse Iuris diuini, non positiuè, vt loquuntur; sed negatiuè; hoc est, non quidem Iure diuino præceptum & constitutum fuisse, vt Clerici manerent sub Iurisdictione Principum sæcularium; sed tamen nec eodem Iure fuisse ab eiusmodi Iurisdictione liberos. Quomodo dici solet; Iure naturæ omnia fuisse communia; cum tamen nihilominus rectè & licitè postea ipso Iure gentium fuerit introducta diuisio rerum & proprietas. Hoc ergo sensu & modo fuisset quidem dictum Marsilij vtcunq; tolera-

tolerabile; sed & falsum tamen, & à proposito planè alienum, vtpote vim nullam habens ad probandum; Ecclesiasticam immunitatem vim non habere, nisi à consensu & voluntate Principum, ijsq; inuitis Iure statui non potuisse; ac proinde Venetam Rempub. iure potestatem in Clericos exercere: quia nihilominus iure Ecclesia potuisset eiusmodi Exemptionis legem statuere; vt allato exemplo patet, & lib. 1. cap. vltimo fusè probatum est; sicut Iure Pontifex Iurisdictionis vsum in Episcopis potuit restringere, certa casuum reseruatione, vt patet ex Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 7. & can. 11.

His ergo suppositis ad obiectum superius argumentũ tripliciter respondeo. Primò quidem idipsum cõtra aduersarios retorqueo hoc modo: Iuxta S. Paulũ: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdi debet; etiã necessitate, & in cõscientia: Sed sum̃us Põtifex alijq; Rectores Ecclesię sunt potestates quædã sublimiores respectu omniũ Christianorũ, etiam Principũ: Ergo omnes Christiani, etiam Principes subdi debent sum̃o Pontifici, alijsq;, suis quilibet, Ecclesiæ Rectoribus iusta præcipientibus: Et vlterius: Atqui sum̃us Pontifex, alijq; Rectores Ecclesię, in Cõcilijs etiã generalib. congregati iustissimis legibus sæpius mandarunt, & seuerè præceperũt; ne & Ecclesiastici in foro sæculari Christianorũ Principũ causas dicerẽt; neue ipsi sæculares Principes vel eiusmodi iudiciũ sibi vsurparent, vel ab Ecclesiasticis tallias & tributũ exigerẽt, vt patet ex lib. 1. Ergo nec Clerici possunt se spõte ad tribunal sæculare offerre iudicandos; nec Principes vllo modo tale iudiciũ, nisi peculiariter sibi concessum, in Ecclesiasticos exercere; nec ab eis sine peculiari concessione, tallias exigere debent. Quid quæso huic argumento deest? nonne hoc ipso aduersarij tanquam proprio gladio victi iugulantur? Nõ ergo Catholicã causam hoc argumentum lædit, sed Venetam penitus euertit. Neq;

Neq; verò dici poteſt, S. Paulum tantum de ſæculari poteſtate eſſe locutum; ac proinde ad Eccleſiaſticum magiſtratum nil pertinere. Primum enim quod aſſumitur, falſum eſt. S. Paulus enim generatim loquitur de poteſtate quauis legitima; vt ex ipſis verbis patet; etſi poſtea quaſi per tacitam quandam conſequentiam applicet ſpeciatim ad poteſtatem ſæcularem; de qua præcipuè illic agere inſtituerat. Et conſtat ex Dialectica, ad colligendam concluſionem particularem, rectè vſurpari ſeu præmitti propoſitionem vniuerſalem, ſub qua particularis comprehendatur.

Deinde ſi maximè S. Paulus directè quidem ſolummodo de poteſtate ſæculari locutus fuiſſet; quis tamen non videt, nihilominus eam propoſitionem, velut à minori ad maius, rectè accommodari poſſe etiam ad poteſtatem ſpiritualem ſeu Eccleſiaſticam. Certè ita S. Baſilius de conſtit. monaſt. cap. 23. egregiè argumentatur: *Quam magna*, inquit, *ea obedientia ſit, quam erga Antiſtites ſuos religionis veræ cultores præſtare debent, eiuſq; magnitudinem non aliunde explicare adnitar, quàm ex ſacroſanctæ ſcripturæ auctoritate. Paulus Apoſtolus in ea Epiſtola, quam ad Romanos ſcribit, ipſis præcipit, vt excellentioribus poteſtatibus omnibus illi ſubiecti ſint, poteſtatibus, inquit, mundi, non ſpiritualibus: atq; hoc ex ijs, quæ deinceps adiecit, declarauit, cum de tributis & vectigalibus locutus eſt, quo in loco, qui vel minimum poteſtati reſiſtit, eum ait Dei ordinationi reſiſtere. Si igitur qui mundo huic præſunt, & ex lege humana illa imperandi poteſtatem habuerunt, ijs diuina lex pietatis cultores tantoperè voluit eſſe ſubiectos, & quod maius eſt, quorum vita tota tunc erat impietas; quam magna tandem ei à pietatis cultore præſtanda obedientia eſt, qui à Deo conſtitutus præſes eſt, & imperandi poteſtatem à legibus illis acceperit? & qui defendi poteſt, eum Dei ordinationi non reſiſtere, qui Antiſtiti reſiſtat ſuo?*

Præ-

Præsertim cum apertissime Apostolus iubeat, omni in re parendum esse spiritualibus Præpositis. Hebr. 13. *Obedite*, inquit, *præpositis vestris, & subditi estote eis*. Hæc & alia Basilius.

Secundo respondeo, directè ostendendo, hoc argumento nihil contra Immunitatem Ecclesiasticam probari. Nam aut volunt isti, quamlibet animam cuilibet potestati superiori, promiscuè, & absq; differentia subditam esse debere, ex doctrina S. Pauli, & S. Petri, aut certè putant, hanc propositionem vniuersalem, in *suppositione accommoda*, vt loquuntur Dialectici, accipiendam, videlicet, quamlibet animam suo superiori, cui alioqui Iure subijcitur, reipsa & de facto subdi, & obtemperare debere, eiq́ue tributum debitum soluere. Primus sensus manifestè absurdus est; sequeretur enim omnis politiæ confusio; nempe & Venetos V. gratia, non suo tantum Principi, sed & quibuslibet alijs Principibus subiectos & morigeros esse debere. Quod si secundus admittitur sensus; tùm aduersarij aliunde probare deberent; Clericos quoq; Iure Principibus sæcularibus subijci, & quidem non tantum infidelibus, & gentilibus, de quibus fortè alia ratio erat, vt inferius dicetur, sed etiam Christianis. Sed vnde & quando hoc probant? Quod perpetua Ecclesiæ praxis, & sententia, ab initio, ad hoc vsque tempus improbauit & damnauit.

Tertiò respondeo, verum Apostolorum sensum exponendo. Falsus nimirum quispiam rumor de Christianis iam eo tempore sparsus fuerat, inter Ethnicos, & peruersa quædam opinio, non sine detrimento fidei, apud ignaros, detrahentium calumnia, inualuerat, quasi Christiani iam conuersi, causa & prætextu Euangelij, ab obedientia ciuili magistratui debita auerterentur, vt sancti Patres testantur, & indicat ipse Apostolus Petrus, rationem sui præcepti exponens, his verbis; *vt benefacientes obmutescere fa-*

ciatis imprudentiam hominum ignorantiam. Quocirca hanc calumniam ipſo facto amoliri volentes Apoſtoli, grauiter & ſeuere Chriſtianis ſubiectionē erga ſæculares Magiſtratus commendarunt & inculcarunt.

Ea verò ſubiectio triplex in propoſito diſtingui poteſt, vt ſapienter aduertit Greg. de Valentia loco cit. Prima eſt ſubiectio cuiuſdā obſeruantiæ & reuerentiæ, qua nempe conueniens ſęcularibus Principibus honor deferatur, tanquā ijs, qui ſublimem in ſuo ordine locum obtinent, iuxta illud Apoſtoli ibidem *cui honorē honorē*, & illud etiam S. Pet. *Regē honorificate.* Secūda eſt ſubiectio etiam cuiuſdā obedientię, ſiue obſequij, non Iure debiti, ſed iuſtas ob cauſas, ſpontè & liberè exhibiti. Quo modo Chriſtus etiam pro ſe & Petro voluit ſoluit tributum, etſi Iure alioqui minimè debitum. Tertia eſt ſubiectio obedientiæ ſiue obſequij Iure debiti; qualem ſubiectionem quiſq; debet ſuo legitimo ſuperiori in iis, in quibus ei ſubiicitur.

Iam ergo S. Paulus & S. Petrus de toto triplici hoc ſubiectionis genere promiſcuè locuti ſunt, modo vnum, modo aliud explicatius innuentes & commendantes: idq; omnibus cuiuſcunq; ordinis Chriſtianis, etiam Clericis, ſed non eodē modo reſpectu omnium poteſtatum; ſed in ſuppoſitione quaſi accommoda, vt dixi, & ſeruata debita proportione; prout cuiq; hominum ordini conueniret. Etenim quoad primū ſubiectionis genus, manifeſtū eſt, id Clericis æquè ac Laicis conuenire. Nam & illi debent quoſlibet Principes etiam ſæculares, magis tamen eos, à quibus defenſionis & tutelæ beneficiū accipiūt, debito honore & reuerentia proſequi: ſeruata in oībus debita moderatione, de qua etiā Canones grauiter nōnulla ſanxerūt. Quocirca etiā Eccleſia ſemper conſueuit pro Regibus & Principibus nō abſq; obſeruantiæ ſignificatione orare, vt eorum opera ac bene-

beneficio *quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate,* iuxta Apostolum 1. Tim. 2.

Secundum quoq; subiectionis genus Apostolus cōmune esse voluit, tā Clericis, quā Laicis, quoad honestè, & absque peccato exerceri posset. Cum enim eo tempore, vt dixi, religio Christiana cuiusdam libertatis nomine malè audiret, credibile est voluisse Apostolos à Christianis quibuslibet, in omnibus quę diuinæ legi nō aduersarentur, obedientiā & obsequiū, etsi iure alioqui minimè debitū, saltem ob scandalū vitandū, & ad malā cuiusmodi opinionē abolendā, Principibus sæcularibus præstari, de facto vt dixi, nō de Iure. Neq; enim tunc patiebatur tempus, vt Ecclesia cōtra Ethnicos suū exemptionis & ecclesiasticæ libertatis Ius magnopere vrgeret: cui & licitè cedere poterat, & vt ꝓ tēpore cederet ratio suadebat. Quo modo etiā S. Paulus de se ipso dixit, *omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*. Et alibi sæpius multa se ob declinandam aliorum offensam omisisse indicat, quæ Iure alioqui facere poterat; vt cum ait; *Nunquid potestatem non habemus, mulierem sororem circumducendi? &c. Item, cum liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci, vt omnes lucrifacerem, &c.*

Tertium itidem subiectionis genus ad Laicos quoque & Clericos pertinere voluerunt Apostoli, sed modo diuerso. Sicut enim Laici in temporalibus ipso Iure directè subiici debebant imperio magistratus politici, ita Clerici in ijsdem directè & per se subdebantur Ecclesiastico magistratui. Deinde sicut Laici per accidens nōnunquam, etiā in temporalibus obedire potius debebant magistratui Ecclesiastico, quam ciuili, si nempe illo monente didicissent, huius iussū à certa ratione alienū esse; ita Ecclesiastici indirectè, & ex cōsequenti, ipsa naturæ lege iubēte, obtēperare debebant, legib⁹ honestis, & ad cōmune bonū pertinētibus

ipſius Magiſtratus ciuilis, ita vt Clerici, non directè quidem aut ſecundum vim coactiuam, ſed duntaxat ſecũdum vim directiuam, & indirectè, ſiue ex conſequenti ſubderentur eiuſmodi legibus ciuilibus politici Magiſtratus, eo modo, quo ipſe Princeps ſuis legibus ſubdi & obtemperare debet, vt fuſius explicare ſolent Theologi in primam ſecũdæ S. Thomæ q. 96. Deniq; vtriq; ex mente Apoſtoli tam Laici, quam Clerici quoad ſpiritualia ſubiici debebant ipſo Iure ſoli poteſtati Eccleſiaſticæ.

Confirmari poteſt hæc ad Apoſtolica loca reſponſio, duobus ſummorum Pontificum teſtimonijs, quibus pariter ea Eccleſiaſticæ libertati nil derogare oſtendunt. Primũ eſt Innocentij Papæ III. qui cap. *ſolitæ*, de Maiorit. & Obedient. ita ad Conſtantinopolitanum Imperatorem reſcribit: *Mirata eſt imperialis ſublimitas, quòd te viſi fuimus, in noſtris literis increpare. Huic autem tuæ admirationi non cauſam, ſed occaſionem præbuit, quod legiſti B. Petrum Apoſtolorum Principem ſic ſcripſiſſe: ſubditi eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue Regi tanquam præcellenti, ſiue Ducibus tanquã ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Et infra: *Verum ſi perſonam loquentis, & eorum ad quos loquebatur, ac vim locutionis diligentius attendiſſes, ſcribentis non expreſſiſſes taliter intellectũ. Scribebat enim Apoſtolus ſubditis ſuis, & eos ad humilitatis meritũ prouocabat. Nam ſi per hoc, quod dixit, ſubditi eſtote, ſacerdotibus voluit imponere iugum ſubiectionis, & eis prælationis authoritatem afferre, quibus eis ſubiectos eſſe monebat, ſequeretur ex hoc, quod etiam ſeruus quilibet in ſacerdotes imperium accepiſſet, cum dicatur: omni humanæ creaturæ. Quod autem ſequitur: Regi tanquam præcellenti, nõ negamus, quin præcellat Imperator in temporalibus, illos duntaxat, qui ab eo ſuſcipiunt temporalia. Sed Pontifex in ſpiritualibus antecellit; quæ tantò ſunt temporalibus digniora, quantò anima præfertur corpori. Licet non ſimpliciter dictum fuerit, ſub-*

diti

diti estote, sed additum fuerit propter Deum: nec purè sit subscriptũ Regi pracellenti, sed interpositum forsitan fuit, non sine causa, tanquam. Quod autem sequitur, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, intelligendum non est, quod Rex vel Imperator super bonos & malos gladij acceperit potestatem, sed in eos solũmodo, qui vtentes gladio, eius sunt Iurisdictioni commissi. Et infra: *Potuisses autem prarogatiuam sacerdotij ex eo potius intelligere, quod dictum est, non à quolibet, sed à Deo, non Regi, sed sacerdoti: non de regia stirpe, sed de sacerdotali prosapia descendenti, de Sacerdotibus videlicet qui erant in Anathot. Ecce constitui te super gentes & regna, vt euellas & dissipes; adifices, & plantes.* Et infra. *Praterea nosse debueras, quod fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cœli, luminare maius, vt praeesset diei, & luminare minus vt praeesset nocti: vtrumq; magnum: sed alterum maius. Ad firmamentum igitur cæli, hoc est vniuersa Ecclesia, fecit Deus duo magna luminaria, id est duas instituit dignitates, qua sunt pontificalis authoritas, & regalis potestas. Sed illa qua praeest diebus, id est spiritualibus, maior est: qua verò carnalibus, minor: vt quanta est inter solem & lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur. &c.* Audis similitudine non ineleganti exponentem Pontificem, quantò excellentior sit potestas Ecclesiastica ciuili; & simul intelligis, Apostolico præcepto Clericos laicis Principibus nequaquam subiugari.

Alterum est Symmachi Papæ, ad Anastasiũm Imperatorem, vbi pari sensu locum S. Pauli nullum Imperatoribus Ius in Pontificem conferre declarat: *Precor*, inquit, *Imperator, pace tua dixerim, memento te hominem, vt possis vti concessa tibi diuinitus potestate, quia etiamsi hac sub humano prauenire iudicio, sub diuino necesse est vt discutiantur examine. Fortassis dicturus es, scriptum esse: Omni potestati nos subditos esse debere. Nos quidẽ potestates humanas suo loco suscipimus, donec contra Deum suas erigunt voluntates. Caterum si omnis potestas à Deo est,*

magis ergo, quæ rebus est præstituta diuinis. Defer Deo in nobis, & nos deferemus Deo in te. Cæterum si tu Deo non deferas, non potes eius vti priuilegio, cuius iura contemnis. Docet igitur Pontifex, suo quidem loco etiam ab Ecclesiasticis suscipiendas & obseruandas esse potestates humanas, vt supra dictum, sed Ecclesiasticæ tamen autoritati præiudicium nullum creare posse, quantumuis Apostolus iubeat, omni potestati nos subditos esse debere.

Eundem sensum Apostoli expressit S. Ignatius in epistola 9. ad Philadelphienses, vbi ait: *Principes subditi estote Cæsari, milites Principibus, Diaconi Presbyteris, vt sacrorum administratoribus: Presbyteri verò & Diaconi, atque omnis Clerus, simul cum omni populo, & militibus, atque Principibus; sed & Cæsares obediant Episcopo, Episcopus verò Christo, sicut Patri Christus: & hac ratione per omnia conseruabitur vnitas.* Ita Sanctus Martyr, à quo ordine expositam habes totam, tam Ecclesiasticæ, quàm politicæ obedientiæ & subiectionis seriem, multò aliam, quam Veneti nobis Theologi pertexant. In eundem sensum scribit idem S. Martyr in epist. 10. ad Smyrnenses, vbi ita habet: *Omnia vestra decenti ordine perficiantur in Christo. Laici Diaconis subijciantur; Diaconi Presbyteris; Presbyteri Episcopo; Episcopus Christo; vt ipse Patri.*

Et hæc quidem hactenus responsa sunt, iuxta sententiam, quam ego certam existimo, & libro 1. cap. 17. & 18. fusius probaui, asserentem, Clericos Iure diuino exemptos esse à Iurisdictione sæcularis magistratus, imò nec tempore primitiuæ Ecclesiæ fuisse subditos Iurisdictioni sæcularium, quamuis Ethnicorum Principum. Quod si cum Venetis istis Doctoribus aliam vellemus inire viam, eam nempe ipsam, quam ipsi nobis exerto digito, & intenta voce ostentant, etsi non probant, Exemptionem Ecclesiasticam à tribunali ciuili, esse tantum Iuris humani,

quin

quin etiã vltro daremus, Apostolos ipsos, aliosq; Clericos, fuisse in causis ciuilibus subiectos olim Principibus infidelibus, quorũ legibus proinde illi per se etiã obsequi debuerint; ne sic quidem demum in sua nos adigerent ergastula.

Sit enim ita, quia sic volunt, Exemptionem Ecclesiasticam esse Iuris tantum humani; fuerint proinde Ecclesiastici, Apostolorum tempore, (nondum, vt ipsi dicunt, Exemptionis Ecclesiasticæ lege lata) subditi sæcularium, Ethnicorumq; siue gentilium Principum foro & tribunali, quod nonnullos Catholicos & graues Doctores libro præcedente cap. 14. asserentes diximus, debuerint proinde nõ solum vitandi scandali causa, sed etiam per se & directa obligatione, iustis & honestis Ethnici Imperatoris legibus obedire; quid tùm postea, quid inde conficient? An etiamnum ritè constitutâ Ecclesiasticæ Exemptionis lege, debere perinde Clericos Laico Magistratui manere subiectos? Certè id non rectius colligent, quam si quis colligat, Venetam ditionem Romanis, aut terram Chanaan Iudæis subiectam esse debere, quia olim fuerit eorum dominio subdita, &c. Præclara sanè argumentatio, eos qui semel fuerunt Iure subditi Principibus, ijsdem etiam posita deinceps exemptione iusta, adhuc subijci debere.

Audiant isti quid hac de re scribat Albertus Pighius lib. 5. Eccles. hierarch. cap. 7. Is ipse, qui ductor eorum videri potest, qui Apostolos olim Ethnicorum Principum Iurisdictioni subiectos fuisse docuerunt. Ita enim hunc ipsum Apostoli locum tractans scribit: *Quam non sit difficile, impietati accommodare diuinarum scripturarum eloquia, quando sua illis non adhibetur amussis, testantur tot portenta pestilentissimarum hæresium, &c. Impotenter ille* (hæreticus) *aduersum nos iactat verba Apostoli, quibus omnem animam docet, potestatibus sublimioribus subditam esse oportere, Deiq; ordinationi resistere,*

ſtere, & ſibi damnationem acquirere, qui reſiſtunt magiſtratibus. Proinde neceſsitati parere iubet, non tantum propter iram Principum, ſed etiam propter conſcientiam, &c. Ergo indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli acquirunt Romani Pontifices, qui hac Dei & Apoſtolorum doctrina contempta, iam dudum turbarunt ac turbant fideles Reges & Principes, atq; eorum authoritatem ſuæ authoritati ſubyciunt; cum contrà his illos potius ſubiectos eſſe oporteat, &c. Hactenus hæreticorum, & cum his Venetorum ſcriptorum contra Eccleſiaſticam libertatem & poteſtatem obiectio; nunc Pighij ſolutionem audiamus; exiſtimantis vt dixi, ipſos quoq; Apoſtolos olim Ethnicis Principibus iure fuiſſe ſubiectos.

Oro, inquit, *te lector, vt ſis memor eorum, quæ ſuperius demonſtrata non ſemel inculcauimus. Ita enim clariſsimè intelliges, nobis pulchrè conuenire cum Apoſtolo. Neq; enim dicimus, Chriſti religionem quenquam priuare ſuo Iure, non abſoluere filios à patria poteſtate, ſeruos à ſubiectione & ſeruitute, quam debent dominis, ſubditos à ſuperiorum ſuorum & ciuilium magiſtratuum obedientia debita, etiamſi Sacerdotes, etiamſi Epiſcopos: proinde & Apoſtolos, eorumq; ſucceſſores Epiſcopos & Presbyteros, iure merito ſubfuiſſe à principio legitimæ authoritati ciuili, quæ præerat in quibus morabantur ciuitatibus & comitatibus. Venit tamen Chriſtus, etiam ſibi regnum quoddam, in quo ſuper nos regnaret, conſtituere, hoc eſt, Catholicam ſuam Eccleſiam; ſed tantum ex dedititijs & voluntarijs, quiq; vltrò ſe eius ſeruituti ſubÿcerent. Quod equidem vt futurum ampliſsimum, & comprehenſurum infinitam hominum multitudinem, etiam diligentiſsimo ordine diſpoſuit, atq; eius vnitati, vno illi conſtituto capite aut rectore, ad quem totius cura pertineret & gubernatio præcipua, diligentiſsimè ſimul & ſapientiſsimè prouidit. Non eſt itaq;, quod ſuam quiſquam queratur ademptam authoritatem per regnum Chriſti, cui nemo ſeruit inuitus. Tamen quiſquis vltrò ſe illi ſubiecerit, etiam obedientiam debeat*

*beat sacrosanctis ab eo constitutis magistratibus, & præcipuè totius Ecclesiæ Pastori, Rectori, & Principi necesse est. Qui quandiu quidem viuebat sub Principibus & Magistratibus, qui se nondum Christi iugo sponte subdiderant, etiam illis suberat, & subesse tenebatur ciuiliter. At postquam diuina ordinatione impleta iam cernimus illa Prophetarum oracula, quibus fore prædixerunt, vt gentes & regna, Reges & Principes seruirent Christi regno & Ecclesiæ, postquā vltro facti sunt Ecclesiæ filij, atq; eius quædam membra præcipua, vt quorum est magni momenti & necessarium officium ad salutem totius corporis, rerum natura non patitur, vt illis caput, Princeps aut Rector subijciatur Ecclesiæ, & non potius membra capiti, atq; illi officiorum ac magistratuum suorum exacti rationem (*si id Ecclesiæ salus postulet*) reddere teneantur. Illius subsint iudicio, præsertim qui nullos superiores ciuiles Magistratus recognoscūt &c.* Hæc & plura Pighius loco cit.

Qui & alibi controuers. 16. de potestate Ecclesiastica in eundem sensum rem ita prosequitur: *Intelligant proinde, quibus affectu deprauatum non est, sed integrum synceruma; rationis iudicium, quàm sint bene meriti de Ecclesia Christi, qui stulto quodam zelo authoritatis sæcularis aduersus Ecclesiasticam, huic illam nolunt subijci, Ethnicam adhuc, & non Christianam dominationem meditantes animo, nec cogitantes, quòd in alieno iam, hoc est, Christi regno, hæc ipsa geratur authoritas. In quod hæc ipsa recepta precariò, non vi introducta, illi quoque debet seruire fideliter. Extra quod quandiu fuit, subiecta illi non fuit, postquam verò illud ipsum ingressa est, vt subesse debeat Rectori, quem ille nobis sui regni designauit & constituit, nemo est, qui non intelligit. Itaque non fuerūt ab initio Imperatores, Reges, & Principes subiecti Petro & Apostolis, vt qui in ouile Christi non dum ingressi fuerant, non dum se suaq; sceptra Christi regno submiserant; imò contra Petrus & Apostoli eorum, sub quibus degebant, authoritati illi ciuili erant obnoxij. At contra res habet de his, qui in regnum Christi iam*

intromissi sunt. In quos absque vlla distinctione aut exceptione omnes data est Petro, & qui eius locum tenet, cura Pastoralis & regiminis authoritas, omnibus imposita est illi obediendi necessitas, &c. Quod cum ab his docentur negligere & contemnere, tale nobis monstrum reddiderũt ex decentissimè ordinata, & composita à Christo Ecclesia, quale foret animantis corpus, si cuiq; membro daremus proprium iudiciũ & arbitrium; & ex pulcherrima pacis pulchritudine, quæ conseruata illa à Christo constituta eius forma & specie, in eadem vigeret, turbas, rixas, seditiones & bella plusquã ciuilia & penè perpetua in eandem introduxerunt, &c. Omitto cætera, quæ tam in istos nouos Marsilios, quam veterem illum, aliosque hæreticos, fusius ibidem disserit Pighius.

Quæ quidem de Pontificis Maximi persona speciatim dicta, pariter ad cæteros Ecclesiastica lege postmodum exemptos (si quidem antea exempti ipso diuino Iure non fuissent) accõmodanda sunt. Idq; ideo volui prolixius referre, non quod hac nobis responsione opus esset, sed vt ostenderem, si vel maximè concederetur, quod Veneti scriptores tantis conatibus postulant, in primitiua Ecclesia fuisse tam Clericos, quam cæteros Christianos, Principibus Ethnicis ciuiliter subiectos, nihil tamen inde, ad euertendam, hoc etiam tempore, Ecclesiasticam libertatem concludi. Habent ergo nunc isti causæ Venetæ defensores sui velut Atlantis non vnam, sed multiplicem destructionem, cuius fiducia nemo vel terram tangat, nedum cœlum premat.

Ad exemplum Christi Dñi hæc est certa, firma, & constans Catholicorum responsio, Christum Pilato non fuisse iure subditum, sed facto tantum; hancq; ipsam esse *potestatem tenebrarum* quam & Pilatus, & cæteri in Christum impij homines accepisse dicuntur, non aliter datam desuper, (si physi-

physicum concursum excipias) nisi quia permissam. Eodē modo existimandum est, S. Paulum Cæsari fuisse subiectū, non de iure videlicet, sed de facto, eò quod aliter vim iniustam declinare non posset, vt docent etiam Cardinalis Bellarminus lib. 1. de membris Ecclesiæ militantis cap. 30. & Gregor. de Valentia tom. 4. disp. 9. q. 5. punct. 4. Sicut nec Christus Dominus, ex debito Iuris, sed tantum ob scandalū vitandum soluit didrachma, vt ipsemet apertè testatur illis verbis: *Ergo liberi sunt filij, sed ne scandalizemus eos, &c.* Quod adeò certum, vt inter alios errores Marsilij de Padua, & Ioannis de Ianduno, hic etiam à Ioanne XXII. Pontifice dānatus sit, quòd, vt aiebant illi, *Christus soluerit Cæsari tributum, non condescensione & liberalitate suæ pietatis, sed necessitate coactus,* vt refert Ioannes Turrecremata lib. 4. suæ summæ de Ecclesia part. 2. cap. 37.

CAPVT VII.

ECCLESIÆ IVS SVVM CONTRA VENETAM REMPVBLICAM PERSEQVENTI, FRVSTRA A VENETIS SCRIPTORIBVS SCANDALI culpam impingi.

OSTENSVM est libro præcedente cap. 16. Exemptionem Ecclesiastiacam, non tam esse Iuris humani, quam diuini & naturalis; quin & præterea cap. 18. multis argumentis euictum, etiāsi exemptio illa diuini Iuris non esset, potuisse tamen eam nihilominus ab Ecclesia Iure cōstitui; quod speciatim ex recepta quadam sancti Thomæ doctrina comprobauimus, asserentis in 2. secundę, quæstione decima, artic. decimo, Ecclesiā habere potestatē eximēdi quosuis fideles à domi-

nio etiam infidelis&gentilisPrincipis,si id spirituale bonũ subditorũ exigat. Iam vęròVenetæ causæPatroni quidam, hæc contra,se aduersos inferunt,&non obscurè obiiciunt, quod eodem loco S. Thomas adiungit,videlicetEcclesiam licet talem potestatem etiã circa principes Ethnicos à Deo acceperit,attamen ea non semper, & quolibet loco vti; idque ob scandalumvitandum,exemploChristi soluentisCęsari tributum,etsi minimè debitum,Matth. 17.

Nempe scandali crimen impinguntEcclesiæ,eiusq; inprimis CapitiRomano Pontifici,dum vt aiunt,nulla habita communis perturbationis ratione,excommunicationis ensem in ecclesiasticæ libertatis violatores strinxit. Perinde atq; Donatistæ olim Ecclesiæ Catholicæ schismatis crimen impegerunt,quod ipsi nefariè conciuerant. Sic enim legimus apud Augustinum lib. 2. cont. lit. Petiliani ca. 42. *Petilianus dixit: Si rudibus,si iustis Paulus hæc dixit, ego vobis iniustis hæc dico: Nunquid diuisus est Christus,vt vos ab Ecclesia scinderetis?* Huic criminationi Augustinus in hæc verba respondit: *Vereor, ne quisquam in hoc opere nostro scriptorem arbitretur errasse,& illic fecisse, Petilianus dixit,vbi debuit facere*: Augustinus respondit. *Sed video quid egeris,quasi præoccupare voluisti, ne nos ista diceremus. Sed quid fecisti vt his dicantur? Si ergo sic te delectat audire,quæ sunt aduersus eos,vt ea dicantur, audi illa peto à me Petiliane: Nũquid diuisus est Christus,vt vos ab Ecclesia scinderetis?* Ita ego quoque istis respondere possem. Scandali crimen,quod vos Ecclesię impingitis,penes vos hæret. Vos enim inobedientiam contra legitimumEcclesiæ caput nutritis. Vos schisma concitatis: Huic dum summus Ecclesiæ Pastor obuiare debita seueritate nititur,non ponit scandala,sed aufert. Si vobis hæc cura scandalo est,vestro malo est, nulla Pontificis culpa. *Non ego turbaui Israël*, inquit Elias feruens

feruens DEI Spiritu 3. Regum 18. *ſed tu & domus Patris tui.*

Sed vt videant, quam non habeant ſibi fauentem S. Thomam, vlterius reſpondeo ex doctrina eiuſdem S. Thomæ, non omnis ſcandali eandem rationem eſſe. Eſt ſcandalum quod ex infirmitate, aut ignorantia oritur, & huius meritò habenda eſt ratio; non ita quidem, vt propterea Iura cuiq; ſua ſtatim negligenda ſint, multò minus Eccleſiæ; ſed ſaltem, vt correctione, inſtructione, quoad fieri poteſt, tollatur: Eſt ſcandalum, quod ex malitia concitatur ab ijs, qui alienis bonis & Iuribus nullo Iure inſidiantur, & hoc, vtpote Phariſaicum ſcandalum, contemnendum eſt, iuxta illud Chriſti Domini ad Apoſtolos, de ſcandalo Phariſæorum ſolicitos, dicentis Matth. 15. *Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum.*

Audiamus S. Thomam 22. q. 43. art. 8. ex inſtituto rem hanc tractantem: *Reſpondeo dicendum,* inquit, *quòd circa temporalia bona diſtinguendum eſt. Aut enim ſunt noſtra, aut ſunt nobis ad conſeruandum pro alijs commiſſa, ſicut bona Eccleſiæ committuntur Prælatis, & bona communia quibuſcunq; Reipub. Rectoribus. Et talium conſeruatio, ſicut & depoſitum, imminet ijs, quibus ſunt commiſſa, ex neceſſitate. Et ideo non ſunt propter ſcandalum dimittenda; ſicut nec etiam quæ ſunt de neceſſitate ſalutis. Temporalia verò bona, quorum nos ſumus Domini, dimittere, ea tribuendo, ſi penes nos ea habeamus; vel non repetendo, ſi apud alios ſint, propter ſcandalum, quandoq; quidem debemus, quandoq; autem non. Si enim ſcandalum ex hoc oriatur, propter ignorantiam, vel infirmitatem aliorum, vt ſupra diximus, eſſe ſcandalum puſillorum, tunc vel totaliter dimittenda ſunt temporalia, vel aliter ſcandalum ſedandum, ſcilicet per aliquam admonitionem. Vnde Auguſtinus dicit de ſermone Domini in monte, lib. 1. cap. 4. Dandum eſt, quod nec tibi, nec alteri noceat, quantum ab homine credi*

potest. Et cum negaueris quod petit, indicanda est ei Iustitia, & melius ei aliquid dabis, cum petentem iniustè, correxeris.

Aliquando verò scandalum nascitur ex malitia, quod est scandalum Pharisæorum, & propter eos, qui sic scandala concitant, non sunt temporalia dimittenda: quia hoc & noceret bono communi, daretur enim malis rapiendi occasio; & noceret ipsis rapientibus, qui retinendo aliena, in peccato remanerent: Vnde Gregorius dicit in moralibus, (lib. 31.) *Quidam dum temporalia à nobis rapiunt, solummodo sunt tolerandi; quidam verò æquitate seruata prohibendi; non sola cura, ne nostra subtrahantur, sed ne rapientes non sua, semetipsos perdant.*

Quocirca etiam sapienter S. Thomas ibidem exemplum S. Thomę Cantuariensis adducit, vt ostendat, non quolibet scandalo impediri Ecclesię Prælatos debere, quò minus Ecclesiæ bona & Iura repetant,, aut tueantur; sic enim probans suam sententiam scribit S. Thomas: *Thomas Cantuariensis,* inquit, *repetijt res Ecclesiarum, cum scandalo Regis.*

Eandem doctrinam fusius tradit S. Thomas opusculo 19. quod scripsit cōtra impugnantes religionem. Vbi inter cætera, ad obiectionem, quam Religiosis opponere sæculares frequenter solent, quòd nempe in iudicijs illi sæpius cōtendunt, violata, vt aiunt, pace cum proximo; nec sua potius relinquant, quam repetendo, scandalum sæcularibus præbeant: Ad primum illud ita respondet: *Non semper,* inquit, *quando aliquis rem suam repetit in iudicio, pacem, quam cum proximo debet habere, à corde suo repellit. Vnde quamuis pax cordis nullo modo sit perdenda, pro terrena re recuperanda, non sequitur, quod aliquis non possit in iudicio terrenam rem repetere. In ipso enim tumultu iudicij, plerunq; est salua pax pastoris, cū etiam à bonis viris in bellorū tumultibus nō amittatur; alias omnia bella essent illicita.*

Ad secundum ita respondet: *Si aliquis iustè in iudicio sua repetit, ipse non scandalizat scandalum actiuè faciens; sed si aliquis*

scan-

scandalizatur, est scandalum passiuum tantum. In quo, inquit, *distinguendum videtur, quod aut est scandalum Pharisæorum, cum scilicet quis ex malitia scandalizatur, & scandalum in alijs suscitat, & tale scandalum est contemnendum, exemplo Domini, qui audito Pharisæorum scandalo, dixit* Matth. 18. *Sinite eos, cæci sunt, & duces cæcorum; aut scandalum infirmorum, quod scilicet procedit ex infirmitate vel ignorantia, & huic scandalo occurrendū est iuxta posse, ita tamen vt pro hoc remouendo, aliquod illicitum non committamus. Esset autem illicitum, si aliquis bona Ecclesiæ sibi permissa perire permitteret, à prædonibus direpta.*

Vnde quamuis aliquis scandalo passiuo scandalizetur, nihilominus ille, cui cura Ecclesiæ committitur, debet custodire & defendere iura Ecclesiæ sibi commissa. Vnde Beatus Thomas Cantuariensis Episcopus, contempto scandalo Regis Angliæ, bona suæ Ecclesiæ defensauit vsq; ad mortem. Sed si etiam posset sine peccato dimittere illius rei repetitionem, non oportet, quod propter scandalum passiuum dimittat repetere. Potest enim alio modo scandalo passiuo obuiare, si est scandalum infirmorum, scilicet pacificis verbis se iustè agere, ostendendo; & magis proximo prodesset, si eum ab iniusta deceptione eriperet, vel consuetudinem similia præsumendi auferret, quàm si ei rem suam dimitteret. Et præterea magis debet aliquis scandalo suo, quam proximi cauere; & ideò si timeret scandalum perpeti, nisi sua repeteret, non deberet à rei suæ repetitione prohiberi. Ita S. Thomas.

Cuius doctrina facile ad pręsens institutum accomodari poterit, si modo scandalum illud gentiliū, quod caperent, si Ecclesia passim gentiles ad fidem conuersos à suorū Principū & dominorū itidem gentiliū obedientia absolueret, cū scandalo Christianorū Principū, si quod forte caperent, ex eo quod Ecclesiastici ab eorū dominio & Iurisdictione exempti defenduntur cōferamus. Constat n. gentiles planè non tam ex malitia, quā ex ignorantia, aut imbecillitate

(vtpo-

(vtpote fidei noſtræ excellentiam non ſatis intelligentes, nec vlla ratione ferre potentes, ſe ob infidelitatis vitium, quod nullum reputant, indignos cenſeri, qui Chriſtianis imperent) grauiſſimum ſcandalum capturos. E contrario autem cum Principibus Chriſtianis, vtpote fidelibus, poteſtas Eccleſiæ, ac Eccleſiaſticorum dignitas, æquitaſque ſumma Eccleſiaſticæ libertatis & immunitatis, ſatis vtique debeat eſſe perſpecta, tot & tantis documentis, tam publicis, quam priuatis, ab Eccleſiæ Prælatis & Doctoribus toties demonſtrata, communiq; praxi totius Eccleſiæ recepta; ſi præter hæc nihilominus ipſi, ex eiuſmodi imunitate ſcandalum capiant, certè id ſcandalum infirmorum, ſeu ex ignorantia, ſeu ex fragilitate ortum, cenſeri non poterit; Sed velut ſcandalum Phariſæorum, ex malitia profectum, meritò ab Eccleſiæ Prælatis negligi poterit, nullaque eius habita ratione, ſtatui id, quod è communi Eccleſiæ bono, & dignitate eſt. Atq; ex his etiam pariter ſatisfactum eſt eorundem accuſationibus, qui Religioſos illos, velut ſcandali reos arguunt, qui exilium ferre, Venetaq; ditione excedere maluerunt, quam iuſtiſſimum ſummi Pontificis præceptum ac ſententiam violare; quibus malui S. Thomæ verbis, quam meis reſpondere.

Et quanquam huic obiectioni, ex ſcandalo petitæ, abunde his verbis ſatisfactum ſit, quibus planè oſtenditur, ſcandalum hoc, quod à Venetæ partis hominibus, ex hoc ſummi Pontificis contra eoſdem proceſſu percipitur, tanquam ſcandalum Phariſæorum meritò negligi poſſe & contemni, etiamſi de bonorum quorundam temporalium, ſeu particularium poſſeſſionum Iure, contra Venetos ageretur: illud tamen velim, omnes in hoc negotio magnopere aduertant, non hic agi cõtra Venetos, de agris, decimis, domibus, aut particularibus poſſeſſionibus, in quibus

quibus, vt ſcandali cauſa, iuri Eccleſiaſtico cedatur, communiter opus non eſt, ita cedere nonnunquam virtutis eſſe poteſt; quomodo etiam S. Thomas citata q.43.art. 8. ad 5. docet, *ex ſimili cauſa, Eccleſiam abſtinere, à decimis exigendis, in terris, in quibus non eſt conſuetum decimas ſoluere*: de qua re ibidem Caietanus optimè diſſeruit; ſed agi de ſpirituali Eccleſiæ Iure, quod ſalua conſcientia, negligi ab Eccleſiæ Rectoribus, nulla ratione poteſt, ob tres cauſas.

Prima. Quia vt iam ſæpius oſtenſum eſt, præſertim lib. 1. cap. 18. & 19. ipſa eius Iuris conſeruatio, per ſe, tantum ad ſpiritualem animarum ſalutem procurandam, momenti habet, vt abſq; inſigni & enormi detrimento ſalutis animarum prætermitti non poſſit. Periret enim omnis erga Clericos & ſacerdotes reuerentia, periret vis & efficacia omnis Eccleſiaſtici miniſterij, vt taceam, quòd illi tandem nec victum haberent, ſuis officijs peragendis neceſſarium, ſi abſq; diſcrimine res & perſonæ Eccleſiaſticæ Laicorum poteſtati ſubiacerent. Cum ergo hoc detrimentum animarum, quod ex neglectu Eccleſiaſticæ libertatis neceſſario oritur, longè maius ſit, quam illud ſcandalum, quod ex proſecutione Eccleſiaſtici Iuris percipi, fruſtra obijciunt illi ipſi, qui libentes & volentes, ſuo malo, ſcandalizantur; non immerito ſapiens quiſq; cenſeat, ob hoc vitandum, Iuri huic cedendum non eſſe.

Secunda ratio eſt, quia ex alio quoque capite, ſi ob prætenſum iſtorum hominum, voluntariumque ſcandalum, tacitus connixiſſet Pontifex Maximus, quis non videt, ob inſitam homini ad malum inclinationem, ipſiuſq; exempli efficacitatem, paſſim apud Principes multò maiora fuiſſe ſcandala concitanda; non ſemper omnibus, quid fas & æquum poſtulet, ſed quid ſummi Paſtoris in-

dulgentia ferat, quid exemplum suadeat, attendentibus*. Et quid hinc aliud, nisi totius Ecclesiastici Iuris & libertatis extinctio, velut præsentissima ipsius Ecclesiasticæ disciplinæ, Catholicæque religionis pestis, tandem exspectanda fuisset?

Tertia ratio est. Quia Veneti Theologi ita suam causam contra Ius Ecclesiasticæ libertatis defendunt, quantum colligere licet ex scriptis eorum editis, vt non tantum schismaticè, sed etiam hæreticè, & autoritatem Ecclesiæ, & potestatem summi Pontificis spernant & deprimant; vt partim hactenus ostensum, partim etiam inferius magis patescet. Quomodo ergo hac in re cedere possit, aut conniuere summus Pontifex? Quomodo vt paucorum scandalum amoliatur, aliud longè grauissimum per Ecclesiam liberè grassari sinat?

Suam verò hac de re sententiam, ipsemet Romanus Pontifex, sapientissimus rerum suarum arbiter, satis declarauit in bulla contra Venetos; cuius partem infra cap. 16. recitabimus. Sensum verò & mentem libro præcedente cap. 1. ex scripto Romanorum Doctorum retulimus. Nulla ergo summo Pontifici scandali culpa impingenda, qui quod officij ratio postulabat, fecit. Illi viderint, qui huius tragœdiæ choragi, Christianum populum suis verborum & scriptorum pestilentium flabellis, à debita summo Ecclesiæ capiti obedientia auocant, aut in malè tentata inobedientia confirmant. In hos profectò egregiè competit illud Christi Domini Matth. 18. *Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.*

CAPVT

CAPVT VIII.

ERROREM IN FIDE ESSE DICERE, SVMMVM PONTIFICEM IN ECCLESIA VNIVERSA POTESTATEM IN TEMporalibus nullam habere.

QVI causam Venetam defendunt, adeoq; libertatem Ecclesiæ impugnandam susceperunt, necessariò etiam in Ecclesiasticam potestatem manus violentas inferre debent. Quod abundè præstant illi, contra quos disputamus, cum non vno modo, sed pluribus Ecclesiasticam Romani Pontificis potestatem turpissimè detruncent; vix maiorem in Ecclesia Romano Pontifici potestatem concedentes, quam eam, qua quilibet in sua Parochia gaudet Parochus, vt tum hoc, tùm sequentibus capitibus fiet manifestius. Idque ipsi duplici de causa faciunt; prima est, vt ita obliquè Ius Ecclesiasticæ libertatis, quatenus summorum Pontificum decretis nititur, facilius eneruent. Altera, vt eodem artificio causam Venetam, quã libenter vellent temporalem videri, â summi Pontificis tribunali abstrahant. Quocirca tam Ioannes Marsilius, quàm Paulus Venetus apertè significant, Romanum Pontificem, nullam in temporalibus potestatem habere, extra suam ditionem, quæ Ecclesiæ Romanæ speciali Iure & titulo addicta est, vt superius libr. 1. cap. 2. exposuimus.

Alij quoq; nonnulli, qui pro Veneta causa scripserunt, eo vel maximè nomine causam Romani Pontificis, ipsiusque Ecclesiæ contra Venetos, odiosam vbiq; reddere conati sunt, quod dicerent, Pontifici aliud propositum non esse, quàm vt hoc artificio tandem omnia Regna, dominia, Iura, omnium Regum, Principum, dominorum

totius Christiani orbi, ad se attrahat, seq; directum & temporalem quendam orbis dominum constituat; quod alij quidem pro Pontifice hactenus occultè, alij apertè etiam suis scriptis machinati sint.

Hos verò apertam calumniam irrogare Apostolicæ sedi, nullum dubium est. Quid enim hæc, quæ contra Venetos agitatur causa, cum temporali dominio commune habet? Annon Sacerdotes, Clerici, Monachi, Ecclesiæ, monasteria, hospitalia, cæteraq; Ecclesiæ bona, de quibus omnis est controuersia, Iuris sunt Ecclesiastici? Aut si quod de his ipsis dubium vertitur, an Iuris, seu fori sint Ecclesiastici, an sæcularis, nonne hoc ipsum iudicium, vtpote ex Canonibus, ex Scriptura, ex Ecclesiæ praxi potissimum ferendum, ad Romanum Pontificem, tanquam Ecclesiasticum Iudicem, Iure pertinet? Quid ergo verentur præiudicium in temporali Iure seu dominio, vbi de nulla re, quæ sit temporalis dominij vel Iuris, vt hactenus abundè ostensum, quæstio est? Sed vti Herodes Christo audito *turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo*, quasi iam de suo regno & rege periclitantes; ita isti cum primum audiunt Papæ nomen, aut mandatum pro officio ad Principes Christianos perscriptum, toti expallescunt & excandescunt, iamq; Pseudopolitici suæ politiæ ruinam, aut præiudicium timent. Quibus apertè cum Ecclesia occinendum illud: *Hostis Herodes impie, Christum venire quid times? Non eripit mortalia qui regna dat cælestia.* Stat illud Christi inconcussum: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Stat illud Vicarij Christi superius cap. 8. recitatum: *Ecclesia nullum Imperio præiudicium infert, cum magis pro stabilitate ipsius, æternam diuinitatem exoret, &c. Et cum ad verum ventum est eundem Regem ac Pontificem, vltra sibi nec Imperator iura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium vsurpauit, &c.*

Vt verò isti turpiter calumiantur, ita priores illi Venetæ causæ Patroni grauissimè in fidem impingunt, dum Pōtifici eam potestatem detrahunt, qua cùm ad spirituale bonum Ecclesiæ tuendum opus est, possit in vniuersa Ecclesia etiam circa temporalia statuere ea, sine quibus Ecclesia ipsa salua & incolumis esse non possit. Est enim hæc exploratissima veritas à nemine Catholico negata, esse hāc penes Romanum Pontificem potestatem, à nulla humana autoritate, sed ipso Iure diuino, & ab ipso Christo immediatè emanantem. Vnde iam ante annos prope trecentos scripsit B. Augustin. Triumphus Anconitanus in proœmio seu dedicatoria epistola, quam suo operi de potestate Ecclesiæ præfixit; *Errorem esse pertinaci mente non credere, Romanum Pontificem vniuersalis Ecclesiæ Pastorem, Petri successorem, & Christi legitimum Vicarium, supra spiritualia & temporalia vniuersalem non habere primatum.* Quam sententiam vti eruditissimè ꝓbat & exponit Cardinalis Bellarminus lib. 5. de Pontifice cap. 5. 6. & 8. ita minimè laborandum nobis est, vt prolixè confirmemus, cum presertim eius veritas satis ex dictis colligi possit. Quocirca tantum ferè locos præcipuos veritatis huius asserendæ generatim perstringemus.

Primò enim confirmatur hæc veritas tùm ex omnium gentium more, de quo libro 1. c. 16. dictum; tum ab exemplo veteris testamenti, de quo ibidem c. 15. Quibus hæc addo. Rex Iuda Ozias in Sacerdotum officium inuolans, lepra percussus & à Sacerdote è templo eiectus, regnum filio renunciare coactus est, 2. paralip. 26.

Ioiada summus Pontifex Athaliam impia Tyrannide sibi regnum vendicantem militum manu interfici, Regéq; Ioas substitui curauit 2. Paralip. 23.

Deniq; vno verbo Sacerdos summus veteris testamēti, tam de causis per se spiritualibus, quam de ciuilibus &

temporalibus summam habebat iudicandi authoritatem, vt cit. capit. 15. ostensum, ex Deuter. 17. & lib. 2. paralip. cap. 19. Et hanc non habeat Romanus Ecclesiæ Christianæ Pontifex, tantò melius præ illo sacerdotium sortitus, quantò melior est sanguine hircorum & taurorum sanguis immaculatus Christi, quem in altari summus ipse sacerdos pro Ecclesia Deo Patri offert?

Secundò probatur aperte ex scriptura noui testamenti. Matth. 19. Christus Dominus omnem causam & litem, in qua de peccato agatur, etiam eo quod in priuatum cómodum nostrum commissum sit, vult ad Ecclesiam deferri, si alia via non corrigatur; simulq; mandat, vt Ecclesia cótumacem, velut Ethnicum & publicanum, per excommunicationis sententiam, à fidelium consortio separet. Et vbi hîc excipiuntur Principes & Imperatores?

S. Paulus 1. Corin. 6. vt etiam superius lib. 1. cap. 14. dictum, apertè mandauit, vt Christiani non nisi apud Iudices ab Ecclesia constitutos causas quaslibet actitarent. Et simul hoc epichiremate breui rem totam concludit: *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus? quantò magis secularia?* Idem ca. 5. ibidem, Corinthium quendam ob incestum Sathanæ corporaliter affligendum tradidit. Et hoc legitimum iudicium non sit, cui ipsæmet potestates infernales Dei nutu, vel inuitæ coguntur seruire?

Tandem Ioannis 21. Christus Dominus supremi Pastoris officium commisit S. Petro, eiusq; successoribus Romanis Pontificibus vniuersis: est autem pastoris officium, oues quascunq; ægritudine morbidas curare; sanis verò prospicere, ne morbum contrahant. Quod si ergo in Ecclesia dira contagione Principis inficiantur subditi, an non ad supremum Pastorem pertinebit, aut subditos à tali Principe, aut Principem à subditis auellere?

Tertiò

Tertiò idipsum Ecclesiæ praxis euidenter demonstrat. Ostensum est superius, Ecclesiasticos Iudices etiam de causis temporalibus fidelium inde ab initio Ecclesiæ iudicare solitos fuisse. Quod ordinario vsu desiit, non quia potestas ipsa iudicandi desierit (si quando id spirituale bonum Ecclesiæ exigeret) sed quia voluntas, & iusta causa. Item pecularia quædam huius rei exempla commemorauimus. Ambrosius licet Episcopus tantum, in causa criminali cædis patratæ, ipsum Imperatorem Theodosium, non tantum iudicauit, sed & publico afflixit anathemate, tamdiu perferendo, quoad publica etiam pœnitentia Ecclesiæ quam læserat Imperator, satisfaceret. Cuius rei eximium laudatorem producemus Augustinum cap. 13. & fusius id commemorat Theodoretus libro quinto, capite decimo septimo, suæ historiæ.

Et quoties idem Episcopus coegit Impeatores, sua etiam in causis temporalibus rescripta male scripta retractare? Exempla quædam eius rei lib. præcedenti adduximus; iam ipsiusmet Ambrosij testificationem audiamus. Sic enim scribit lib. 2. offic. cap. 29. *Meministis*, inquit, *quoties aduersus regales impetus pro viduarum, imò omnium depositis certamen subierimus.* Quod si hoc potest Episcopus, non possit summus Pontifex?

Quibus & hęc addamus, à Cardinali Bellar. itidē recitata, veterũ Pontificũ exēpla. Greg. Papa II. Leoni Iconomacho à se excomunicato vectigalia ab Italis solui ꝓhibuit. Zacharias Pontifex ob publicam regni necessitatem, à Primoribus Francorum rogatus, Childerico deposito, Pipinum Caroli Magni patrem creari iussit. Leo III. Pontifex, ob commune bonum Ecclesiæ occidentis Imperium à Græcis ad Germanos transtulit, vt historici consentiunt. Et exstat de eadē re capitulũ *Venerabilē* de elect. & Clemētina

vnica,

vnica, de Iureiurando. Gregorius Papa V. teste Platina in eius vita, & alijs, de Imperatore per septem Germaniæ Principes eligendo sanctionem edidit, quæ etiam hodie adhuc seruatur. Quid quod Gregorius VII. Henricum IV. Innocentius III. Othonem IV. alijq; Pontifices alios subinde Imperatores, Reges, Principes publicæ salutis causa deposuerunt? Quæ omitto.

Quartò extant hac de re, præter ea, quæ diximus, alia Pontificum decreta & rescripta. Gregorius Magnus in priuilegio, concesso Monasterio S. Medardi, vt in fine epistolarum eius habetur, ita denunciat: *Si quis Regum, Antistitum, Iudicum, vel quarumcunq; sæcularium personarum, huius Apostolicæ autoritatis, & nostræ præceptionis decreta violauerit, cuiuscunq; dignitatis vel sublimitatis sit, honore suo priuetur.* Bonifacius VIII. cap. *Cum secundum* de hæreticis, bona hæreticorum confiscata decernit. Præscriptio cum mala fide iure ciuili permissa, Canonum decretis sublata penitus & eneruata est, vt ex communi tradit Couarruuias relect, in reg. Possessor part. 2. §. 11. n. 3.

Alexander Pontifex III. cap. *Relatum* 1. de Testamentis statuit, vt testamenta, seu legata ad pias causas valeant etiã absq; solennitate Iuris ciuilis, modo adsint duo testes, iure gentium requisiti. Quod non tantum in ditione Ecclesiæ Rom. nec solum in foro Ecclesiastico, sed etiam in foro ciuili vbiuis seruandum, docent Couarruuias cap. 11. de Testamentis n. 9. Iulius Clarus §. Testamentum quæst. 6. n. 1. Gregor. de Valentia tom. 3. disp. 5. q. 14. punct. 2. Ioann. Azor lib. 5. cap. 21. Ludouicus Molina tom. 1. disp. 134. Leonardus Lessius lib. 2. cap. 19. dub. 2. alijq; tam Theologi, quam Iurisconsulti communiter omnes, idq; Molina teste, seruat praxis vtriusq; fori, vt proinde contraria opinio, quã à nullo scriptore Catholico hactenus traditam cognoui,

non

non modo falsa, sed & periculosa, atque vt in re graui, cum præiudicio Ecclesiæ coniuncta, temeraria meritò videri possit.

Ei verò confirmandæ, duos insuper Iurisconsultos ex clarissimis proferre visum est. Iason in l. 1. n. 21. Cod. de sacrosanctis Ecclesijs sic ait: *De Iure Canonico clarum est, quòd cessant solennitates Iuris ciuilis in testamento condito ad quamcunq; causam piam. cap. cum esset, & cap. Relatum de testamentis. Quæ Iura procedunt non solum in foro Canonico, sed etiam in foro ciuili, & in terris non subiectis Ecclesiæ, secundum glossam, & magis communem opinionem.* Ita Iason, nec vnius quidem Doctoris mentionem faciens, qui contrarium senserit.

Alter esto Andreas Tiraquellus, in tractatu de priuilegijs causæ piæ, priuilegio 1. Vbi cum sex sententias de efficacitate testamēti, seu legati minus solennis in genere, retulisset, deniq; concludit: *Non tamen mihi est animus,* inquit, *omnium omnia adducere. Satis est, quantum ad hunc locum pertinet, quòd omnes in hoc conueniunt, quòd in relictis ad pias causas, vbiq; sufficiant duo testes, iuxta cap. citatum de Testamentis.* Ecce quanto consensu autores omnes hanc sententiam complectantur. Sed pergamus.

In Concilio Tridentino Sess. 25. cap. 19. *de Reformat.* duello pugnantes, eorumq; Patrini, non solum excommunicationis, sed & omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœna mulctantur. De materia contractus censualis, Nicolaus V. Paulus III. Pius V. multa constituerunt, vniuersæq; Ecclesiæ præceperunt, vt videre est in bullario Pontificum. Et de alijs rebus alij. Nec iam disputo, an hæc omnia sint recepta, suamque vim etiamnum obtineant; sed hæc attuli, vt manifestum sit, hoc semper fuisse iudicium summorum Pontificum, imò & ipsius Ecclesiæ vniuersæ, eos etiam in rebus temporalibus, si opus

esset, statuere posse ea, quæ ad Ecclesiæ bonum spirituale pertinent.

Quinto huc peculiariter pertinet Constitutio Extrauagans Bonifacij VIII. de maioritate & obedientia, quæ incipit, *Vnam sanctam*. Vbi ait: *In hac* (Ecclesia) *eiusq; potestate, duos esse gladios, spiritualem videlicet & temporalem, Euangelicis dictis instruimur. Nam dicentibus Apostolis: Ecce gladij duo hîc, in Ecclesia scilicet, cum Apostoli loquerentur, non respondit Dominus, nimis esse, sed satis. Certè qui in potestate Petri, temporalem gladium esse negat, malè attendit verbum Domini proferentis: Conuerte gladium tuum in vaginam. Vterq; ergo est in potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet gladius, & materialis. Sed is quidem pro Ecclesia, ille verò ab Ecclesia exercendus. Ille Sacerdotis, is manu regum & militum, sed ad nutum & patientiam sacerdotis. Oportet autem gladium esse sub gladio, & temporalem authoritatem spirituali subijci potestati. Nam cum dicat Apostolus: Non est potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt; non autē ordinata essent, nisi gladius esset sub gladio, & tanquā inferior reduceretur per aliū in suprema. Nam secundum beatum Dionysium lex diuinitatis est, infima, per media in suprema reduci. Nō ergo secundū ordinem vniuersi omnia æquè ac immediatè, sed infima per media, & inferiora p superiora ad ordinem reducuntur. Spiritualem autem & dignitate, & nobilitate terrenā quamlibet præcellere potestatē, oportet tanto clarius nos fateri, quanto spiritualia temporalia antecellunt. Quod etiam ex decimarum datione, & benedictione, & sanctificatione, ex ipsius potestatis acceptione, ex ipsarū rerū gubernatione claris oculis intuemur. Nam veritate testante, spiritualis potestas terrenā potestatem instituere habet, & iudicare, si bona non fuerit: sic de Ecclesia & Ecclesiastica potestate, verificatur vaticinium Hieremiæ: Ecce cōstitui te hodie super gentes, & regna, & cætera quæ sequuntur. Ergo si deuiat terrena potestas, iudicabitur à potestate spirituali; sed si deuiat spiritualis minor, à suo superiori: Si verò suprema, à solo Deo: nō ab*

ab homine poterit iudicari, testante Apostolo. Spiritualis homo iudicat omnia, ipse autem à nemine iudicatur. Est autem hæc authoritas (etsi data sit homini, & exerceatur per hominem) non humana, sed potius diuina, ore diuino Petro data, sibiq; suisq; successoribus in ipso, quem confessus fuit, petra firmata: dicente Domino ipsi Petro: Quodcunq; ligaueris &c. Quicunq; igitur huic potestati à Deo sic ordinatæ resistit, Dei ordinationi resistit, nisi duo (sicut Manichæus) fingat esse principia, quod falsum & hæreticum iudicamus, quia testante Moyse, non in principijs, sed in principio cælum Deus creauit & terram. Porro subesse Romano Pontifici, omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, diffinimus, & pronunciamus, omnino esse de necessitate salutis. Datum Lateran. Pontificatus nostri, anno octauo.

Ex hac profectò Pontificis constitutione, si aliud nihil haberemus, satis apertè colligitur non posse absq; errore in fide, imò nec sine hæresi Pontifici potestatem in temporalibus, etiam per vniuersam Ecclesiam, modo explicato denegari. Nec est quòd Hæreticos moremur, qui hanc Bonifacij Constitutionem, vt erroneam, arrogantem, tyrannicam insectantur; hi enim ita loquuntur, quòd non melius à suo Patre diabolo loqui didicerunt. Qui ipsi nihilominus, vt rectè monuit Cardin. Bellarminus, animaduertere debebant, eadem esse verba S. Bernardi, in libris de considerat. ad Eugenium Papam, vbi tamen sine adulatione loquitur, ipso Caluino teste, lib. 4. Instit. cap. 11. §. 10. vbi ait, ita loqui in libris illis Bernardum, *vt veritas ipsa loqui videatur.*

Et ne quis putet, dicis gratia tantum, & quasi pro forma hęc eadem S. Bernardo attribui, ecce tibi verba S. Bernardi lib. 3. de considerat. *Quid tu denuò vsurpare gladium tentes, quem semel ponere iussus es in vaginam? Quem tamen qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis sic: Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo, & ipse, tuo forsitan nutu, etsi non tua manu euaginandus. Alioquin si nullo*

modo ad te pertineret & is, dicentibus Apostolis, Ecce gladij duo hic; non respondisset Dominus; satis est, sed nimis est. Vterq; ergo Ecclesiæ, & spiritualis scilicet gladius, & materialis, sed is quidem pro Ecclesia, ille verò & ab Ecclesia exerendus est. Ille Sacerdotis, is militis manu, sed sanè ad nutum Sacerdotis, & iussum imperatoris. Et de hoc alias, &c.

Non minus ad propositum facit id, quod ad Anastasium Imperatorem rescribit Gelasius Papa, supra libro 1. cap. 9. à nobis commemoratum; cuius initium refertur, etiam dist. 96. can. 10. cui hæc ibidem adduntur: *Talibus igitur institutis, talibusq; fulti authoritatibus plerique Pontificum, alij Reges, alij Imperatores excommunicauerunt. Nam si speciale aliquod de personis Principum requiratur exemplum, beatus Innocentius Papa Arcadium Imperatorem (quia consensit vt S. Ioannes Chrysostomus à sua sede pelleretur) excommunicauit. Beatus etiam Ambrosius licet Sanctus, non tamen vniuersalis Ecclesiæ Episcopus, pro culpa, quæ alijs Sacerdotibus non adeo grauis videbatur, Theodosium magnum Imperatorem excommunicans ab Ecclesia exclusit: qui etiam in suis scriptis ostendit, quod aurum non tam pretiosius sit plumbo, quam Regia potestate sit altior dignitas Sacerdotalis, hoc modo circa principium sui pastoralis scribens: Honor, fratres, & sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares & Principum diademati, longe erit inferius, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares: quippe cum videas, Regum colla, & Principum, submitti genibus Sacerdotum, & osculata eorum dextera, orationibus eorum credant se communiri.* Habentur hæc apud Ambrosium libro de dignitate Sacerdotali cap. 2.

In eundem sensum loquitur S. Ignatius epist. 9. & 10. vbi omnes huius mundi Principes Episcopis subijcit, vt vidimus hoc lib. 2. cap. 6. Et addit Epist. 10. *Si iure censebitur pœna dignus, qui aduersus Regem insurgit, vt qui violet bonas legum*

gum constitutiones: quantò putatis grauiori subiacebit supplicio, qui sine Episcopo quid volet agere (eorum nempe, *quæ ad Ecclesiam spectant*, vt in eadem epistola dicitur; aut etiam in cæteris, iustis eius mandatis inobediens) *concordiam rumpens, & decentem ordinem confundens? Sacerdotium enim est omnium bonorum, quæ sunt in hominibus, apex.*

Quocirca etiam Chrysostomus tùm homil. 4. et 5. in Isaiam, Sacerdotium regno longè præfert; tùm etiam in Matth. homil. 33. ipsos quoq; diaconos, iuxta suum gradũ, in Principes huius mundi voluit potestatem exercere: *Si dux igitur quispiam*, inquit, *si consul ipse, si qui diademate ornatur, indignè* (ad Eucharístiam) *adeat; cohibe ac coërce: maiorem tu illo habes potestatem.*

Atq; huc etiam pertinet celebre illud Martini factum, à Sulpitio narratum in hæc verba: *Nam à Maximo Imperatore mensa exceptus* (Martinus) *ad medium ferè conuiuij, vt moris est, pateram Regi minister obtulit: ille sancto admodum Episcopo potius dari iubet, expectans atq; ambiens, vt ab illius dextera poculum sumeret. Sed Martinus vbi bibit, pateram Presbytero suo tradidit, nullum scilicet existimans digniorem, qui post se biberet: nec integrum sibi fore, si aut Regem ipsum, aut eos, qui à Rege erant proximi, Presbytero prætulisset.* Ita Seuerus.

Sextò probatur eadem doctrina apertissima ratione, quã superius indicauit Bonifacius Papa. Quando enim duæ artes, aut duo habitus qualescunq;, siue etiam potestates, ita sunt constitutæ, vt vnius finis ex sua natura subordinetur & subijciatur fini alterius, tunc ea quæ superior est, ex officio debet alteram ita dirigere, vt ad finem proprium inferiorẽ ita collimet, ne à fine altiore & meliore, ad quem necessario referri debet, aberret: sed ita se habet potestas spiritualis & temporalis, quod hæc nempe versatur circa finẽ (quietis & boni temporalis ipsius Reipub.) qui necessario

ipso diuino Iure & lege, subijci & subordinari debet fini ipsius Ecclesiasticæ & spiritualis potestatis, qui est salus & vita æterna: Ergo debet ista ex suo officio, & per se potestatem ciuilem ita ordinare ad suum finem, vt ne à fine altiori æternæ beatitudinis & felicitatis desciscat. Si quis ergo aut felicitatem temporalem etiam cum detrimento spirituali Reipub. negligat, aut ita felicitati temporali studeat, vt præ illa negligat felicitatem æternam, eiusq; neglectum, quod deterius est, etiam in subditorum animis ingeneret, debet profecto Pontifex ex proprio officio & potestate, quam à Deo immediatè habet, eiusmodi errorem corrigere, & vel Principem emendatum dare, vel si opus videatur, ab officio & administratione penitus remouere.

Exempla huius rei sunt quotidiana. Nam si ars frænofactoria, cuius finis, arti equestri tanquam superiori subordinatur, ita frænos, ephippia, aliaq; equi indumenta cōficiat, vt ad finem equestris artis non sint accomodata, certè artis equestris est, artem frænofactoriam corrigere, & ad finem ipsius artis equestris accommodatè dirigere. Rursum si ars vestiaria, calcearia, quarum finis bono ac fini ipsius Reipub. subordinatur, vestes, aut calceos à decoro ac fine Reipub. alienos conficiant, debet sanè Consul aut Princeps ciuitatis, cui per se incumbit bonum ac procuratio finis ipsius Reipub. tales artes corrigere, atq; ad finem Reipub. præstitutum accommodare.

Optimum autem exemplum est in ipso homine; in quo vt duę insunt partes principales, spiritus videlicet & caro, ita etiam duplicis generis potentiæ ac fines imediati in eodem cernuntur. Habet nempe caro sensum ac appetitū, quibus respōdent actus & obiecta sua propria, finisq; etiam imediatus proprius, qui est sanitas & bona constitutio corporis. Habet item spiritus intellectum & voluntatē, actusq; & ob-

& obiecta sua propria & proportionata, finem quoq; proprium, qui est salus & perfectio spiritualis animæ. Hi fines ita se habent, vt sanitas corporis per se, ac necessario referri debeat ad finem animæ, qui est salus & perfectio animæ. Quod si ergo corpus, siue caro, aut suum finem negligentius persequatur, ita vt ob ieiunia, corporisq; castigationes, & nimios labores, animæ finis impediatur; aut si caro è contrario, nimis auidè, & immoderatius, quam expedit ad salutem animæ, sanitati ac robori corporis inhiet, ita vt ipso eiusmodi robore homo de salute animæ periclitetur, ecce tum anima ex officio debet corpus & carnem in suis operationibus dirigere, & illic quidem calcar addere, vt diligentius in suum finem incumbat: hîc verò fræno coërcere, ne plus nimio fini suo indulgens insolescat, &c.

Estq; hoc exemplum, vt rectè notauit Cardin. Bellarminus loco citato, eo aptius, quam quod ab habitibus per se subordinatis petitur; quod hi absq; se inuicem existere nō possunt; cum tamen caro sine spiritu in bestijs, spiritus sine carne in Angelis reperiantur; sicut & potestas temporalis & spiritualis absque se inuicem existere possunt. Est enim, & fuit olim potestas temporalis absq; spirituali in Rebuspublicis Ethnicorum; rursum vero tempore Apostolorum, & deinceps aliquandiu, fuit in Ecclesia potestas spiritualis, sine temporali & mundana; Iam verò vtraque in Ecclesia cernitur, non minus quam in homine duplex illa quasi Respub. carnis & spiritus.

Atq; hoc exemplum traditur non solum à recentioribus Theologis, sed fuit iam olim vsurpatū à Greg: Nazianzeno in orat. ad populū timore perculsū, vbi sic ait: *Quid verò vos Principes & præfecti? Ad vos enim iam nostra se conuertit oratio, ne alioqui iniquè omnino facere videamur, atque his quidem quæ in rem*

rem futura sint, consulere, vestræ autem dignitati potentiaq; cedere, quasi vel pudore vel metu, nostram secundum Christum libertatem demittentes, aut rationibus quidem illorum accuratius prouidere, vestri autem cura minus tangi, quibus eo etiam maiori sollicitudine prospiciendum est, quod eo res plus in vtramq; partem momenti habeat, vberiorq; inde vtilitas promanet, si negocium prosperè successerit. Contrarium enim tum à nobis absit, tum ab oratione nostra. Quid igitur dicitis? aut quid inter nos conuenit? An me liberè loquentem æquo animo feretis? Nam vos quoq; potestati meæ, meisq; subsellijs lex Christi subijcit. Imperium enim ipsi quoq; gerimus; addo etiam præstantius ac perfectius: nisi verò æquum est, spiritum carni fasces submittere, & cælestia terrenis cedere. Sed non dubito quin hanc dicendi libertatem, in optimam partem accepturus sis, vtpote sacri mei gregis, ouis sacra, magniq; Pastoris alumna, rectèq; iam inde à primis annis, à spiritu ducta, & instituta, sanctaq; & beatæ Trinitatis lumine, æquè ac nos ipsi collustrata, &c.

Deniq; vt concludam, etsi summo Pontifici potestatem *temporalem*, vel vt alij cautius loquuntur, *merè temporalem*, extra proprias Romanæ Ecclesiæ ditiones multi negant; quin & extra causam spiritualis vtilitatis, nec *in temporalibus* quidem, extra terras Ecclesiæ Romanæ, eum se intermiscere tradunt Doctores, & profitentur ipsimet Romani Pontifices: attamen in temporalibus indirectè & per accidens, seu vt Innocentius III. infrà loquitur, *casualiter*, in casu scilicet necessitatis, ob finem spiritualem, nemo Catholicus negat, Pontificem etiam de Ecclesiæ totius rebus temporalibus disponere posse. Nam vti Pontifex Alexander III. cap. *Causam 2.* qui filij sint legitimi, dixit, *ad Regem, non ad Ecclesiam spectare, de talibus possessionibus iudicare*; & Innocentius III. cap. *nouit* de iudicijs ait: *Cum Iurisdictionem propriam non sufficiamus explere, cur alienam vsurpare vellemus;*

mus; & infra: *Non intendimus*, inquit, *iudicare de feudo, cuius ad ipsum spectat iudicium, sed decernere de peccato, cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura:* Et cap. *per venerabilem*, qui filij sint legitimi; *Cum Rex*, inquit, *superiorem in temporalibus neminem recognoscat, &c.* Ita etiam tam ipsi, quàm alij Pontifices verbo & facto potestatem in Ecclesia tota de temporalibus etiam disponendi, in casu, vt dixi necessitatis, & spiritualis vtilitatis, ad se & Romanum pro tempore Pontificē pertinere, apertissime ostenderunt.

Idq; ipsum optimè declarauit Pontifex Innocentius III. illo ipso cap. *per venerabilem*, vbi omnia quasi pro hac sententia confirmanda hactenus adducta sum̄atim complectitur his verbis: *Rationibus igitur his inducti, regi gratiam fecimus, requisiti: causam tam ex veteri quam nouo testamento trahentes, quod non solum in Ecclesiæ patrimonio (super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem) verùm etiam in alijs regionibus, certis causis inspectis, temporalem iurisdictionem casualiter exercemus: non quod alieno Iuri præiudicare velimus, sed quia sicut in Deuteronomio continetur, si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, inter sanguinē & sanguinē, causam & causam, lepram & lepram, & iudicum inter portas videris verba variari, venies ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicē, qui fuerit illo tempore; qui indicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quæcunq; dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, sequerisq; eorum sententiam. Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, decreto iudicis morietur.*

Sanè cum Deuteronomium lex secunda interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur, vt quod ibi decernitur, in nouo testamento debeat obseruari. Locus enim quem elegit Dominus, Apostolica Sedes esse cognoscitur. Cum enim Petrus, vrbem fugiens, exiuisset, volens eum Dominus ad locum quem elegerat, reuocare, interrogatus ab eo, Domine quo vadis? respondit; venio Romam iterum cru-

 cifigi;

cifigi, quod intelligens pro se dictum, ad locum ipsum protinus est reuersus. Sunt autem Sacerdotes Leuitici generis, fratres nostri, qui nobis iure leuitico, in executione sacerdotalis officij coadiutores existunt. Is verò super eos Sacerdos siue iudex existit, cui Dominus inquit, in Petro: Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis. Eius Vicarius, qui est Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech, constitutus à Deo iudex viuorum & mortuornm.

Tria quippe distinguit iudicia. Primum inter sanguinem & sanguinem, per quod criminale intelligitur & ciuile. Vltimum inter lepram & lepram, per quod Ecclesiasticum, & criminale notatur. Medium, inter causam & causam, quod ad vtrumq. refertur, tam Ecclesiasticum, quàm ciuile: in quibus cum aliquid fuerit difficile, vel ambiguum, ad iudicium est Apostolicæ Sedis recurrendum, cuius sententiam, qui superbiens contempserit obseruare, mori præcipiatur, id est, per excommunicationis sententiam velut mortuus à communione fidelium separari. Paulus etiam vt plenitudinem potestatis exponeret, ad Corinthios scribens, ait. Nescitis quoniam angelos iudicabitis, quanto magis sæcularia?

Est autem, vt ex dictis colligitur, potestas hæc non mundana, sed Ecclesiastica; non merè humana, sed *potius diuina*, vt Bonifacium Papam loquentem vidimus, nec tàm temporalis, quàm spiritualis, vtpote titulo spirituali nixa, nec nisi ad finem spiritualem ordinata, etsi materiale obiectum eius sit etiam res temporalis.

Cæterum de summa, in vsu huius potestatis, à Pontificibus adhiberi solita moderatione, sapienter ista Cardinalis Baronius, Anno Christi quinquagesimo septimo n. 33. *Sic videmus*, inquit, *Fabianum Papam in Philippum Impera-*

rato-

ratorem, Ambrosium in Theodosium, Symmachum in Anastasium; & alios innumeros Sacerdotes, in alios Principes, vigore Sacerdotali, fortiter æquè ac laudabiliter insurgentes, factas ab ijs Deo iniurias vindicasse, atque seuerè admodum offensam disciplinam Ecclesiasticam vltos esse: sed id tamen non nisi necessitate quadam adstrictos, omne remedium prius experientes, quàm gladium Apostolicæ authoritatis exercerent; memores nimirum, à Domino dictum esse; Matth. vigesimo, Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic. Et à Petro, prima Petr. quinto, Non dominantes in Clero, &c. sed humilibus cõsentientes, ac cum Apostolo dicentes secunda Corinth. decimo tertio, Non possumus aliquid aduersus veritatem, sed pro veritate. Et illud secunda Corinth. quarto, Nos seruos vestros per Iesum. Quippe qui hæc omnia faciant, vt illorum saluti inseruiant. Sic igitur etsi non abstulit Christus politicum Imperium, vt rem à Deo optimè institutam, subiecit tamen illud spiritualis Ecclesiæ dominio. Nam sicut Iure naturæ, eodemq́; diuino, statutum esse videtur, vt inferiora superioribus subiecta pareant, vt magis perficiantur, & finem suum feliciter cõsequantur, ita etiam regnum politicum parere debere Ecclesiasticæ Præfecturæ, vel ad hoc saltem, vt à Deo promissum cæleste regnum homines consequantur, certum exploratumq́; cuiq;, ni insaniat, esse debet. Hactenus Cardinalis Baronius.

CAPVT IX.

DETEGVNTVR BREVITER ALII TRES IOAN. MARSILII ET PAVLI VENETI ERRORES, CIRCA POTESTATEM Ecclesiasticam summi Pontificis.

PRIMVS idemq́ue grauissimus error est Ioannis Marsilij, quando vt libro præcedenti cap. 2. vidimus, asseruit, posse Ecclesiæ monarchicum regimen, ad Reipub. regimen reuocari. Et intelligit, vt ex circumstantijs patet, fieri hoc posse ipsius Ecclesię authoritate: Qui est adeò intolerabilis error, vt Cardinalis Bellarminus in suo contra Marsilium secundo scripto, verissimè dixerit, hoc esse apertè negare Primatum Petri & Monarchiam Ecclesiasticam, instar hæreticorũ huius temporis. Nam inter alios Luhteri errores à Leone X. damnatos vigesimus quintus his ipsis verbis in bulla Leonis recitatur: *Romanus Pontifex Petri successor, non est Christi Vicarius super omnes totius mundi Ecclesias, ab ipso Christo in B. Petro institutus.* Idipsum verò docet iste Marsilius. Nam si Ecclesię Monarchia potest in Aristocratiam, aut aliam regiminis formam transmutari, euidenter sequitur, Primatum S. Petri ipsiusq; Apostolicæ Sedis, non esse ab ipso Christo institutum; sed vel à Concilijs, vel ab Imperatoribus, &c. Quia regimen à Christo institutum mutari non potest, nec id quod Iuris diuini est, ab hominibus potest abrogari. Ergo planè conuincitur Ioannes Marsilius damnatum Lutheri errorem renouasse. Quem vt luculentissimè à Cardinali Bellarmino refutatum in controuersijs lib. 2. de Pontifice, non est operæ pretium, hîc fusius redarguere. Apertissimè S Anacletus Pontifex epist. 3. *sacrosancta Romana Ecclesia nõ ab Apostolis, sed ab ipso Domino, & Saluatore nostro primatum obtinuit*

obtinuit, ſicut B. Petro ait: Tu es Petrus &c. Item Gelaſius Papa in Concilio LXX. Epiſcoporum. *Sancta,* inquit, *Romana Eccleſia, nullis ſynodicis conſtitutis cæteris Eccleſijs prælata eſt; ſed Euangelica voce Domini, & Saluatoris noſtri primatum obtinuit, &c.*

Secundns error eſt Pauli Veneti, cum vt citato cap. 2. libri præcedentis vidimus, aſſeruit, Romani Pontificis autoritatem non eſſe infallibilem, *niſi in rebus fidei.* Deteſtabilis error, ſi per hoc, vt verba ſonant, decreta morum vniuerſam concernentia Eccleſiam voluit excluſa; tanquam ſi his aut malum quippiam præcipi, aut bonum atq; ad animarum ſalutem neceſſarium prohiberi poſſit. Hinc enim totius Eccleſiaſticæ diſciplinæ ruina facile ſequatur. Nam ſi in rebus fidei tantum eſt infallibilis, non autem in eiuſmodi decretis morum, ſequitur non tantum Ius Eccleſiaſticæ libertatis, quatenus Pontificum etiam autoritate nititur, eſſe poſſe errori obnoxium; ad quod Paulus Venetus reſpexiſſe potiſſimum videtur; ſed etiam præceptum de communione Laicorum ſub vtraq; ſpecie, præcepta item pleraq; ieiuniorum, feſtorum, & cætera decreta Pontificum, quibus nihil propriè circa fidem ſtatuitur, ſed mores conformantur, errori obnoxia eſſe poſſe non tantum per accidens ratione temporis, loci, minus oportuni, ſed etiam ratione materiæ. Quis autem Catholicus hoc vnquam dixit? Eccleſia ſancta eſt, non tantum ob fidei, ſed etiam ob inſtitutorum quibus regitur, ſanctitatem, quam hic nouus Doctor Eccleſiæ adimere conatur. Et nunquid Chriſti promiſſio, Ioan. 16. *Cum venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem,* reſtricta eſt ad res & definitiones fidei? Taceo, quod ſi Pontifex in eiuſmodi morum decretis, modo expoſito, errare poſſet, ſequeretur, in ipſa quoq; fide Eccleſiam vniuerſam à veritate aberraturam. Nam

quod Pontifex præcipit Ecclesiæ vniuersę, id ipsa, tanquam rectè mandatum approbare debet; vt V. G. communioné sub vna specie non aduersari Christi mandato; quod si ergo Pontifex ita in eiusmodi decreto errare potuisset, vt, quanquam alioqui cōmunio sub vna specie cōmuniter vsurpata, voluntati Christi aduersaretur, eam ipse nihilominus præcepisset, certè iam Ecclesia in errorem fidei inducta fuisset.

Tertius error est eiusdé Pauli Veneti asserentis, Autoritatem sumi Pontificis, nec in rebus quidem fidei absolutè infallibilé esse, sed tunc solū, cum *debita media inuocationis Dei, humaniq́; consilij non prætermittit*. Periculosus error, & quo omnis propemodum definitionibus Pōtificijs autoritas adimitur. Cum n. inuocatio Dei, humaniq́; consilij vsus ferè priuatim adhiberi soleant, imò verò syncera & religiosa Dei inuocatio planè interna sit, vt proinde palam toti Ecclesiæ de his constare non possit; iuxta hanc Veneti exemptioné, semper dabitur erroni cuilibet occasio suū contra Romani Pontificis definitionem erroré tuendi; eo prætextu, quod Papa debitū inuocationis Dei, humaniq́; consilij mediū nō adhibuerit. Nec hac in re Venetus iste Catholicos astipulatores habet vllos, p̄ter pauculos forte quospiā ex antiq̃orib⁹ scholasticis, ab omnibus cōmuniter reijci cōsuetos, q̃ olim docuerunt, Pontificé absq́; cōcilio infallibiliter definire nō posse: cæteri tam recentiores, quā antiquiores Theologi in sumo Pontifice autoritaté absoluté infallibilé agnoscūt; seu q̃, nulla cōditione supposita op⁹ sit, vt certò & infallibiliter definiat; etsi Pontificis intersit, debitū studium adhibere, ne peccet; seu quòd eam ipsam conditioné in definiendo abesse nunq̃ cōtingat. Nam qui dicit V. G. cras diem nō futurū, si sol nō oriatur, non propterea dicit, dié non esse posse. Nec qui dicit; Cras dies erit, si sol exorietur, p̄pterea negat absolutè diem futurum; sed significat tantū causam, seu ratio-

tionem ex rei natura necessariam ad hoc, vt dies sit; quẽ futurũ esse, norunt omnes. Ita etiã in proposito autores qui dã cũ dixerunt, Pontificem infallibiliter definire, si debitam diligentiã adhibeat; & è contra, nõ infallibiliter definiturũ, si debitã diligentiam non adhibeat, nõ propterea negarunt autoritatem sum̃i Pontificis in definiendo absolutè esse infallibilem. Sed medium ex natura rei & ordinatione diuina significarunt, ad hanc infallibilitatem requisitum; quo Pontificem in definiendo semper vti, nunquam illi negarunt aut dubitarunt; nec dubium esse voluerunt.

Quocirca etiã in omni materia, quando propositio hypothetica profertur, cuius hypothesin existere, aut futurã esse iã norunt omnes, non demitur absoluta rei veritas; nec propterea id, quod sub tali hypothesi asseritur, dicitur esse verũ hypotheticè tantũ, sed absolutè. Alioqui nihil ferè in rebus creatis absolutè verũ dici posset; & hoc ipsũ, quòd homines sint resurrecturi, & in fine mundi iudicandi; q̃ spiã nõ absolutè verũ, sed ex hypothesi dixerit, si Christus sit venturus ad iudicium, aut si Deus homines à mortuis reuocare voluerit. Cum ergo hæc absolutè vera dicantur, quanquam non futura, nisi certis quibusdã causis positis, eò videlicet, q; has ipsas causas suo tempore esse ponẽdas, nemo dubitat, ita etiã absolutè verũ est, sum̃um Pontificem in definiendo non errare; adeoq; habere autoritatem infallibilẽ, tametsi hoc ipsum non contingat, nisi adhibita diligentia, quam tamen adhibitũ iri, qui ita loquuntur authores, nil dubitant.

Est ergo mera calumnia, quod idem Paulus Venetus asserit, nunc primum *adulatione* factum esse, vt Romano Pontifici autoritas tribueretur *absolutè infallibilis*. Quid n. S. Thomas adulator fuit in aula Romana? An autoritatem summi Pontificis ex hypothesi tantũ incerta & variabili, non absolutè infallibilem & oraculi cuiusdã instar audiendã dixit? Audi q̃d dicat, in 2.2. quæst. 1. art. 10. *Respondeo dicendũ, q; sicut*

supra

supra dictum est, noua editio symboli necessaria est ad vitandũ insurgentes errores. Ad illius ergo autoritatem pertinet editio symboli, ad cuius autoritatem pertinet finaliter determinare ea, quæ sunt fidei, vt ab omnibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad autoritatem summi Pontificis, ad quam maiores & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur, vt dicitur in Decretis dist. 43. Vnde & Dominus Luc. 22. Petro dixit, quem summum Pontificem constituit, Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Et huius ratio est, quia vna fides debet esse totius Ecclesiæ, secundum illud 1. ad Corinth. 1. *Idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Quod seruari non posset, nisi quæstio fidei de fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, vt sic eius sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur. Et ideo ad solam autoritatem summi Pontificis pertinet, noua editio symboli; sicut & omnia alia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam, vt congregare synodum generalem, & alia huiusmodi, &c.*

An & S. Bernardus adulator fuit Romanæ sedis cum in epist. 190. ad Innocentium, *Oportet*, inquit, *ad vestrum referri Apostolatum pericula quæq́, & scandala regni Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt. Dignum namq́ arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum. Cui enim alteri sedi dictum est aliquando; Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua? &c.* Qui plura volet hac de re, legat Cardinalem Bellarminum de Romano Pontif. lib. 4. & Gregorium de Valentia q. 1. de fide, punct. 7. §. 41. Vbi quod ex Deut. 17. ad restringendam summi Pontificis infallibilitatem à Paulo Veneto ex hæreticorum pharetra telum depromptum est, efficaciter repulsum inueniet.

CAPVT

CAPVT X.

ERROREM IN FIDE ESSE, DICERE, ECCLESIÆ OPVLENTIAM PER SE DIVINÆ ORDINATIONI, SEV CONSILIIS, aut Institutis Christi, vel Apostolorum aduersari.

NON hæc quidem apertè ab Aduersarijs causę Venetæ asserta memini. Sed Paulus Venetus tamen pag. 24. eo videtur nonnunquam, velut in tenebris iacula mittens collimare. *Dei gloriam*, inquit, *in sacris literis, Euangelij propagatione, probitateq; Christianorum contineri, legimus; deniq; vt S. Paulus loquitur, in exterioris hominis mortificatione, vita interioris, frequentatione operum charitatis. Quod si Dei gloria in rerum temporalium copia versaretur, esset quod magnopere nobis timeremus, quomodo suis Christus, nonnisi paupertatem, persecutiones, incommoda pollicitus esset. Deniq; molestiæ & incommoda (quod vulgò etiam notum est) visitationes & experimenta sunt amicorum Dei. Neque quisquam, vt est in Euangelio, Christum sequitur, nisi sua cruce in humeros sublata.* Et paulò inferius: *Audacter*, inquit, *possumus Ecclesiæ bona omnia in pauperes distribuere, sine vlla læsi numinis formidine.* Similia eiusdem verba adduximus lib. 1. cap. 2. Nimirum displicet istis hæc qualiscunq; externa Ecclesiæ magnificentia, & tantum non apertè cum Iuda Proditore proclamant: *Vt quid perditio hæc? potuit enim istud venundari multo, & dari pauperibus, &c.* Ego verò vt in Ecclesiasticis fastum, arrogantiam, cupiditatem, auaritiam, imisericordiam detestor, ita cum Ecclesiastico statu diuitias, & condecentem pro rerum conditione opum mediocritatem pugnare non video.

Proinde non abs re erit, pauculis aliquot teſtimonijs S. Scripturæ oſtendere, externum hunc Eccleſiæ ſplendorem (ſi modo abuſus & faſtus abſit) non ſolùm diuinæ Inſtitutioni, voluntatiq; & Conſilijs Chriſti per ſe nulla ratione aduerſari, ſed & quàm maximè conſentaneum eſſe. Et primò quidem præclarum hac de re vaticinium exſtat apud Iſaiam cap. 49. vbi inter alia Eccleſiæ decora, hoc etiam commemoratur: *Et erunt Reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ, vultu in terram demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent. Et ſcies, quia ego Dominus, ſuper quo non confundentur, qui exſpectant eum.* Quæ verba, iuxta omnium interpretum ſententiam, ad Eccleſiam pertinent; cui vides promitti copiam primò, & vbertatem rerum etiam temporalium. Nam egere, aut tenuiter viuere non poteſt, cuius Nutritij ſunt Reges; nutrices Reginæ. Secundò promittitur ei magnus honor, & reuerentia ſumma etiam à Regibus & Principibus huius ſæculi exhibenda. Tertiò ne quis inimicus aut æmulus Eccleſiæ dicat, eiuſmodi decus ab Eccleſia fore comparandum malis artibus, & neſcio quibus fraudibus deluſis huius mundi Rectoribus, quod Pſeudopolitici de Eccleſiæ gloria & diuitijs frequenter & imprudenter iactare ſolent, hæc bona omnia diuino nutu & auxilio ei obuentura ſignificantur.

Non minus illuſtris eſt locus Iſaiæ 60. Vbi poſt narratam gentilium conuerſionem, ita de Eccleſia Chriſtiana dicitur: *Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian & Epha: omnes de Saba venient, Aurum & Thus deferentes, & laudem Domino annunciantes.* Vides hic ab Iſaia prædici, Principes terræ ad Chriſti Eccleſiam eſſe magnis velut itineribus venturos, non ſine muneribus & opibus, quas Eccleſiæ, in laudem & honorem DEI deferant.

Idipſum

Idipsum paulò post idem Propheta his verbis fururum denuntiat: *Me enim Insulæ exspectant, & naues maris in principio, vt adducam filios tuos de longè, argentum eorum cum eis, nomini Domini Dei tui, & sancto Israël, qui glorificauit te. Et ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi: indignatione mea percußi te; & in reconciliatione mea misertus sum tui. Et aperientur portæ tuæ iugiter: die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur.* GENS *enim, & Regnum, quod non seruierit tibi, peribit: & gentes solitudine vastabuntur.* Ecce rursus Dei instinctu, argentum & aurum Christo Domino in Ecclesia offerendum & consecrandum pronunciatur.

Et ibidem paulo inferius: *Ponam te*, inquit Deus per Prophetam, *in superbiam sæculorum, gaudium in generationem, & generationem: Et suges lac gentium, & mammilla Regum lactaberis: & scies quia ego Dominus saluans te, & redemptor tuus fortis Iacob.* Nobile certè alimenti genus, & non in abiectis casis sumendum. Nam si multum est, Regijs opibus nutriri, quanto amplius est, ipsis mammillis Regum lactari? Certè hac re aliud non significatur, quam Reges adeo in Ecclesiam liberales & benignos esse futuros, tanquam si matres quædam forent, ad Ecclesiam suo quasi lacte, & vbere Gaza perquam honorificè nutriendam designatæ.

Et quid clarius dici in hoc genere potuit, quam quod de Sacerdotio noui testamenti, apud eundem Prophetam his verbis legitur cap. 61. *Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini: Ministri Dei nostri, dicetur vobis: Fortitudinem gentium comedetis, & in gloria eorum superbietis*; (seu vt LXX. habent, *eritis admirabiles, &c.*) *In terra sua duplicia poßidebunt.* Ecce quomodo describantur Sacerdotes Noui Testamenti, non velut mercenarij quidam ægre quotidiano suo

labore vitam tolerantes, sed propter ipsam etiam opum abundantiam, ex insigni piorum liberalitate profectam, admirabiles.

Idem non minus luculenter indicauit Dauid Psalm. 71. Vbi ita de Christo in Ecclesia regnante loquitur: *Coram illo procident Aethiopes, & inimici eius terram lingent. Reges Tharsis & Insulæ munera offerent: Reges Arabum & Saba dona adducent.*

Hæc verò adeo magnifica promissa, qua quæso alia ratione in opus collata sunt, aut etiam cōferri potuerunt, nisi ea ipsa, quòd vt Vrbanus Papa in sua epist. testatur, fideles p̄dia & agros, quos vendere antea solebant, postea meliori cōsilio, matricibus Ecclesijs tradere, & tùm in ministrorū, tum in pauperū sustentationē sub Episcoporū administratione cōferre cœperūt. Quod vt initiò Ecclesię tenuibus initijs cœptū est, ita posteà magnificentissimè præstitū à Christianis Imperatoribus, Regib⁹, Principib⁹, Dynastis, p̄cipuè verò à Constantino Magno, & Carolo Magno, quorū vterq; nō solū sanctā Ecclesiam, eiusq; instituta sanctissimè coluit semper, sed etiam imensis passim donationib. locupletauit.

Idem admirabili erga sanctam Romanam Ecclesiam propensione & studio factitatum etiam olim à Christanissimis regibus multarum prouinciarum, variorumque regnorum; qui sibi suoque regno non satis feliciter prospectum & consultum fore putabant, nisi ea tanquam feuda quædam Ecclesiæ Romanæ gubernarent. Quod à compluribus factum, prolixè ostendit Augustinus Steuchus lib. 2. de donatione Cōstantini sub finem. Quocirca etiā S. Augustinus hanc piam Principum in Ecclesiam liberalitatem ad diuina promissa pertinere intelligens, in Psalmo cōtra Donatum, ita Donatistas ob hanc ipsam etiam causam Ecclesię inuidentes alloquitur. *Vos inuidetis, quòd Reges iā sunt in Christiana fide* (dona Ecclesiæ offerentes) *si filij estis, quid inuidetis,*

quia

quia auditæ sunt preces meæ? Quando enim dona miserunt, noluistis acceptare. Et obliti estis Prophetas, qui illud prædixerunt ante (Psal.60.) *Quod gentium Reges magni, missuri essent dona Ecclesiæ. Quæ dona cum respuistis, ostendistis, vos non esse* (filios.) Eant nunc isti pseudopolitici, & hæc velut à diuino Instituto aliena sugillent, qui quantò magis seposito Dei timore & amore pro suo temporali statu ipsi laborant; eò infelicius geruntur omnia.

Sed & quiddam huius generis ex scriptura noui testamenti promemus. Et sanè præcipuus in hoc genere est locus ille Matth. 19. Vbi cum Apostoli vidissent iuuenem alioqui non malum, ea tantum de causa, à Christi societate & familia fuisse auulsum, quod opulentus admodum cum esset, omnia sua vendere, & in pauperes distrahere iussus, obtemperare noluit; cumq; idcirco Christum Dominum in diuites seuerè pronunciantem audissent: diuitem non sine magna difficultate regnum cœlorum intraturum; hilares ipsi, & suamet paupertate læti, ad Christum, prælo-quente Petro, dixerũt: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* Quibus mox Christus plenum diuinę liberalitatis responsum dedit: *Amẽ dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cũ sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos, super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

Audis pseudopolitice *Centuplum?* Audis inquam, à Christo, qui mentiri non potest, centum agros, centum domos, centum fratres, centum patres, & pro cæteris singulis singula, quæ cẽtuplò meliora sunt, esse promissa? Et quid ergo ringeris? quid inuides? quid promissum Dei irritum fa-

cere conaris? Frustra es, quiesce. Verax ille, qui non mentitur, locutus est; qui *dixit, & facta sunt; qui mandauit, & creata sunt.* Ecce iam vndiq; accurrunt innumeri ad religionem homines, nihil de Christi promissione dubij. His singulis destinata à Christo portio exigitur. An non Iure? Imò valeant tua Iura, vt hoc Iuris sit.

Hæc sunt, inquit Bernardus, in serm. Ecce nos reliquimus omnia, *verba, quæ contemptum mundi, in vniuerso mundo, & voluntariam persuasère hominibus paupertatem. Hæc sunt, quæ Monachis claustra replent, deserta Anachoretis. Hæc sunt verba, quæ AEgyptum spoliant, & optima quæq; eius vasa diripiunt, &c.*

Sed dicet forte Marsilius, aut Machiauellus quispiam, *centuplum* hoc non in hac vita exspectandum esse religiosis, sed in altera, in qua perfecta omnium rerum abundantia & felicitate sint reficiendi: Si modo isti & hanc eis felicitatem non inuident. Sed istos velim aduertere primum, Christum *centuplum* à vita æterna disiunxisse; aliud ergò centuplum, aliud vita æterna. Et ne vllum sit hac de re dubium, ecce S. Lucas c. 18. hanc eandem Christi promissionem his ipsis verbis disertè commemorat: *Amen dico vobis, nemo est, qui reliquit domum, aut Parentes, aut fratres, aut vxorē, aut filios, propter regnum Dei, & non recipiat multò plura in hoc tempore, & in sæculo venturo vitam æternam.* Vides hanc promissionem in duo membra apertè dispertitam, alterū quod præsentem vitam, alterum quod futuram respiciat?

Rursum dices At hæc tamen non ad bona temporalia huius vitæ referenda, sed potius ad supnaturalia dona Dei, & spiritualem oblectationem, quæ in ipsa quoq; paupertate, imo ex ipso paupertatis affectu hausta, & quibuslibet diuitijs, bonisq; temporalibus comparata, meritò bonum centuplo melius dicatur; quomodo etiam S. Hieronymus lib. 3. in Matthæum, & S. Gregorius homil. 18. in Ezech.

cum

eum locum interpretantur; cum præsertim absurdum sit cogitare, eum centum vxores recepturum, qui vnam reliquerit. Respondeo. Nec ego hanc mentis oblectationem ab hoc promisso centupli seiungo; & satis scio, centum vxores religiosis non esse promissas, qui se vni Christo fœdere perpetuo desponsarunt. Sed vt illi ipsi matrimonij bono in religione castitas respondet, quæ si gustus infectus non sit, nec iudicium & affectus deprauatus, centuplò melior, suauiorq; sit omni vita coniugali, quam ipse Apostolus sine *carnis tribulatione* futuram non esse denunciauit; ita aio debere, quoad fieri potest, ex Christi promisso, etiam cæteris, quæ in sæculo relicta sunt bonis, suum quoddam, quam fieri potest, simillimum respondere centuplum, vt quantum res patitur, à proprietate verborum Christi, quàm minimū recedatur. Et cum in agro, in domibus, in fratribus, in Patribus centuplum hoc etiam in eodem genere, non tantum secundum rationem rectè & conuenienter reperiri possit, sed etiam teste experientia, ita planè re ipsa, cum ingenti voluptate cōperiatur, ab ijs, q non tantum in religione, sed & religiosè viuunt, certum esse debet, hunc ipsum optimorum patrum ac fratrum conuictum, & hanc ipsam bonorū externorum qualécunq; copiam, ad hoc centupli pmissū pertinere; vt etiā præstantissimi quiq; Patres intellexerūt:

Ita n. Cassian. collat. vlt. cap. vlt. *Centuplam*, inquit, *fratrū, Parentumq; recipiet quantitatem, quisquis Patris vnius, vel matris, seu filij pro Christi nomine, charitate contempta, in omnium, qui Christo seruiunt, dilectionem syncerissimam transit; pro vno scilicet tot inueniens Patres, fratresq; feruentiore, ac præstantiore sibi affectione deuinctos. Multiplicata etiam domorum atq; agrorum possessione ditabitur, quisquis vna domo pro Christi dilectione, reiecta, innumera monasteriorum habitacula tanquam propria possidebit, in quacunq; orbis parte, velut in sua domus Iure succedens.*

Quomodo

Quomodo enim non centuplum, & si Domini nostri sententiæ superadÿci aliquid fas est, plus quam centuplum recipit, qui decem vel viginti seruorum ministeria infida, & coactiua derelinquens, tot ingenuorum ac nobilium spontaneo fulcitur obsequio?

Ex quibus etiam facile colligi potest, qua ratione huius centupli promissum etiam in religiosis mendicantium ordinibus compleatur. Quibus adde, quod his in perpetua possessione, & proprio rerum temporalium peculio deesse videtur, abundè compensari eleemosynis, & quotidiana liberalitate piorum. Quid enim interest, an hoc centuplũ semel ac simul recipias, an successiuè? Quid refert, an centuplum hoc tua cura & prouidentia administretur, an aliena; si æqualia vtrinq; emolumenta percipias? Quocirca etiam rectè Beda centuplum hoc ad ipsas etiam quotidianas piorum eleemosynas refert, de Natali S. Benedicti: *Ad lætißima*, inquit, *Domini Saluatoris nostri promissa conuertamus auditum. Videamus quæ tanta gratia pietatis: non æternæ tantummodo vitæ præmia suis sequacibus, sed & præsentis munera pollicetur eximia: Omnis*, inquit, *qui reliquerit domum, vel fratres, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet. Qui enim terrenis affectibus, siue possessionibus pro Christi discipulatu renunciauerit, quò plus in eius amore profecerit, eò plures inueniet, qui se interno suscipere affectu, & suis gaudeant sustentare substantÿs.*

Quod si qui fortè, quod rarò accidit, in religione, etiam necessariarum rerum penuria laborant nonnunquam, ne isti quidem à centupli participatione excluduntur, si modo verè religiosi sunt. Non enim fallax est diuina promissio; quisquis ergo corde & corpore rebus terrenis renunciauit, certissimè centuplo promisso potietur. Et qua ratione? Ponamus enim aliquem, qui dies & noctes fame, siti, nuditate, frigore, &c. crucietur, quod Apostolis accidit, qui propterea se ipsos, velut omnium peripsema dixerunt; anne

anne talem quis centupli promisso lætari posse dixerit? Maximè verò. Nam & ipsimet Apostoli erant, quasi *nihil habentes, & omnia possidentes.* Nihil videlicet habentes actu, sed omnia possidentes virtute; vtpote quibus ad nutum quodammodo parebant omnia; quo ipso tantum habebant, quantum cupiebant. Et nihil habentes ad vsum consumptionis, omnia possidentes, ad vsum pulcherrimę & iucundissimæ voluptatis, qua ille ipse vsus externus corporis affatim compensabatur. De qua re Cassianus ibidem: *Recipietur sanè etiam de continentia coniugali maior centuplo suauitas ab illa, quæ eis inuicem per commixtionem sexuum præbebatur: pro lætitia quoq; illa, quam in vnius agri ac domus possessione quis habuit, centuplo maiori diuitiarum gaudio perfruetur, qui in adoptionem transiens filiorum Dei, vniuersa, quæ æterni sunt Patris, vt propria possidebit, & affectu, atq; virtute ad imitationem veri illius filij proclamabit. Omnia quæ habet pater, mea sunt, nec iam cũ vlla pœnali distensionis aut solicitudinis cura, sed securus ac lætus, velut in proprijs vbiq; succedit, audiens quotidie ab Apostolo* (1. Corin 3.) *sibi prædicari: Omnia vestra sunt, siue mundus, siue præsentia, siue futura. Et à Salomone, fidelis viri totus mundus diuitiarum est, &c.* Satis ergo hactenus explicatum, quomodo etiam in hac vita temporalium quoddam bonorum centuplum religiosis promissum, in omnibus quidem vere religiosis expleatur, sed non eodem modo in omnibus; quæ varietas nihil obstat, quò minus, vt dixi, etiam secundum proprietatem verborum, omnibus, quoad fieri potest, sit accommodandum.

Ex quibus omnibus planè manifestum euadit, eiusmodi bonorum copiam, quam in Ecclesia vniuersali, & in multis etiam religiosorum ordinibus cernimus, non solum voluntati & intentioni Christi per se nullo modo aduersã, sed & Prophetarum vaticinijs, diuinisq; oraculis, ac ipsius

Dei ac Christi Dñi nostri promissis vel maximè consentaneam esse; quin imò ijsdem apertissimè significatam.

Quibus accedit, quòd contraria sententia in multis iam antea hæreticis sępius damnata est. Primò enim huius erroris inuentores Vadiani siue Anthropomorphitæ hac ipsa etiam de causa se ab Ecclesia separauerunt, quod dicerent, non licere Episcopis diuitias possidere, quos tamen diuites esse videbant, vt testatur Augustinus lib. de hæresibus c. 50. Secundo eundem errorem secuti sunt Waldenses siue Pauperes de Lugduno, velut hæretici ab Ecclesia damnati, qui vt Æneas Syluius lib. de origine Bohemorum cap. 35. testatur, & nos infra aliunde etiam ostendimus, pariter senserũt, Sacerdotes pauperes esse debere, & sola contentos esse eleemosyna. Tertio inter articulos Wicleffi damnatos in generali Concilio Constantiensi, sess. 8. decimus ita se habet: *Contra scripturam sanctam est, quod viri Ecclesiastici habeant possessiones.* Tricesimus secundus asserit: *Ditare clerum est contra regulam Christi.* Tricesimus tertius: *Syluester Papa, & Constantinus Imperator errauerunt Ecclesiam ditando.* Tricesimus quartus: *Papa cum omnibus Clericis suis possessionem habentibus, sunt hæretici, eo quod possessionem habent, & omnes consentientes eis, scilicet Domini sæculares, & cæteri Laici.* Tricesimus nonus: *Imperator & Domini temporales seducti sunt à diabolo, vt Ecclesiã dotarent bonis temporalibus.* Deniq; eundem errorem renouauit Lutherus, eo ipso, quod Principes sæculares induxit, vt bona Ecclesię diriperent, reditus eorũ suis vsib⁹ accõmodarẽt. Quod licet forte iã ægre habeat Prędicantes, q mallent suis suæq; familię vsibus destinari, tamẽ q semel ab eorum Parente Luthero factũ est, per eos infectũ fieri nequit.

Sed aiunt causæ Venetæ Patroni, Christum Dominum paupertatem suis commendasse; cui vtiq; tantæ diuitiæ repugnent. Respondeo miro modo in Ecclesiastico statu ccidere, vt nec sũmæ quidem paupertati, sũmæ repugnẽt

diuitiæ. Quia bona Ecclesiæ præsertim imobilia, non sunt Ecclesiasticorũ propria, sed ad eorum duntaxat vsum & administrationẽ pertinent. Similiter & bona quæ religiosorũ sustentationi sunt destinata, Deo donata sunt, nec quisquã ex religiosis ipsis, suum quicquam, absq; sacrilegij crimine, dicere potest. Atq; idipsum etiã Concilium Triden. satis apertè indicat sess. 25. c. 1. de Reformat. vbi ait, *res Ecclesiasticas Dei esse*. Quod ita accipit, Martinus Nauarr. apol. de redit. Eccles. q. 1. n. 8. & 14. vt velut rem indubitatã tradat, *verũ dominium bonorum eiusmodi esse apud solũ Christum siue Deum, non autẽ apud alios prælatos & beneficiarios, etiã Papam.*

Quod si quis existimet, bonorũ etiam imobilium dominium, ad Ecclesiã, seu religionẽ ipsam in cõmuni, pertinere, vt cũ alijs sentit Caiet in 2. 2 q. 43. a. 8. vbi ait: *nec Papã, nec aliquẽ Prælatũ, esse dominum rerũ Ecclesiæ, sed Ecclesiã ipsam esse dominã*; ne is quidẽ paupertatis à Christo cõmendatę laudẽ Religiosis, aut Ecclesiasticis, eo ipso detrahet. Semper enim fatendũ est, ipsos beneficiarios, & religiosos singulos, nullũ huiusmodi bonorũ dominiũ habere. Hãc verò mirabilem paupertatis cũ opulentia societatẽ rectè etiã mihi insinuasse videtur Procopius Sophista Christianus, in suo Cõment. ad cit. locũ Isaię c. 49. vbi ait: *Eo ipso deinde summũ fore fidelib⁹ honorẽ demonstrat, quod eorum Nutricios Reges, & Reginas nutrices fore significat; Imò & ipsa Gentiũ Imperia, demensis in pauperes Nutriciorũ more distributis, Ecclesiæ subseruitura. Alias autem & ipsa vehemens sollicitudo, Nutritijs gloriã cõciliat; qui genu flexo in Ecclesia frontem allidunt, puluerẽ ipsum, vt ita dicam, propter fidem delingere gestientes. Atq; hæc quidẽ ipsa sunt, quæ Reginæ Ecclesiæ, Christo ad dexteram adstanti psal. 44. tribuuntur, quã etiã de alienigenarũ numero esse significat. Neq; verò dissimilia fuerint, quæ in Regem ipsum psalmo septuagesimo primo leguntur. Sunt igitur, quæ de Hierosolymis dicuntur, de Christi Ecclesia,*

eiusdem gloriam habente, intelligenda. Vides opes in Ecclesiam collatas, esse velut *demensa quædam in pauperes distributa?* Quod eò verius dictum etiam intelliget quiuis, quò clarius est, omnia quæ in Ecclesiasticorum opibus superflua sunt, pauperibus deberi.

Secundò obijciunt, Christum suis tribulationes potius, persecutiones, & crucem, quam rerum temporalium abundantiam promisisse. Respondeo vtrumq; promisisse; nec tribulationes videlicet & persecutiones sine beatitudine quadam etiã in hac vita inchoata; iuxta illud: *Beati qui lugent; beati qui persecutionem patiuntur*; nec diuitias & felicitatem sine persecutionibus. Quod ex ea ipsa centupli promissione, prout à S. Marco describitur, apertè cognoscitur; sic enim ibi Christus dixisse fertur: *Amen dico vobis, nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me & propter Euangelium; qui non accipiet centies tantum nunc in tempore hoc; domos & fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros, cum persecutionibus: & in sæculo futuro vitam æternam.*

Vides hîc primum, quam apertis, & significantibus verbis, ipsæ etiam domus, fratres, sorores, matres, filij & agri ad centuplum multiplicati promittantur; & quam cautè simul, ne quis nihilominus hæc forsan ad solam metaphoram retorqueat, vxorum mentio prætermittatur. Deinde & illud apertè conspicis; hæc quidem etiam terrena Dei & Ecclesię ministris promissa, sed non absq; *persecutione*, quam abundè satis expertę sunt, atq; etiamnum experiuntur omnes religiones. Et ne persecutores deessent, in Repub. Veneta, vel ex ipsis Religionibus persecutores, *filij nape matris suæ,* existere fortè debuerũt. Quibus bene precandum nobis esse intelligimus, non maledicendum.

CAPVT

CAPVT XI.

NON TANTVM FALSVM, SED ET IMPIVM ESSE, DICERE, OB TEMPORALEM STATVS FELICITATEM, IVRE Ecclesiasticam libertatem è Repub. exterminari.

MVLTA in hunc sensum argumenta congerunt Paulus Venetus, aliijq; nonnulli scriptores Veneti; vt ostendant, nisi Princeps de rebus etiam & personis Ecclesiasticis, tam in iudicio, quam extra iudicium Ius habeat statuendi ea, quæ ad bonum temporale Reipub. pertinere videntur, saluam & incolumem Rempub. conseruari non posse. Ex quo vlterius inferunt, posse ac debere proinde Principem, nihil obstante Ecclesiasticæ libertatis Iure, etiam propria autoritate de ijs statuere.

Sed in omni hoc discursu isti duo quædam grauissimè peccant. Primum quod ob temporalem statusfelicitatem, Iure libertatem Ecclesiasticam è Repub. exterminari posse existimāt. Alterum, quod obseruationem Ecclesiasticæ libertatis putant temporali statui Reipub. esse pernitiosam; cum potius dicere debuissent, ipsam eius violationē Regnis ac Rebuspublicis esse exitiosam. De primo peccato hoc capite agendum, de altero sequentibus.

Etenim ante omnia aduertere animum debuissent isti, ad illud S. Pauli Rom. 3. *Non sunt facienda mala, vt eueniant bona.* Si ergo vel maximè temporali felicitati Reipub. aliquid derogaretur, Ecclesiasticæ libertatis & Immunitatis Iure, quod falsissimum esse inferius patebit: quis tamen Christianis & Apostolicis præceptis vel leuiter imbutus non videret, nulla penitus ratione inferri, contemerandum proinde esse Ius Ecclesiasticæ libertatis, aut è Repub.

exterminandum, quod multò constat esse sanctius, diuinius, salubrius?

Dicant mihi, velim, isti pseudopolitici, isti amatores terrenæ patriæ, contemptores cœlestis, (eos alloquor, qui expositum errorem suis scriptis propugnant) si fracto Confessionis sigillo, adeoq; reuelata confessione sacramentali possent non dico Venetiarum, sed & totius Christiani orbis statum alioqui ruiturum seruare, anne dicerent idcirco, Ius inuiolabile confessionis rumpendum esse?

Vlterius dicant obsecro, si vno etiam leui duntaxat, & veniali mendacio possent Rempub. Venetam præsentissimo periculo expositam tueri; anne mentiendum dicerẽt? Ita quidem nonnullos pseudopoliticos, malos Christianos asserentes audiui. Sed Augustinus in suo libro contra mendacium sane vult virum bonum ab omni mendacio esse alienum. Et iuxta Prophetam; *Deus odio habet omnes qui operantur iniquitatem, & qui loquuntur mendacium.*

Idem S. Doctor acriter planè redarguit eos, qui felicitatem temporalem, Christianæ religionis institutis anteponunt: Ita enim contra Ethnicos, lib. 2. de ciuit. cap. 20. disserit. *Isti*, inquit, *nullo modo curant, pessimam, ac flagitiosissimam esse Rempublicam. Tantum stet, inquiunt, tantum floreat copijs referta, victorijs gloriosa; vel quod est felicius, pace secura sit. Et quid ad nos? imò id ad nos magis pertinet, si diuitias quisq; semper augeat, quæ quotidianis effusionibus suppetant, per quas sibi etiam infirmiores subdat quisq; potentior: obsequantur diuitibus pauperiores, causa saturitatis; atq; vt eorum patrocinijs quieta inertia perfruantur; diuites pauperibus ad clientelas, & ad ministeriũ sui fastus abutantur. Populi plaudant non consultoribus utilitatum*

tum suarum, sed largitoribus voluptatum. Non iubeantur dura, non prohibeantur impura. reges non curent quam bonis, sed quam subditis regnent: prouinciæ regibus, non tanquam rectoribus morum, sed tanquam rerum dominatoribus, & deliciarum suarum prouisoribus seruiant, eosq; non sinceriter honorent, sed nequiter ac seruiliter timeant. Quid aliena vineæ potius, quam quid suæ vitæ quisq; noceat, legibus aduertatur. Nullus ducatur ad iudices, nisi qui alienæ rei, domui, saluti, vel cuiquam inuito fuerit importunus, aut noxius. Cæterum de suis, vel cum suis, vel cum quibusque volentibus, faciat quisq; quod libet. Abundent publica scorta, vel propter omnes quibus frui placuerit, vel propter eos maximè, qui priuata habere non possunt. Extruantur amplissimæ atque ornatissimæ domus, opipara conuiuia frequententur, vbicunque libuerit, & profuerit, diu noctuq; ludatur, bibatur, vomatur, diffluatur. Saltationes vndiq; concrepent, theatra inhonestæ lætitiæ vocibus, atque omni genere, siue crudelissimæ, siue turpissimæ voluptatis exæstuent. Et ille sit publicus inimicus, cui hæc felicitas displicet. Quisquis eam mutare vel auferre tentauerit, eum libera multitudo auertat ab auribus, euertat è sedibus, auferat à viuentibus. Illi habeantur Dij veri, qui hanc adipiscendam populis procurauerunt, adeptamq; seruauerunt. Colantur vt voluerint, ludos exposcant quales voluerint, quos cum suis, vel de suis possent habere cultoribus; tantum efficiant, vt tali felicitati nihil ab hoste, nihil à peste, nihil ab vlla clade timeatur. Quis hanc Rempublicam sanus, non dicam Romano Imperio, sed domui Sardanapali comparauerit? Qui quondam Rex ita fuit voluptatibus deditus, vt in sepulchro suo scribi fecerit, ea sola se habere mortuum, quæ libido eius, etiam cum viueret, hauriendo consumpserat. Quem Regem isti si haberent, sibi in talibus indulgentem, nec in eis cuiquam vlla seueritate aduersantem, huic libentius quam Romani veteres Romulo templum, & flaminem consecrarent.

Hactenus

Hactenus Augustinus. Non ergo licet pro temporali status felicitate tuenda vel augenda, vetita agere, aut Ecclesiæ iura violare.

At dicent isti fortasse, Ecclesiasticam libertatem esse Iuris tantùm humani; quod in casu saltem necessitatis merito negligatur. Sed respondeo primum, esse diuinum, vt superius ostensum fuit. Deinde nemo Catholicus negârit, esse planè cuiusdam æquitatis naturalis, quo abrogato, nonnisi infeliciter; & absque fructu diuina omnia administrentur, vt supra lib. 1. cap. 18. & 19. euidenter demonstrauimus. Si ergo aliqua aut felicitatis temporalis, aut spiritualis commodi iactura facienda aut ferenda sit, nonne ipsa naturalis dictat ratio, commoda sæcularia spiritualibus, temporalia æternis, humana diuinis in eodem gradu, postponenda esse? Nonne hoc apertè docet Christus, Matth. 6. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: vbi arugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, &c.* Item Luc. 12. *Stulte, hac nocte animā tuam repetunt à te; quæ autem parasti cuius erunt?* Et Luc. 9. *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum faciat?* Nonne hoc docuit Paulus 1. Cor. 8. quando monet, vt qui *hoc mundo vtuntur, tanquam non vtantur. Præterit enim*, inquit, *figura huius mundi.* Nonne hoc etiam docuit Iohannes epist. 1. cap. 2. *Nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo, &c.*

Quocirca si maxime ob sanctissimas Ecclesiæ leges, & spirituale bonum animarum, nonnulla essent in temporali vita incommoda perferenda, quis non videat, iustam hanc fore commutationem? Et perpendant isti mihi quæso, quod Christus Matth. 10. Apostolos præmonuit. *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram, non veni pacem mitte-*

mittere sed gladium. Veni enim separare hominem aduersus matrẽ suam, & nurum aduersus socrum suam: & inimici hominis, domestici eius. Ecce Christus apertè denunciat, occasione Euangelicæ predicationis turbatum iri pacem domesticam, etiam inter propinquos. Si iam olim infideles hoc nomine in Christi fidem insurrexissent, (vt etiam re ipsa fecerunt) quòd inimica sit domesticę pacis, quòd eius occasione Respublica turbetur, anne diceremus hoc ab eis Iure factum? Anne propterea apud Deum, siue ipsos, quòd fidem non reciperent, siue Apostolos, quòd eam non prædicarent, futuros fuisse excusatos fatendum esset?

Sed quid Christus de hac Reipub. terrenæ, & cœlestis fidei contentione censet? Quasi dicat: sciebam hoc futurũ esse, & propterea moneo vos, ô Apostoli, moneo cæteros vniuersos: *Qui amat Patrem, aut matrem plus quàm me, non est me dignus. Et qui amat filiũ aut filiam super me, non est me dignus. Qui inuenit animam suam, perdet illam. Et qui perdiderit animã suam propter me, inueniet eam.* Et quid hæc sunt omnia? Nisi qui plus amat domesticam pacem, quam me fidemq; & religionem meam, non est me dignus. Qui plus studet temporali bono familiæ, quã suæ, suorumq; spirituali commodo, non est me dignus. Qui plus amat felicitatem terrenam, quã æternam animæ salutem, non est me dignus. Itaque nec in hac vita gratiæ meæ particeps erit, & in altera à meo consortio æternum excludetur. Terribilis sententia, quæ meritò percellat quosdam mundi huius sapientes, qu cum nil nisi terrena sapiãt, sua tamen sapiẽtia, quæ stultitia est apud Deum, mundum regi volunt vniuersum.

Simile exemplũ habemus apud S. Ioan. c. 11. vbi Iudæos mirè anxios & sollicitos fuisse legimus; ne quã, nouæ religonis à Christo prædicatæ occasione & incremento, in tẽporali politia iacturam paterentur. *Collegerunt*, inquit scri-

ptura, *Pontifices & Pharisæi concilium, & dicebant: quid facimus? quia hic homo multa signa facit. si dimittimus eum sic, omnes credẽt in eum; & venient Romani, & tollent nostrum locũ & gentem.* Hic metus Pseudopoliticorũ erat inter Iudæos olim; sed quod consilium? Audi ex scriptura. *Vnus autem,* inquit, *ex ipsis, Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis; Vos nescitis quicquã, nec cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat* Vides lector, pseudopoliticos istos morte Christi, & Christianæ religonis persecutione, suam, vt existimabant, Reipub incolumitatem redimentes. Et quis nisi Iudæus factum probet? imò nec iste q. dem probet, qui etiamnum hodie sentit, consilium malum consultori pessimum fuisse, & quam tanto scelere maiores saluam tueri cupiebant Rempublicam funditus euertisse.

Idem profectò timendum est nostri temporis Pseudopoliticis, dum ita ratiocinantur: Ecclesiasticorũ libertas impedit & diminuit temporalia Reipub. commoda: Ergo expedit, vt è medio tollatur. Profectò Caiphæ consilium; cuius quisquis Authorem se facit: facilè intelligit, quorum vestigijs maiorum insistat.

Sed quia ita volũt magni isti patroni, seponamus in hoc negotio Christum, seiungamus æterna. Ita iam inter nos loquamur, tanquam si Deus, si Christus, si cœlum, si infernus, si anima æterna non esset. Politicè, vt aiunt, loquamur cũ politicis. Itane verò libet ratiocinari? Ius ecclesiasticæ libertatis obest, ex accidenti, bono politico Reipub. Ergo licet violare? Hocnè verè politicum est? Inuadere terminos alienos, vt tuearis tuos? Alienos, inquam, non hostiles, sed amicos; non per se tibi noxios, sed tibi commodos? Ergo si bono Reipublicæ eueniat, aut periculo eius depellendo conueniat, inuadere fines finitimorũ Principum, aut Reipubli-

publicæ, id erit secundum istos miros Patronos licitum? Id verè politicum erit? Aut si quacũq; necessitate, vel infortunio, ærarium Reipub. exhaustum fuerit, licitè irruet in opes quaslibet externorũ? Aut si pro classe agenda lubẽtia non inueniat seruitia, in seruitutem iure quoslibet adiget obuenientes? Aut si mercimonia forte in Repub. desitura sunt, quia alibi felicius eueniunt, alienam iure euersum ibunt Rempublicam? Deniq; si quispiam Iure suo vtendo, præter opinionem, & propositum, impediat commodum aut profectum Reipub. id luere secundum istos etiam Iuris sui omissione debebit? Mirabilis sanè politia, vbi hæc vigent instituta. Mirabilis Respublica, quæ talibus vtitur legibus, nec tam amica sibi, quàm Conterminis exosa.

Neq; hoc dico factitare serenissimam & prudendissimam Rempub. Venetam; sed quid isti patroni non obscurè suadeant, hoc moneo: quid calumniæ occultè Reipub. impingant, hoc expono. Ita enim planè dicũt. Si Ecclesia Iure suæ libertatis gaudeat, periculum est, ne in Repub. per accidẽs oriãtur perturbationes, ne maleficia dominentur, ne excrescant facultates Ecclesiasticorum, simulq́; minuãtur opes ciuium; neue Respub. insidijs externorum exponatur: Ergo licitè in Ius ecclesiasticæ libertatis inuolat; Ergo iure sibi non subditos iudicat; eosq́; suis expoliat bonis.

Ego verò non ita sentio; neq; ita sentiunt iustæ leges, vt si quo gaudes iure, quo sine magno incommodo carere ipse nõ potes, etsi inde per accidẽs & præter consiliũ aliqd infortunij alteri accidat, iustè eo priueris. Vt in pari causa deterior sit conditio possidentis. Vt in pari necessitate dãniq́; periculo, à suo peculio, iustus deijciatur possessor. Aut certè Dño indigẽti res sua extra casum extremæ necessitatis negetur, quia tu pariter indiges.

Enimuerò ita se res habet in proposito, Ecclesia ab origine sua, præsertim inter Christianos Principes degens, semper in possessione suæ libertatis permansit, tùm apud alias prouincias, tùm etiam in ditione Veneta, saltem de quo vix potest esse controuersia, extra ciuitatem Venetam, vt inferius suo loco dicetur. Vi huius ipsius libertatis, Ecclesiastici, eorumq; bona quantumuis in ditione Veneta posita, sunt à Reipub. Iurisdictione omnino exempta; nō minus, quam si apud extremos Indos essent constituta; hoc enim est ipsum eius libertatis Ius, quo, vt dictum, Ecclesia sine ingenti incommodo nudari non potest. Iam ergo qui leges ferunt, huic libertati contrarias, qui sui cōmodi causa de ipsis bonis & personis, in quas nullum Ius habent, sua authoritate directè disponunt, an non manifestè Iura inuadunt aliena? terminos & fines legitimos transiliunt? Iustum possessorem Iure sibi necessario spoliant? Idque extra casum extremæ necessitatis? cum nec ipsi magis, quam iustus possessor ea re indiget? Sed iam satis, opinor, manifestè primum erratum istorum deteximus. Ad alterum veniamus.

CAPVT XII.

IMPIVM ESSE DICERE, ECCLESIASTICÆ LIBERTATIS OBSERVATIONEM TEMPORALI STATVI Reipub. esse perniciosam.

ILLVD verò multò adhuc teterius est, quod iustissimas ipsius Dei leges, velut in Reipub. perniciem vergentes, accusare audent. Ius, inquiunt, Ecclesiasticæ libertatis (non tàm ab hominibus, quam ab ipso Deo sancitum) lædit publicam felicitatem &

& tranquillitatem Reipublicæ. Quid ita verò? Nam si liber pateat accessus Religiosis ad hanc Rempublicam, qui tamen Iudæis, Turcis, hæreticis, schismaticis non denegatur; si Ecclesiastici libero gaudeant Emptionum & donationum Iure, si suorum bonorum libero vsu & vsufructu potiantur, demũ si bonorũ imobilium perinde ac infima quæq; Reipub. membra capaces maneant, excrescunt nimium facultates Ecclesiæ, diminuũtur opes priuatorum, grauantur ciues, ærarium Reipub. attenuatur, lites & discordiæ disseminantur, à propugnatoribus nudatur Respub. loca fortia & munita facile insidijs hostium exponuntur; totum eneruatur robur Reipub. addo denique, timendum esse, ne cœlum ruat, si nulli sint in terra homines à quibus sustineatur.

Eodem modo, nisi à Repub. Ecclesiastici sontes puniantur, augescunt scandala, impietates inundant, dissensiones exoriuntur; deniq; Ira Dei, vt impietatis, ita & indulgentiæ vindex pertimescenda est. Quocirca à primo ad vltimum, stare incolumitas & felicitas Reipub. non potest, cum hac sacra libertate.

Ego verò vt cum istis non multum de ratione veræ & Christianæ fœlicitatis in virtute potissimum constitutæ, contendam, quam miseri homines parum intelligere videntur, sed potius cum ijs, qui de terra sunt, de terra loquar, deq; ea felicitate tantum, quæ huius vitæ propria est, in opibus, in diuitijs, in pace quadam & tranquillitate mundana, in finium & dominij amplificatione constituta, sermones conferam, breuiter duo hæc ostendo; primùm, seruato Iure Ecclesiasticæ Immunitatis, huic qualicunque felicitati nihil penitus detrahi, adeo vt quam parum isti oblocutores volunt promoueri ex eo bonum Reipublicæ, tam parum inde sentire detrimenti, manifestum fiat. Alterum, non

tantum hinc nullum sentire damnum Rempublicam, sed etiam plurimum emolumenti capere, si quod Deo & hominibus debetur, Ecclesiasticæ libertatis & Imunitatis Ius inuiolatum conseruetur; quod tamen posterius membrum in sequenti capite tractandum.

Primum ex eo perspicuè elucet, quòd quicquid vel in Rempub. commodi potest conferri, si modo per se honestum sit; vel ab ea incommodi propulsari, per iniquam Ecclesiastici Iuris vsurpationem, id totum seruato Iure Ecclesiasticæ libertatis, æque vel obtineri, vel auerti potest, si modo, quod fieri potest & debet, Romani Pontificis autoritas, & ab eo ad aliquẽ Ecclesiastici Iuris vsum obtenta facultas interueniat. Neq; enim, vt lib. 1. dictum, in eo Ius Ecclesiasticæ libertatis consistit, vt nihil quicquam circa res, aut personas Ecclesiasticas, à Laicis Iuris vendicetur, sed vt nihil Laicâ, nihil propriâ, nihil nisi Ecclesiæ Rectorum autoritate Iuris in illos vsurpetur.

Quocirca si quando V.G. publica necessitas ingruat, cui subleuandæ Laicorum opes sufficere nõ videbuntur, adeatur sanè Romanus Pontifex, subuentio & subsidium Ecclesiasticorum humiliter efflagitetur, certè non deerit iustæ petitioni pia indulgentia, qua bona ipsius licet Dei, prudentis & fidelis patrisfamilias dispensatione, communi necessitati depellendæ applicentur. Nam & hoc ipsis etiam sacris Canonibus cõsonum est, vt supra vidimus, & quotidiano vsu atq; experientia vsq; adeo contestatum & exploratum, vt ipsi Principes facile testari possint, Ecclesiam & Ecclesiasticos in eiusmodi pia liberalitate postremas nõ ferre.

Exempla quædã huius rei affert eruditus vir D. Ioannes Paulus Windeck, lib. 1. Theologiæ Iurisconsultorũ, vbi ait: *Eiusmodi subsidia & tributa, de assensu Pontificis, decreta erant in comitijs Romani Imperij anno 1529. cum Turca vastaret Austriam.*

Anno

Anno 1532. 1542. 1543. 1566. & nuper Anno 1594. Anno 1530. in frequentissimo & celeberrimo Comitio Augustano, Papa Clemens VII. Ferdinando, Regi Romanorum & Bohemorum, potestatem fecit, totius Germaniæ templorum ornamenta, & quicquid esset auri atq; argenti sumendi, & conuertendi in bellum Turcicum, Ecclesiasticis quoq; tributum imperandi, &c. Ecce quam non recuset Ecclesia etiam suarum facultatum iacturâ præsentibus periculis occurrere. Nam & propterea etiam Episcopi Franciæ in epist. ad Ludouicum Germaniæ Regem è Carissiaco Palatio, apud Card. Baron. Anno 858. significant, tantas esse in Ecclesia opes, *vt quia creuerunt fidelium vota, & increbuerunt infidelium mala, augeretur per dispensationem Ecclesiasticam* (non autem ipsorum principum propriam autoritatem) *Regni militia, ad resistendum malorum nequitiæ, quatenus ipsi defensionem Ecclesiæ haberent, & pacem, & Christianitas obtineret tranquillitatem.* Laica verò autoritate Dei bona tributaria facere, aut oneribus ciuilibus subijcere, iuxta sacrorum Canonum statuta, & ipsius naturalis rationis dictamen, sacrilegium est, Deo vindice mulctandum.

De quo etsi iam supra actum, non abs re tamen erit, id quod Bonifacius VIII. hac de re decreuit, referre, cum præsertim & hinc etiam pateat, Ecclesiæ mentem non esse, vt è bonis Ecclesiæ ciuiles pensitationes solui nullo modo possint. Itaq; de Imunitate Ecclesiarum in 6. cap. 3. ita legimus: *Clericis Laicos infestos oppidò, tradit antiquitas: quod & præsentium experimenta temporum manifestè declarant, dum suis finibus non contenti, nituntur in vetitum, ad illicita fræna relaxant, nec prudenter attendunt, quam sit eis in Clericos, Ecclesiasticasue personas, & bona interdicta potestas; Ecclesiarū Prælatis, Ecclesijs, Ecclesiasticisq; personis regularibus & sæcularibus imponūt onera grauia, ipsosq; talliant, & eis collectas imponunt, ab ipsis suorū prouentuum vel bonorū dimidiā, decimā, seu vicesimā, vel quamuis aliā portionē,*

aut

aut quotam exigunt, & extorquent, eosq; moliuntur multifariè subijcere seruituti, suæq; submittere ditioni, & (quod dolenter referimus) nonnulli Ecclesiarum Prælati, Ecclesiasticæq; personæ, trepidantes, vbi trepidandum non est, transitoriam pacem quærentes, plus timentes maiestatem temporalem offendere, quàm æternam, talium abusibus non tam temerariè, quam improuidè acquiescunt: sedis Apostolicæ autoritate seu licentia non obtenta.

Nos igitur talibus iniquis actibus obuiare volentes, de fratrum nostrorum consilio, Apostolica autoritate statuimus, quod quicunq; Prælati, Ecclesiasticæq; personæ, religiosæ vel sæculares, quorumcunq; ordinum, conditionis seu status, collectas vel tallias, decimam, vicesimam, seu centesimam suorum & Ecclesiarum prouentuum, vel bonorum, Laicis soluerint, vel promiserint, vel se soluturos consenserint, aut quamuis aliam quantitatem, portionem, aut quotam ipsorum prouentuum vel bonorum æstimationis, vel valoris ipsorum, sub adiutorij, mutui, subuentionis, subsidij, vel doni nomine, seu quouis alio titulo, modo, vel quæsito colore, absq; autoritate sedis eiusdem; necnon Imperatores, Reges, seu Principes, Duces, Comites, vel Barones, potestates, Capitanei, vel officiales, vel Rectores, quocunq; nomine censeantur, ciuitatum, castrorum, seu quorumcunq; locorum, constitutorum vbilibet, & quiuis alij, cuiuscunq; præeminentiæ, conditionis, & status, qui talia imposuerint, exegerint, vel receperint, aut apud ædes sacras deposita Ecclesiarum, vel Ecclesiasticarum personarum vbilibet arrestauerint, saisiuerint, seu occupare præsumpserint; vel arrestari, saisiri aut occupari mandauerint; aut occupata, saisita, seu arrestata receperint; nec non omnes qui scienter dederint in prædictis auxilium, consilium, vel fauorem, publicè vel occultè; eo ipso sententiam Excommunicationis incurrant. Vniuersitates quoq;, quæ in his culpabiles fuerint, Ecclesiastico supponimus interdicto.

Prælatis & personis Ecclesiasticis supradictis, in virtute obedientiæ, & sub depositionis pœna districtè mandantes, vt talibus

absq;

absq; expressa licentia dictæ sedis, nullatenus acquiescant: quodq; prætextu cuiuscunq; obligationis, promissionis, & confessionis factarum hactenus, vel faciendarum in antea, priusquam huiusmodi constitutio, prohibitio, seu præceptum, ad notitiam ipsorũ peruenerint, nil soluant: nec supradicti sæculares quoquo modo recipiant. Et si soluerint, vel prædicti receperint, in Excommunicationis sententiam incidant ipso facto. A supradictis autem Excommunicationum & Interdicti sententijs nullus absolui valeat, præterquã in mortis articulo, absq; Sedis Apostolicæ authoritate & licentia speciali: Cum nostræ intentionis existat, tam horendum secularium potestatum abusum nullatenus sub dissimulatione transire.

Non obstantibus quibuscunq; priuilegijs, sub quibuscunque tenoribus, formis seu modis, aut verborum conceptione concessis Imperatoribus, Regibus, & alijs supradictis: quæ contra præmissa in nullo volumus alicui vel aliquibus suffragari. Quo decreto, vides lector, excommunicatos esse, tam Ecclesiasticos qui soluũt, quam Laicos cuiuscunq; dignitatis, qui ab ijsdem exigunt, vel accipiunt tallias seu collectas absq; Romani Pontificis autoritate; nullo priuilegio cuiquam in contrarium adminiculaturo.

Iam si de nouis Ecclesijs, Collegijs, Monasterijs, alijsq; ædificijs sacris extruendis agatur, quis non videt, sæculari Magistratui integrum esse, vt si quando ex eius generis ædificijs politię damnum aliquod imminere videbitur, liberè de re omni Ecclesiasticos Præsules informent, damnum seu periculum deprecentur, iustisq; rationibus dissuadeãt; an est auditum vnquam, iustæ petitioni locum datum non fuisse? Certè tantum abest, vt pro communi bono à nouis ædificijs absistere Ecclesia nolit, vt etiam constituta deijcere, ipsasq; Ecclesiarum vasa alienare, non recuset, si præsens id necessitas expostulet, iuxta ea quæ leguntur causa 12. q. 2. Can 13. 14. 15. 16. & 70.

Quod si Domini Veneti hanc solam sibi curam & inspectionem priuatim & tacitè vendicassent, vt dispicerent, vbi & quo modo sacra ædificia extruerentur, an vllo Reipub. damno vel periculo, nemo id factum improbasset; at publica lege, non tantum omnem huius rei diiudicandæ autoritatem sibi velle arrogare, sed & suo penitus arbitrio rem ipsam decidendam in solidum velle reseruare, maioris sanè confidentię est, quàm quæ Iure seu diuino, seu humano possit defendi.

Eadem ratio personarum est. Si enim peculiaribus ex causis, vt hæc vel illa Ecclesiasticorum congregatio in Rép. inuehatur, perniciosum videbitur; admoneantur iti dem Ecclesiæ Rectores, quibus ea cura incumbit, vt malo remedium adferatur. Certe si iusta querela sit, nullius rationis erit, obtrudere damno Reipub. futuros, qui non nisi ad bonum Reipub. promouendum nati sunt, nec inibi nisi eius bono viuere volunt. Taceo quod re ipsa iam non pauca vtiliter de nouis religiosorum domicilijs construendis passim sacris Canonibus decreta habentur. Vt Can. 4. Concilij Chalcedonensis, can. *de Monachis* causa 18. q. 2. c. 11. de religiosis domibus in 6. cap. vnico de excessibus Prælatorum eodẽ lib. & Clement. *Cupientes*, de pœnis & tandem in Conc. Trident. sess. 25. cap. 3. de Regularibus.

At libertate donationum & legatorum, bona im̃obilia Ecclesiæ nimis excrescunt; quò fit vt & fundi priuatorum immodicè coarctentur; & ærarium Reipub. censu diminuatur, non absq; boni communis pernitie. Sed inprimis & huic incommodo, si quod est, idem medetur remediũ, quod anteà iã præscripsimus. Nimirum si opus videbitur, Ecclesia monita aut cauebit omninò, ne bona denuò acquirantur; aut vt non sine consuetis oneribus ad Ecclesia-

sticos

ſticos tranſeant; quod & iam re ipſa quibuſdam in locis factum conſtat, vt cap. 18. videbimus.

Deinde ne quis falſa quædam damni ſpecie nimium decipiatur, lubet iſtos Venetæ cauſæ Patronos, qui hoc dãnum adeo exaggerant, & bonorum immobilium incremẽtum Eccleſiaſticis tantopere inuident, interrogare, quinam quibus inuideant? An non Ciues ipſi conciuibus? affines affinibus? Cognati cognatis? Fratres fratribus? Parentes filijs? Aui nepotibus? Maiores poſteris? Quid enim, an nõ illi Eccleſiaſtici, quorum profectum ferre non poſſunt, eorum conciues ſunt, eorum caro & ſanguis? An non illi ipſi qui hæc obiiciunt, Eccleſiaſticis bonis victitantes habent, aut victitaturos ſperant, Cognatos, affines, filios, nepotes, poſteros? Qui bonorum Eccleſiaſticorum ſubſidio, ſæpe ea neceſſitate liberantur, quam vel in propinquis tolerare probrum ducerent? An non qui potioribus in Eccleſia dignitatibus fruuntur, vt ſunt Epiſcopi, Præpoſiti, Abbates, Decani, &c. in horum familia recenſentur, aut certè vt recẽſeantur, ipſimet optant, ſtudẽt, ꝓcurant? Vt taceam, quod de ipſomet Venetæ cauſæ Patrono quodam ab Eugenio Famauguſtano, alijſq́ue publica teſtificatione perſcribitur, eum ad Epiſcopatus dignitatem aſpirantem, non abſque animi indignatione, ſua ſpe fuiſſe deiectum; ex qua fortaſſe *radice amaritudinis* tantum inuidiæ ſit natũ. Nempe Epiſcpos ſe aut è ſuis cupiunt eſſe quam opulentiſſimos, ſed Epiſcopatus eſſe opulentos nolunt. Præpoſitos, Decanos, &c. volunt eſſe quam magnificẽtiſſimos, ſed Præpoſituras, Decanatuſq; ipſos ſine quibus egere illi cogerentur, aut nullos optant eſſe, aut tenues. Ita cupiditas ſibimetipſi aduerſis ſtudijs repugnat; indeq; vel maximè nocet, vnde ſe ipſam inprimis ſtabilire nititur.

Præterea isti etiam hoc mihi quæso animaduertant; si nulla denuò Ecclesiæ prædia, fundiq́; dono, emptione, aut quouis alio titulo obuenire possint, quorsum tandem euasurum sit negotium? An non eò, vt vel in alienis ædibus ipsi etiam habitare tandem cogantur Ecclesiastici, vel certè eo vsq; minui, vt vel vnica vnius ditionis ædicula capiat vniuersos? Cum enim manifestum sit, temporum decursu, nõ minus ferè, sæpenumero etiam multò amplius, Ecclesiasticorum bonorum, varias ob causas, amitti, quam acquiri, etiam vbi plenissima & liberrima est acquirẽdi facultas, quod in Germania superiore & inferiore, Gallia, Anglia, plus nimio ipsa, vel paucorum annorum experientia compertnm est, certè quisquis vetet, ne quicquam in his bonis Ecclesiæ denuò possit accedere, iure videri potest, non tam velle, vt mediocres sint immobiles Ecclesiæ facultates, quam vt nullæ sint. Quod iam olim etiam infeliciter tentatum fuit à Waldensibus hæreticis, de quibus autor citatus ab Illyrico in Catalogo testium feritatis, & à Frehero Caluiniano Bohemicis historiis insertus hæc habet: *Audiui ab ore hæreticorum* (Waldensium) *qui intendebant Clericos & Claustrales redigere ad statum fossorum, per ablationem decimarum, & possessionum, & per potentiam & multitudinem Credentium eorum fautorum, &c.*

Sed dicent isti. Ab hac necessitate nihil metuendum esse mali. Suæ enim voluntatis, siue instituti non esse, vt Ecclesia nihil bonorum immobilium denuò possit acquirere, sed vt absq; suo arbitratu, & nutu non possit: se verò non inuitos eam facultatem concessuros, cum oportunum id videbitur.

Bona responsio, sed non istis. Nam si fas non est, absolutè bonorum eiusmodi acquisitionem Ecclesiasticis inhiberi, sed planè saltem arbitratu & iudicio in hac re opus est, vt

vt dispiciatur, an, quando, & quantum acquiri expediat, quis non videat, iudicium huius rei non ad Laicos cuiuscunq; demum gradus siue dignitatis, pertinere, sed ad Ecclesiam. Cum enim causa ista Ecclesiasticos eorumq; propagationé ac sustentationé concernat; & tota ad finé spiritualem collimet, ad quem omnis Ecclesiasticorum status, conditioq; refertur, clarum profecto est, causam Ecclesiasticam esse, adeoq; iudicio ecclesiastico, non Laico obnoxiam. Quid ergo hanc suo tribunali iudicandam reseruat laicus Princeps, idq; publica lege, non consentiente, imò repugnante summo Pontifice?

Sed aiunt, bona de quibus lex disponit, Ecclesiastica nó esse, sed Laica, quæ ne Ecclesiastica fiant, iure lex etiam laica caueat. Sed primum cur isti dissimulant, ipsis etiam Ecclesiasticis directè Veneta lege prohibitum, ne absq; senatus consensu noua templa seu domicilia ædificent, idq; sub pœna etiã corporis, vt lib. 16. c. 1. ostensum est. Deinde parum refert, quod res ipsæ quæ remota materia legis sunt, adhuc Iuris Ecclesiastici non sint; satis est, quod vsus seu alienatio rerum eiusmodi, quæ propior est legis materia, ecclesiasticas personas, finemq; & vsum spiritualem concernat; quorum dispositionem ad ecclesiasticum iudiciũ pertinere nemo ignorat.

Accedit, quod licet rerum eiusmodi dominium ad Ecclesiasticos non pertineat, tamen Ecclesiastici, non minus quàm Laici, Iure gentium, Ius & facultatem habent eas sibi iusto titulo comparandi; sicut & emendi res quaslibet ad vsum necessàrias; sicut ergo is, qui Ecclesiasticis panem, frumentumq; vendi, lege caueret, vsurpator & violator ecclesiastici Iuris diceretur, vt constat ex cap. vlt. de Eccles. immunit. in 6. ita qui bona immobilia in eos conferri prohibet, aut rem omné suo vult arbitrio reseruatã, Ius & libertatem ecclesiasticam violat.

Neq; verò perinde in hac materia ratiocinandum eſt, ac ſi quilibet Princeps ſuæ Reipub. vtilitati & neceſſitati intentus, conſtituta lede caueat, ne quidquam V.G. frumẽti, aut agrorum in exteros diſtrahatur. Qui quidem per ſe, vt aiunt, nullum externi Principis Iuriſdictioni cenſetur creare præiudicium, nec in eam vlla ratione inuolare, vtpote quia de rebus ſuæ Iuriſdictioni ſubiectis ea ſtatuit, quę communi Reipub. bono ſunt neceſſaria, etſi per conſequẽs inde nonnullam iacturam etiam externi, quos obliquè lex ferit, ſentiant. Etenim ratio vtriuſq; caſus diſſimillima eſt. Nam in hoc poſteriore, externus ille Princeps, cum nullum penitus Ius habeat diſponendi, aut iubẽdi quicquam circa bona eius Reipublicæ, à cuius commercio eius vetantur ſubditi, mirum non eſt, quod nullam eiuſmodi legis ſanctione patiatur iniuriam.

At in noſtro illo priore caſu, Eccleſia in qualibet Chriſtiani Principis ditione, ius habet tum leges præfigendi, ſecundum quas bona etiam temporalia accommodatè ad finem ſpiritualem adminiſtrari debeant, tum inprimis diſcernendi, an & quatenus expediat ſuo fini, qui ſpiritualis eſt animarum ſalus, bona temporalia acquirere. Sicut ergo duobus Principibus pariter & ex æquo aliquam ditionem adminiſtrantibus, is qui abſq; alterius conſenſu leges ferret, ne alterius familiæ, quiſquam poſſit obuenire commeatus, cenſeretur vſurpatione Iuris peccare, ita multò magis in ꝓpoſito, cum Eccleſiaſtica & ſæcularis poteſtas, nõ ex æquo, ſed illa multò excellentiori fine & iure de iiſdem temporalibus bonis poſſit leges ferre, quæque ad propriæ familiæ gubernationem pertinent, ſola per ſe ipſam conſtituere, ſanè vſurpatione Iudicij peccabit laica poteſtas, ſi propria autoritate, ſine conſenſu Eccleſiæ leges ferre præſumat, an & quatenus expediat, commercia bonorumq; communi-

municationem cum Clericis permittere. Quod non minus absurdum est, quã si caro vellet spiritui præscribere, an & qua ratione ad salutem æternam expediat, ieiunijs, cibo; & potu vti, iuxta ea, quæ hac de re supra cap. 8. dicta.

Quamobrem vt concludam, quotiescunq; tempus, locus, ratio suadent & vrgent, vt Iurisdictio in res & personas ecclesiasticas exerceatur etiam à Laicis, ecce adest in Ecclesia Romanus Pontifex, totius dominici gregis vniuersalis Pastor & Rector, negotium ad illum referatur, humiliter facultas & venia postuletur. Si æqua petitio est, si vniuersali Ecclesiæ bono, quod inprimis spectandum, & cui omnia particularia commoda cedere ipso naturali iure debent, accommoda; non negabit æquus Iudex, pius Pater, cui nihil magis cordi, quàm vt Christianæ ditiones, & tẽporalibus commodis, & spiritualibus bonis, quàm maximè efflorescant. Idq; varijs in omni genere exemplis compertum est. Quod si causa diligenter expositâ, nec minus acutè perspectâ, iudicauerit ipse, è bono Christianæ Reipub. nõ esse, vt petitioni ꝓpositæ annuatur, iã quisque modestè de se sentiens, & se ouẽ, non pastorem agnoscens, facilè intelliget, non contumaciter obnitendũ ei, cui & facilius est rectum in hoc genere cognoscere, & cognitum magis incumbit procurare.

Itaq; si causa appetendæ Iurisdictionis ecclesiasticæ permanens & quasi perpetua videbitur, petatur priuilegiũ; si tẽporanea, postuletur dispẽsatio. Si forte, q, vix vnq̃ eueniet, in aliquo particulari casu, euidens necessitas quæ morã nullã patitur, epijkię interpretationẽ admittet, quâ ipso naturæ lumine, talis casus à Iure except⁹ clarè & euidẽter appareat, operæ pretiũ erit, saltem post factũ informare Põtificem, vt semper debita erga illum obseruantia, erga Ecclesiasticos reuerentia, cũ pari beneuolentia, cõseruetur.

An

An hic imponitur quicquam non ferendum? An iugum aliquod intolerabile,quod nec nos,nec Patres nostri ferre potuerint? Imò verò iugum suaue & onus leue, quod suadet ratio,docet exemplum, confirmat antiquitas, diuina pariter & humana Iura præcipiunt.

Sed quid si Pontifex,etsi rogatus, suo fortasse muneri desit? Quid si perniciosa conniuentia Ecclesiasticorũ scelera foueat? Ad hoc rectè noster Azor libr. 5. Instit. Moral. c.8.q. 2. *Dicam ego*, inquit; *Quid si profani Iudices inferiores, simul etiam superiores,& ipse etiam Rex negligenter peccata punierit? Cur enim à toto genere diligentiores profanos & ciuiles,quam sacros & ecclesiasticos iudices putemus?* Nimirum sunt in rebus humanis certi quidem prouidentiæ termini, quibus mala quidem obuenientia communiter ferè arceantur omnia; sed quos,etsi quodam fortasse casu,ijs ipsis minus arcentur, nefas sit conuellere; ne hoc ipso perruptis repagulis,malis vndiq; irruentibus aditus innoxius patefiat.

Enimuerò vti summus Pontifex proprio motu nonnunquam inhibet nimiam ecclesiasticorum bonorum præsertim mobilium accumulationem, ita etiam ratione suadente,rogatus & monitus idem statuere non prætermittet. Narrat Paulus Venetus pag. 28. *Pium V. Pontificem, Boschi, natali solo suo,cum Monasterium exædificasset,eius exitium veritũ decreuisse,ne quoquam tempore Ecclesiasticis quicquam à Laicis emere liceret. Clementem quoque VIII. ingentia Lauretanæ domus prædia circumspicientem, ne quicquam amplius emeret imperasse.* Quæ si vera sunt,de quo non disputo, cur non Pontifex aut sponte sua,aut monitus idem facturus sit, si minus alicubi oportunam animaduerterit eorundem bonorum aut locorum exaggerationem; cum & antehac de eiusmodi rebus leges multæ saluberrimæ sint constitutæ.

Certè

Certè quidem vbi, quando, quantum conueniat ordines aut domos religiosas excrescere, ipse omnium optimè nouit, qui & finem, rationem, institutumq; ordinum, & necessitatem Christiani populi omnium optimè potest habere perspectam. Nam ex fine vsus & incrementum rei diiudicandum est; finis autem ille spiritualis est, nempe honor Dei, salus proximi; Ergo iudicium tam de illo, quam de medijs, spirituali & Ecclesiastico Iudici propriè competens, nemo sibi Laicus vsurpare, sed Pontifici summo, alijsq; Ecclesię Rectoribus, pro varietate negotij, in solidum relinquere debet.

Atq; ex his etiam speciatim dissoluitur ille fortissimus Pseudopoliticorum Achilles. Tolerata hac Ecclesiæ libertate, inquiunt timendum esse tandem, ne omnia bona ad Ecclesiasticos deuoluantur, pereatq; omnis in Repub. nobilitas, omnisq; orbis Christianus ad rusticos tantum & Ecclesiasticos redigatur. Simile quiddam iam olim contra religiosi status bonum obiecerunt nonnulli. *Noui*, inquit Augustinus de bono coniugali cap. 10. *quosdam, qui murmurant, quid si omnes velint ab omni concubitu abstinere, vnde subsistet genus humanum? Si id bonum*, inquit Chrysostomus de Virginitate cap. 15. *sequerentur omnes, vt mulierem omnino nõ attingerent, perirent omnia, & vrbes, & familiæ, & agri, & artes, & animantes, & cuncta quæ ex terra oriuntur, &c.*

Sed quid ad hoc Augustinus? *Vtinam*, inquit ibidem, *hoc omnes vellent, multò citius Dei ciuitas compleretur, & acceleraretur terminus sæculi.* Hieronymus verò lib. 1. contra Iouin. *Noli*, inquit, *metuere, ne omnes virgines sint. Difficilis res est virginitas, & ideò rara, quia difficilis.* Similia habet Chrysostomus. In hunc ergo sensum ego pariter ad hanc obiectionem tria hæc respondeo.

Primum, nunquam defuturos homines eiusmodi poli-

ticos,eorum qui hæc obijciunt ſimiles,qui tum pro ſua parte,tum etiam apud alios diligenter in eam rem ſint incubituri,ne omnia deniq; bona ad Eccleſiaſticos deuoluantur. Iam enim nouimus illud Chriſti, *Oportet ſcandala eſſe.* Item, *Refrigeſcet charitas multorum.* Item, *Anguſta porta,& arcta via, quæ ducit ad vitam,& pauci ſunt,qui inueniunt eam.* Item, *Quam difficile eſt diuites intrare in regnum cælorum.* Item, *non omnes capiunt hoc verbum.*

Secundum. Etiamſi hoc futurum eſſet (quod tamen in æternum nunquam fiet) quid hoc admodum abſurdi eſſet? Gubernant iam innumeras ditiones Eccleſiaſtici, pari ſuo, & laicorum, quibus præſunt bono: nec è medio tollunt nobilitatem, ſed ornant, an etiam cæteras gubernare non poſſent? Quod ſi ponas,ipſoſmet nobiles,& ciues vniuerſos ſponte omnia ſua bona in Eccleſiam transferre: primum quidem quis hoc præiudicium & iniuriam appellet contra eos, qui nil inuiti patiuntur, imo verò idipſum agunt, quod ſi quis eos agere non ſineret, ipſimet iniuriam interpretarentur? Deinde quia tantum Eccleſiaſticarum fortunarum incrementum accidere non poſſet, niſi inſigni morum & animorum conuerſione, pleríque omnes etiam religioſi & Eccleſiaſtici fierent, quid quæſo Chriſtiano homini malum hoc videri queat; vniuerſum etiam, ſi ita placet, mundum, vnam veluti generalem religioſorum hominum congregationem conſtitui, & ijs bonis ſuſtentari, quibus antea complures impij ſuſtentabantur, vt ita regnum Dei etiam in hoc mundo quodammodo nobis obtingat, in quo Deus ſit omnia in omnibus? Si hoc temporis momento, tam ipſi Politici, qui hæc obijciunt, quam vniuerſi Principes,vna cum potiſſima omnium ſubditorum parte vellent Religioſi fieri, bonis ſingulorum ad religionem, vel Eccleſiam tranſlatis: an non iure hoc

hoc Deo, Angelis, & hominibus diceremus futurum esse gratissimum spectaculum? cui nemo bonus obsistere vellet, nemo malus iure posset. Cum extent tam aperta Christi consilia, quibus ipse quantum in se, omnes ad hoc vitæ genus inuitat. Sed vt dixi, nullum est eius rei periculum. Potius timendum, ne adeò refrigescente charitate multorum, & vbique inundante hominum malitia, etiam parta Ecclesiæ bona pereant.

Tertium est, quod superius monui, ad Pontificem pertinere hanc curam, vt videat, an & quantum expediat, religionum, aut Ecclesiarum fortunas, & numerum excrescere, qui si quid opus videbitur, suum officium non negliget, vt dictum.

Patet ergo; Ius Ecclesiasticæ libertatis inuiolatè seruatum, nihil damni importare felicitati Reipub. cum omnia bona obtineri vitariq; mala possint, eo seruato ęquè, ac violato; si modo Christiana obedientia summo in terris Ecclesiæ capiti non denegetur.

CAPVT XIII.

IVS PRINCIPIS, SERVATA ERGA PONTIFICEM OBEDIENTIA, IN HAC CAVSA NON LÆDI, VT OBIICIVNT Aduersarij.

SED occurrit hîc Paulus Venetus pag. 33. qui cum ipse sibi obiecisset Pontificem, cum opus esset, Iurisdictionem in Ecclesiasticos, quam ipse habet, reliquis etiam Principibus concessurum, *si à se illam beneficij loco petant.* Ad quod ipse; *Medicinam profectò*, inquit, *ægritudine ipsa intolerabiliorem, imò & pernitiosiorem.* Neque eo loco vllam huius sui tam tetri

Epiphonematis causam attexit. Videtur tamen in alio loco pag. 22. eam indicasse, cum ait; Eiusceemodi rei facultatem à Pontifice petendam dicere, aut impetrandam, esse *à solida Theologia & morali scientia alienum. Quæ docet, Deum, cum Imperium tradiderit Principi non obnoxia alteri potestatis, in temporalibus, eidem condendarum legum eius bono seruientium liberam dedisse potestatem. Inauditum est,* inquit, *poni à Deo præceptum, cuius implendi facultas, aliunde petenda sit. In indifferentibus aut bonis etiam, sed liberis, fieri potest, vt peccetur, si inuito superiore fiant. In ijs verò, quæ expressè præcepit Deus, illud Petri valet: Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. Deus ergo Principi præcipit, leges publicæ tranquillitati necessarias ferre: num ad obediendum Deo aliunde venia quærenda erit? Venia quæritur in ijs, quæ absque illa non licent. Quod ergo Deus imperat, non licet?* Significat ergo Theologus iste, Ius Principis lædi, si seruato Ecclesiasticæ libertatis Iure, à sæculari Principe in Ecclesiasticas res aut personas Iurisdictio à Pontifice petatur.

Sed in hac re iste nihil aliud, quam malum affectum (parcat veritati) cum imperitia iunctum prodit. Illum quidem, quòd debitam erga Pontifices obedientiam, & non debiti Iuris humilé ab eo postulationem, adeoq; Ecclesiastici ordinis ac Hierarchiæ obseruantiam, rem *intolerabilem & pernitiosam* appellat. Quis verò Christianus vnquam ita loquutus est? An quod per se malè vsurpatum non obest, sed prodest, si à Pontifice cum debita reuerentia & submissione fuerit impetratum, oberit?

Inscitiam verò suam eo argumento multis modis prodit. Primum cum ait, Principes Christianos in temporalibus Pontifici non subijci; quod absolutè pronuntiatum plusquam falsum est, cum is habeat indirectè potestatem disponendi etiam de temporalibus in tota Ecclesia, vt supra cap. 8. ostensum. Secundò, cum vult Principem habere libe-

liberam poteſtatem leges pręſcribendi etiam Eccleſiaſticis. Tertiò. Imò etiam de bonis Eccleſiæ. Quartò, & has cauſas tantum eſſe temporales. Quinto, Principem in forma ſui Regiminis nihil ad Canones, nihil ad decreta Pontificum eſſe adſtrictum. Sextò, cum ſupponit, Principem habere à Deo præceptum ferendi leges, etiam circa bona, & perſonas Eccleſiaſticas, modo ſint Reipub. temporali felicitati vtiles: quæ omnia & ſingula iam ſupra euidenter ſunt refutata; ſimulq; probatum, Principem ipſo diuino & naturali præcepto arceri, quò minus hanc ipſe poteſtatem ſibi propria autoritate arroget.

Septimò, cum abſolutè aſſerit, nullius rei, quæ ex diuino præcepto neceſſariò facienda ſit, facultatem petendam. Quod diſtinctius ipſe hoc modo debuiſſet dicere: nullius rei quæ per ſe iam alioqui (ſecluſa videlicet ſuperioris facultate) neceſſàrio facienda eſt, ex præcepto diuino, eſſe petendam veniam. Sed tunc ſcilicet nimis liquidè totius argumentationis vanitas fuiſſet deprehenſa: oportebat enim poſtea pro minori propoſitione ſubſumere, ſed Deus præcepit leges ferre publicæ tranquillitati neceſſarias, etiam de ipſis perſonis & bonis Eccleſiaſticorum; hoc eſt de rebus ipſo diuino & humano Iure exemptis ab eius poteſtate, etiam nulla impetrata eius rei facultâte: quam propoſitionem ipſe ſtatim pro meritis exibilandam aduertebat.

Sed eam ipſam tamen probare nititur: *Natura, inquit, cum finem præſcribit, potentias etiam illi aſſequendo neceſſarias ſubminiſtrat, Deus verò præceptum imponit, cuius executio precaria erit, & humanum beneficium? Hoc nimis abſurdum eſt.* De præceptò iam diximus. Nunquam Deus præceptum ponit, cuius executio precaria ſit. Sed hoc frequenter accidit; Deum aliquid non præcipere, niſi præuio quodam ho-

minis gratuito beneficio, vt dictum. V. G. Indiget pauper eleemosyna; tuum idcirco non est (extra necessitatem extremam) inuolare in opes alienas, & pauperis necessitatem subleuare, nisi obtenta prius à legitimo Domino facultate. Impetrasti facultatem, iam ecce diuinum accedit pręceptũ, quo subuenire egenti debes. Rursum malè administratur aliqua Respublica. Tuum non est inuolare terminos alienos, & defectus ibidem admissos iudicialiter corrigere. Impetrasti Ius & facultatem à legitimo Principe, exercendæ etiam in alieno solo Iurisdictionis; iam ecce facultatem hanc ab homine precariò impetratam consequitur diuinũ præceptum, vt iustè eam Rempub. gubernes, &c. Ita etiam in proposito de Ecclesiasticæ Iurisdictionis vsu ratiocinandum est. Et huius generis innumera possunt exempla proferri, quibus tamen in tanta rei euidentia nil opus est.

Illud potius videamus, quod à natura petit argumentum. *Natura*, inquit, *cum finem præscribit, potentias etiam illi assequendo necessarias subministrat.* Ex quibus verbis hoc argumentum ille conficere videtur voluisse. Nunquam natura finem alicui rei præscribit, nisi vim etiam sufficientem addat, eum consequendi, minimè externa ope & auxilio indigam: sed natura cuiq; Reipub. hunc finem præstituit, vt in pace & tranquillitate viuens, omni bonorum etiam terrenorum copia abundet: Ergo eâdem naturâ duce, habebit quælibet vim sufficientem hunc finem obtinendi, minime externa ope indigam; ac proinde etiam statuendi de rebus & personis Ecclesiasticis ea, quæ ad Reipub. bonũ pertinent, nulla ab Ecclesię Rectoribus facultate impetrata.

Sed in hoc argumento maior propositio vniuersaliter sumpta, & ad quodlibet indiuiduum natura constans, vti debet, applicatum, est apertè falsa. Quoties enim natura in

in singularibus suo fine frustratur, quoties rem mancam & imperfectam edit, quæ finem suum assequi, aut nullo modo, aut certè nō sine externa ope potest? Quoties monstra parit, ad finem quidem ordinans, sed à fine & proposito finis desciscens?

Quoties res naturales licet in se planè perfectæ, propter extrinsecum obstaculum impediuntur, ne suum finem absque aliena ope assequantur? Nonne enim lapidis quodam̄odo finis est, vt in terra quiescat, & tamen quam innumeri lapides sunt, qui in tectis hærent, nec vnquam suum illum finem obtinere poterunt, nisi ope aliena adiuuentur? Nonne homo naturaliter ad virtutem & scientiam natus est? Et tamen quis hominum absq; ope aliena hunc finem assecutus est vnquam? Prodeat qui gloriari potest, se absq; lacte matris, absq; educatione Patris, sine Magistrorū institutione hunc finē obtinuisse. Imò è cæteris etiam animalibus quanta sunt, quę non aliena ope tantisper, dum iustam nacta sint ætatem, indigeant? Et quanta sunt etiam, quę licet iam perfecta, subito casu à spe & proposito finis sui naturalis decidunt? quot fame pereunt? quot ab ipsismet, inter se mutuo deuorantur, perimuntur, vt iam manca & mutila ad suum finem aspirare non audeant?

Imò nonne res omnes indigent influxu superiori vniuersalium causarum, cœlorum videlicet, ipsiusque Dei? Et nonne cœli ipsi motore alieno, iuxta Aristotelis Philosophiam, indigent, vt suo motu vitam & salutem rerum inferiorum ritè procurent? Et quod amplius est, nonne in ipsis Rebuspublicis iam dudum perijssent innumeræ, nisi petita & impetrata precariò aliena ope, suos nonnunquam fines, suaque Iura fuissent tutatæ? Nonne Paulus Venetus meminit, iam ipsam fortasse Rempub. Venetam non amplius staturam fuisse; nisi inprimis Pontificis autoritate

tate, consilio, ope, Turcarum vis eidem imminens fuisset repressa?

Et quid ergo sibi vult hoc argumentum: Natura præscribens rei alicui finem; eidem vim sufficientem addit nullius externæ opis indigam, qua eundem assequatur. Ergo Resp. cum opus est, sua autoritate de rebus & personis Ecclesiasticis iudicandi potestatem obtinet. Si hoc ita est, cur ergo in hoc mundo, & in ipsa quoq; natura, res aliæ alijs sunt ita subordinatæ, cur ita sibi pertinaciter inhærentes, nisi quia alia alterius ope subinde indiget? Patet, ergo, falsam esse propositionem illam argumenti superius propositi.

Sed dicet quispiam. Saltem ipsam naturam vniuersam ita secundum se perfectam esse, vt non egeat ope rei, extra omnem naturæ ordinem constitutæ; adeoque vt potestas temporalis indigeat potestate spirituali. Respondetur, & hoc falsum esse. Constat enim totam naturam creatam indigere ope & influxu ipsius Dei, tam vt sit, quam vt operetur. Constat etiam in Aristotelis Philosophia, nihil ordine recto in terris euenturum, nisi Angeli assistentes cœlos debito cum ordine circumagerent. Est autem Angelus agens non tam naturale, quam liberum, & quasi arbitrarium. Constat item in Theologia ex doctrina S. Thomæ, imo & sanctorum Patrum, nec ipsas quoq; naturales virtutum actiones hominem rectè & constanter obiturum, nisi aliquod extrinsecum & indebitum humanæ naturæ subsidium, adeoq; velut supernaturale diuinæ gratiæ adminiculum accederet. Constat deniq; ex eodem principio, nec ipsam quidem scientiam, rectè semper administrandi Rempublicam, ad finem etiam & felicitatem naturalem, absque diuini luminis & supernaturalis cuiusdam lucis interuentu obtineri posse. *Cogitationes enim mortalium timidæ,*

&

& incerta prouidentia nostra. Sap.9. Quod vel Ethnici ipsi intellexerunt, qui proinde in rebus quibusq; arduis, Dei, aut Deorum opem sibi efflagitandam, & ob hoc ipsum etiam vel maximè colendos esse Sacerdotes arbitrati sunt.

Deniq; supposita fide, certum est, temporalem felicitatem à supernaturalium etiam præceptorum obseruatione, cuius modum Ecclesiæ Rectores tradere ipso diuino Iure debent, pendere; cum & istorum contemptum Deus in hac etiam vita temporalibus calamitatibus soleat vindicare, vt magis patebit inferius. Quomodo ergo res inferiores non indigent ope rerum superioris ordinis? quomodo natura non indiget gratia? quomodo temporalis Reipub. felicitas non indiget ope potestatis Ecclesiasticæ? Lege hac de re lib.4. Reg. cap. 17.

Quod si maior propositio hoc modo formetur. Cum natura alicui rei finem præscribit, tunc saltem ius ei concedit, à nulla alia autoritate dependens, vt hunc suum finem obtineat, quibuscunq; medijs ad eum finem necessarijs. Respondeo, adhuc plusquam falsam esse maiorem. Sæpe enim res etiam merè naturales in eam necessitatem incidunt, vt planè ex ipso naturæ quodam̃odo Iure & inclinatione perire potius debeant, quam positum à natura ordinem peruertere. V. G. Aeri ignem circumstanti admodum foret necessarium ab eo se retrahere, ne corruptionem & naturalis sui status iacturam patiatur; atqui nullum naturæ Ius patitur, vt ab eo se propterea retrahat. Importunum admodum est aëri, vel aquæ secundum propriam naturæ inclinationem, vt ob vitandum vacuum ille descendat, hæc ascendat; attamen ipso velut naturæ Iure, contra suammet inclinationem, propter commune bonum naturæ, ille descendere, hæc ascendere debet & solet. Item duo sunt homines in extrema famis necessitate constituti,

quæ nulla poteſt alia ratione depelli, niſi alter in alterius carnes cruento ore graſſetur, & alterius nece ſuam vitam tueatur; an verò hoc quiſquam Iure fieri poſſe aſſeret?

Deniq; ſi quiduis eſſet licitum propria autoritate facere, ſine quo ſeipſum quiſq;, aut ſua iura tueri non poteſt, an non euerteretur omnis politicæ gubernationis autoritas, omniq; morum honeſtate proſtrata, furta, latrocinia, impunè dominarentur? Quid enim opus eſt autoritate publica magiſtratus, vt rem tuam tibi vendices, ſi propria potes autoritate vendicare? Quid læſi honoris reparationem in iudicio quærit, qui propria autoritate eam extorquere poteſt? Quid mendicus pane indigens, diuiti ſupplicat, ſi quiſq; propria autoritate, id quo carere non poteſt, ſibi meritò depoſcit? At alia eſt, inquis, Reipublicæ, alia priuatorum ratio. Eſt verò in alijs, in hoc per ſe nulla eſt. Nam & ipſa ſæpe rem, qua indiget, abſq; alterius facultate ſibi iure non vſurpat. Et ipſa incommoda ſæpe ſua iure non declinat, niſi poteſtate & ope aliena in ſubſidium precariò aduocata. Vno verbo nec ipſa iura aliena vſurpare ſibi, & inuadere poteſt, abſque legitima conceſſione, aut niſi præcedentia demerita ius inuadendi faciant. Quod nulla ratione vel in ſpeciem probabili ad propoſitum accommodari poteſt. Hic enim nec Ius adeſt defenſionis, vbi nulla vis vrgens: nec vindictæ, vbi nemo ſubditus, ideoq; nullum.

Dices. At Clerici in Repub. peccantes, iam ſunt ipſius quodammodo Reipub. violatores. Ergo ſaltem Iure defenſionis licitè inuaduntur. Reſpondetur, ſi Clericus in ipſo actu maleficij alicuius in Rempub. iniurioſi verſetur, ſi ærarium inuadat, ſi domum, ſi vxorem, ſi filiam cuiuſpiam ſacrilega cupiditate adoriatur, compeſcatur ſanè vis vigens;

vigens; nemo prohibet. At iam cessantem, nihilq; minus, quam flagitium cogitantē quo quæso Iure defensionis inuadis? quo Iure in carceres compingis, punis, perimis? An non huic adeò confictæ defensioni omnis ratio, ipsa natura, ipse quodammodo dies, in quo hæc aguntur reclamat! fucumq; illitum detrahunt?

At non puniuntur, inquis, ab Ecclesiastico magistratu. Hìc iam monendi, rogandi, instandi locus apud Ecclesiæ Rectores. Sed vide, ne quod Iuri, quod æquitati, quod sanctis Patribus, quod Ecclesiasticis Canonibus, quod ipsi rationi satis est, tuæ cupiditati & improuido zelo satis non sit. An est quæso in his omnibus, quæ hactenus contra istos malæ causæ Patronos disputata sunt, aliquid obscurum, anceps, dubium, aut adeò reconditum, vt non ipsa cuiusque hominis ratio clarè intelligat, perspiciat, perspectumque approbare debeat? Sed nimis in hoc F. Pauli discursu refutando prolixi fuimus; quod reliquum prosequamur.

Nam & aliud est, quod isti pro Iure Principis, contra Ecclesiasticorum à tributis immunitatem magnopere solent vrgere. Nonne, inquiunt, vtroq; Iure tam ciuili, quam Canonico, imò ipsa naturali æquitate iubente, res ad alienos dominos transeunt cum suis oneribus; adeo vt ne si velit quidem primus dominus & possessor, sua alienatione vllū possit creare præiudicium ei, qui in eadem re prius aliquod Ius habuerit; tantum abest, vt arbitratu & sententia Ecclesiastici Magistratus opus sit, ne eiusmodi Iuri quidpiam derogetur.

Sed isti profecto, ne quidquam dissimulem, arguta hac sua argumentatione, longius multò prouehuntur, quam aut fortasse ipsimet velint, aut Christiani & Catholici hominis officium vllo modo ferat.

Nam si bona & solida est hæc ratiocinatio, id maximè probat, quod nulli Catholico in menté venire potest, videlicet Ecclesiasticos nullo Iure, inuitis Principibus, exemptos esse à communibus tributorum pensitationibus; imò exemptionem hanc iniquam esse, & Iuri Principum aduersam, non solum ob particularem aliquam loci seu personarum circumstantiam, sed genere suo vniuerso. Quod sanè quisquis dicit, Catholicè non loquitur, de quo supra toto propemodum lib. 1. præcipue cap. 19. copiosè actum est. Cum igitur vel ex his plus nimio falsam esse hanc argumentationem constet, ei insuper rectà dissoluendæ hanc animaduersionem adijcio; nempe onera, quæ rebus adnectuntur, duorum esse generum.

Primum est eorum, quæ certo & imobili titulo nituntur, ita vt siue res, quibus annexa sunt, ad Laicos alios, siue ad Ecclesiasticos transeant, suum vbiq; titulum adnexi oneris circumferant; vt est onus pensionis censualis ex agro quopiam iusto pretio emptæ &c. Alterum genus est eorum, quæ non ita certo & immutabili titulo constant, quin si res ipsæ ad Ecclesiasticos transferantur, titulus ipse annexi oneris desinat. Et talia sunt onera tributorum de quibus loquimur. Cum res ciuium ad tributa soluenda Principi obnoxiæ sint, non ob aliquem titulum immobilem, puta factæ emptionis, locationis, donationis &c. qui tituli sua natura tales sunt, vt reuocari, vel abrogari non possint eo inuito, qui per illos Ius acquisiuit: Sed ea propriè de causa, quia sunt res subditorum Principis, qui eos ex officio gubernare debet; aut certè tales, quarum suprema dispositio ad Principé pertinet, vt per se notum est, & significat etiam apertè S. Paulus in epist. ad Rom. cap. 13. vbi tũ ex tributi pensitatione, velut ex signo probat, eos qui id pédant, regibus Iure subiectos esse debere; deinde causam præstandi

tribu-

tributi hanc ſolum comemorat, quòd Reges in hoc ſint miniſtri Dei, vt malos ſubditos etiam pœnarum timore coerceant, & ad honeſtatis ſtudium compellant. Vnde manifeſtè ſequitur, Regem tributa Iure non exigere, niſi à ſubditis, quos ſuo officio regere ipſe debet.

Verba Apoſtoli ſunt. *Dei enim miniſter eſt* (Princeps) *vindex in iram ei, qui malè agit. Ideo neceſsitate ſubditi eſtote, non ſolũ propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Ideo enim & tributa præſtatis. Miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſeruientes.* In quæ verba Cardinalis Toletus. *Cauſam*, inquit, *cur etiam propter conſcientiam ſubdi debeant Principibus, adiungit, eamq́; ſumit à ſigno quodam, quod eſt penſio tributorum. Senſus igitur eſt: Obedite etiam propter conſcientiam, & non ſolo metu, quia ipſis tributis, quæ exhibetis, & præſtatis illis, hoc ipſum cõfitemini; ideo enim ea præſtantur, quia ſunt miniſtri Dei in hoc ipſum incumbentes, nempe vt à malo timore deterreant, & ad bonum prouocent ſibi ſubiectos, ne eorum conſcientiæ polluantur ſceleribus, ſed virtutum operibus intendant. Tanquam ergo miniſtris veſtræ vtilitati inſeruientibus, tributa, quibus ſuſtentantur, ſecundum ſtatum ſuum ſoluitis. Quaſi dicat*, inquit S. Thomas in eundem locum, *Vnuſquiſq́; de ſuo miniſterio viuere debet, ſecundum illud 1. Cor. 9. Quis paſcit gregẽ & de lacte eius non edit? Et ideo cum Principes noſtri ſuo regimine Deo miniſtrent, à populo debent tributa ſuſcipere, quaſi ſtipendia ſui miniſterij, &c.*

Cum igitur nec res, nec perſonæ eccleſiaſticæ, Principis Iuriſdictioni ſeu regimiui ſubiectæ maneant, ac proinde titulus ille facta rerum trãſlatione ad Eccleſiaſticos deſinat, vt præcedente libro oſtenſum eſt, ſequitur conſequẽs inde onus tributi perſoluendi deſinere penitus & auferri, ſi ne vlla Principis iniuria, non minus, quàm ſi res ipſæ cum ſuis dominis penitus in alterius Principis dominium & Iuriſdictionem tranſirent.

Sed dices. Ergo iustè obstabit lege lata Princeps, ne talis fiat in Ecclesiasticos bonorum translatio. Respondetur, legem talem sine iniuria tàm Ecclesię, quàm ipsius Dei condi non posse, vt iam sæpius comprobatum est; vt planè manifestum sit, aliud remedium mali, si quod tali alienatione in Principem aut Rempub. fortè redundat (quod suo genere præ bono spirituali Ecclesiæ, nihili faciendum est) nõ aliunde, quã ex Ecclesiæ, ac inprimis summi Pontificis dispositione quærendum esse. Adde, cum subditi Principis serui vtiq; non sint, sed liberi, suorumq́; bonorum veri Domini, tale interdictum in ipsorummet etiam iniuriàm cessurum, qui ne bona sua in eiusmodi vsus tàm salutares, pro animæ salute expendant, non magis prohiberi à Laico magistratu possunt, quàm ne se ipsos Deo in religione perpetuò consecrent. A quo certè nullo Iure porhiberi possunt.

CAPVT XIV.

ECCLESIASTICI IVRIS ET LIBERTATIS VSVRPATIONEM ET VIOLATIONEM PERNICIOSAM ESSE STATVI TEMporali Reipublicæ, eius verò obseruationem admodum vtilem.

IAM olim Gentiles Christianis obiectabant, per Euangelium politias humanas, regna & Respublicas euerti; qua de causa etiam illos non leuiter persequebantur, vt notarunt Clemens Alexandrinus lib. 4. stromatum, Iustinus Martyr apolog. 2. ad Antoninum Imperatorem, Augustinus concione 31. in Psal. 118. Idem nunc Pseudopolitici quidam contra Ecclesiæ Instituta, speciatim verò contra Ius Ecclesiasticæ libertatis & immunitatis obijciunt. Nos verò hactenus satis copiosè

piosè ostendimus, hanc libertatem nihil penitus officere publicæ tranquillitati ac felicitati Reipub. Iam vero etiam ostendédum restat, eiusdem Iuris debitam obseruationem non modo nihil obesse, sed & plurimum prodesse Rebuspublicis.

Et res quidé tota paucissimis verbis confici facile posset, si ad veram felicitatem, in Christiana vita sitam, aduersarios vellemus adstringere. Vnicum tantum illis Augustinum opponeremus, qui ita hac de re disserit libro 4. de Ciuitat. cap. 3. *Vt enim facilius* (inquit, vera Reipublicæ felicitas) *diiudicetur, non vanescamus inani ventositate iactati, atque obtundamus intentionis aciem altisonis vocabulis rerum, cum audimus populos, regna, prouincias; sed duos constituamus homines. Nam singulus quisque homo, vt in sermone vna littera, ita quasi elementum est ciuitatis & regni, quantalibet terrarum occupatione latissimi. Quorum duorum hominum, pauperem vnum, vel potius mediocrem, alterum prædiuitem cogitemus: sed diuitem timoribus anxium, mæroribus tabescentem, cupiditate flagrantem, nunquam securum, semper inquietum, perpetuis inimicitiarum contentionibus anhelantem, augentem sanè his miserijs patrimonium suum in immensum modum, atque illis augmentis curas quoque amarissimas aggerantem: mediocrem verò illum re familiari parua atque succincta sibi sufficientem; charissimum suis cognatis, vicinis, amicis, dulcissima pace gaudentem, pietate religiosum, benignum mente, sanum corpore, vita parcum, moribus castum, conscientia securum. Nescio vtrum quisquam ita desipiat, vt audeat dubitare, quem præferat. Vt ergo in his duobus hominibus, ita in duabus familijs, ita in duobus populis, ita in duobus regnis regula sequitur æquitatis. Qua vigilanter adhibita, si nostra intentio corrigatur, facillimè videbimus vbi habitet vanitas, & vbi felicitas.*

tas. Quapropter si verus Deus colatur, atq; sacris, veracibus, & bonis moribus seruiatur, vtile est, vt boni longè latèq; diu regnent, neq; hoc tam ipsis, quam illis vtile est, quibus regnant. Nam quantum ad ipsos pertinet, pietas & probitas eorum, quæ magna dona Dei sunt, sufficit eis ad veram felicitatem, qua & ista vita bene agatur, & postea percipiatur æterna. Hæc igitur iuxta Augustinum vera felicitas est, terrena bona despicere, cœlestibus abundare; virtutes colere, iustitiam sectari.

Nã remota iustitia, inquit ibidẽ, *quid sunt regna, nisi magna latrocinia? quia & ipsa latrocinia quid sunt, nisi parua regna? Manus etenim ipsa hominũ est, cum imperio Principis regitur, pacto societatis astringitur, placiti lege præda diuiditur. Hoc malum si in tantũ perditorum hominum accessibus crescit, vt & loca teneat, sedes cõstituat, ciuitates occupet, populos subiuget, euidentius regni nomen assumit, quod ei iam in manifesto confert, non adempta cupiditas, sed addita impunitas. Eleganter enim, & veraciter Alexandro illi Magno, quidam comprehensus pirata respondit. Nam cum idẽ Rex hominem interrogasset, quid ei videretur, vt mare haberet infestũ? ille libera contumacia: Quid tibi,* inquit, *vt orbem terrarum? Sed quia id ego exiguo nauigio facio, latro vocor; quia tu magna classe, Imperator.*

Et lib. 5. de ciuitate cap. 24. Quæ sit Christianorum, & quam vera felicitas elegantissimè describens. *Neque enim nos,* inquit, *Christianos quosdam Imperatores ideo felices dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel imperantes filios morte placida reliquerunt, vel hostes Reipub. domuerunt, vel inimicos ciues aduersus se insurgentes, & cauere & opprimere potuerunt. Hæc enim & alia vitæ huius ærumnosæ vel munera, vel solatia, quidam etiam cultores dæmonum accipere meruerunt, qui non pertinent ad regnũ Dei, quò pertinẽt isti. Et hoc ipsius misericordia factum est, ne ab illo ista, qui in eum crederent, velut summa bona desiderarent. Sed felices eos dicimus, si iustè imperant; si inter linguas sublimiter hono-*

honorantium, & obsequia nimis humiliter salutantium, non extolluntur, sed se homines esse meminerunt; si suam potestatem ad Dei cultum maximè dilatandum, maiestati eius famulam faciunt; si Deũ timent, diligunt, colunt, si plus amant illud regnum, vbi non timent habere consortes. Si tardius vindicant, facilè ignoscunt; si eandem vindictam pro necessitate regenda tuendaq́; Reipub. non pro saturandis inimicitiarum odijs exerunt: Si eandem veniam, non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent; si quod asperè coguntur plerumq́; decernere, misericordiæ lenitate, & beneficiorum largitate compensant: si luxuria tanto eis est castigatior, quanto posset esse liberior. Si malunt cupiditatibus prauis, quã quibuslibet gentibus imperare. Et si hæc omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter charitatem felicitatis æternæ: si p̃ suis peccatis humilitatis, & miserationis, & orationis sacrificiũ Deo suo vero immolare non negligunt. Tales Christianos Imperatores dicimus esse felices; interim spe, postea re ipsa futuros, cum id quod expectamus aduenerit.

Sed ne istos Venetæ Reipub. defensores nimium coarctemus, & intra terminos, quos non ferunt, constringamus, loquamur sanè cum eis de felicitate tãtum temporali; nã nec quoad hanc, causa Ecclesiæ periclitatur. Si enim verum est, quod Christus adeo disertè promisit. Matth. 6. *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius; & hæc omnia adijcientur vobis*. Si verum est, quod sapiens monuit Prouer. 29. *Rex qui iudicat in veritate* (nulli iniuriam inferens) *pauperes, thronus eius in æternum firmabitur*. Si iuxta Ecclesiasticum cap. 10. *Regnum de gente in gentem transfertur, propter iniustitias, iniurias, contumelias, & diuersos dolos*. Si seriò Deus Reges per Dauidẽ Psal. 2. admonet: *Apprehendite disciplinã* (seu legem & institutum filij Dei, legisq́; Christianæ) *ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta*; quis dubitabit, vti quidem in cæteris rebus omnibus, ita vel maximè

erga Ecclesiam & Ecclesiasticos, quos non minus Christus, quam pupillam oculi sui tangi prohibet, iustitiæ obseruationem ad regnum felicitate etiam temporali stabiliendum facere?

Possent in hoc genere complura tum ex sacris, tum ex profanis historijs proferri. Sed hæc paucula sufficiant. Primus humanæ Monarchiæ author Nemrod, vt ex scriptura colligi potest, capite 10. Genesis, valde vtiq; studebat felicitati temporalis politiæ; suumq; Regni principiũ, Babylonem in vniuerso mundo celebrem reddere satagebat, cœpto turris ædificio, quod cœlum ipsum attingeret. Sed quia, vt Augustinus lib. 16. de ciuit. Dei, cap. 4. ait. *Superba hæc impietas* Deo vehementer displicuit, volentis quasi in cœlum vsq; extendere Iurisdictionis suæ terminos, immissa linguarum cõfusione, *diuisit eos Dominus ex illo loco in vniuersas terras, & cessauerunt ædificare ciuitatem*. Et iure quidem. *Quoniam*, vt inquit Augustinus ibidem, *dominatio imperantis in lingua est, ibi damnata est superbia, vt non intelligeretur iubens homini, qui noluit intelligere, vt obediret Deo iubenti, &c.* Ecce igitur quàm malè cessit hæc temeritas primo Monarchæ, dum studuit falcem in messem mittere alienam, & cœlo quodammodo regnare, qui terræ solum dominari natus erat.

Saul primus Regum Israël, à Deo peculiariter electus, à Samuele Propheta sanctissimè inunctus, qua ratione regnũ sibi, suisq; posteris perdidit, nonne hac vna, quod Laicus ipse in ecclesiastica & sacerdotalia munera se, quamquam bono zelo, nec omnino improbabili causa, contra Dei mãdatum, & Samuelis admonitionem, ingessit oblato sacrificio, quod extra peculiare priuilegium, solummodo à sacerdotibus offerri fas erat? Grauissimè hæc narrat sacra scriptura 1. Reg. 13. Cum enim dixisset ibi, Samuelem ad offeren-

offerendum ſacrificium, à Saule iuxta condictum ſeptem diebus exſpectatum in Galgala, nec tamen aduenisse, populumq; interim dilapſum, hæc de Saule ſubiungit: *Ait ergo, Saul: Afferte mihi holocauſtum, & pacifica. Et obtulit holocauſtum. Cumq; compleſſet offerens holocauſtum, ecce Samuel veniebat; & egreſſus eſt Saul obuiam ei, vt ſalutaret eum. Locutuſq; eſt ad eũ Samuel. Quid feciſti? Reſpondit Saul: Quia vidi, quòd populus dilaberetur à me, & tu non veneras iuxta placitos dies, porrò Philiſtiim congregati fuerant in Machmas, dixi: Nunc deſcendent Philiſtiim ad me in Galgala, & faciem Domini non placaui. Neceſſitate compulſus obtuli holocauſtum. Dixitq; Samuel ad Saul: Stultè egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, quæ præcepi tibi. Quod ſi non feciſſes, iam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum ſuper Iſraël in ſempiternum: ſed nequaquam regnum tuum vltra conſurget. Quæſiuit ſibi Dominus virum iuxta cor ſuum, & præcepit ei Dominus, vt eſſet Dux ſuper populum ſuum, eò quòd non ſeruaueris, quæ præcepit Dominus.* Ecce quam graui pœna Deus hanc temeritatem Regis Saulis vindicauit.

Quàm autem illud terribile eſt, quod primo Regum 6. & 1. Paralip. 13. legitur. Vehebatur arca Domini per fines Bethſamitarum, qui curioſius eam cum aſpexiſſent, incredibili pœna multati ſunt: Ita enim ſcriptura: *Porrò Bethſamitæ metebant triticum in valle, & eleuantes oculos ſuos, viderunt arcam, & gauiſi ſunt cum vidiſſent.* Hæc culpa Bethſamitarũ. Quæ pœna? *Percuſſit autem* (Dominus) *de viris Bethſamitibus, eò quòd vidiſſent arcam Domini, & percuſſit de populo ſeptuaginta viros, & quinquaginta millia plebis.* Planè admirabile eſt, quòd ob peccatum adeo in ſpeciem leue, tanta diuinitus vindicta exarſit, vt non immeritò dixerint Bethſamitæ: *Quis poterit ſtare in conſpectu Domini Dei ſancti huius? & ad quem adſcendet à nobis?* Et quãtò nos iuſtius dicemus:

Quis poterit non dico oculos, sed manus in Christos Domini, impunè mittere, de quibus ita grauiter cauit Deus: *Nolite tangere Christos meos?*

Nec minus illud mirabile, quod lib. 1. Paralip. cap. 13. legitur: Ozam ob eam tantum causam morte percussum fuisse, quod arcam Dei vacillantem tangere ausus est. *Cum autem peruenissent*, inquit scriptura, *ad aream Chidon, tetendit Oza manum suam, vt sustentaret arcam, bos quippe lasciuiens paulatim inclinauerat eam. Iratus est itaq; Dominus contra Ozam, & percussit eum, eò quod tetigisset arcam, & mortuus est ibi coram Domino.* Si Oza tendens manum ad arcam sustentandam morte punitus est; mittens manum ad Ecclesiæ Iura contemeranda, quàm pœnam sustinebit?

Ozias Rex Iuda, nonne ideo tantum infami lepra percussus fuit, quod Ius & potestatem sibi Ecclesiasticam arrogaret, adolere volens incensum, quod ei non licebat? Ita planè scriptura lib. 2. Paralip. c. 26. *Sed cum roboratus esset, eleuatum est cor eius in interitum suum, & neglexit Dominum Deum suum, ingressusq; templum Domini, adolere voluit incensum super altare thymiamatis. Statimq; ingressus post eum Azarias sacerdos, & cum eo Sacerdotes Domini octoginta, viri fortissimi, restiterũt Regi atq; dixerunt: Non est tui officij Ozia, vt adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad huiuscemodi ministerium; egredere de sanctuario, ne contempseris: quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo. Iratusq; Ozias, tenens in manu thuribulum, vt adoleret incensum, minabatur sacerdotibus. Statimq; orta est lepra in fronte eius, coram sacerdotibus, in domo Domini, super altare thymiamatis. Cumq; respexisset eum Azarias Pontifex, & oẽs reliqui Sacerdotes, viderunt leprã in fronte eius, & festinatò expulerunt eum. Sed & ipse perterritus accelerauit egredi, eò quod sensisset illicò plagam Domini.* Vides nec in veteri testamento contra improbitatem Regum defuisse

fuisse Sacerdotalem vigorem, & hunc ipsum Deo vindice mirabiliter propugnatum.

Deniq; vt verborum compendium faciam, Balthasar Rex Babylonis hac ipsa de causa regnum, vitamque amisit, quòd profanis vsibus vasa templi Hierosolymitani adhibuit. Ita enim legimus Danielis 5. *Balthasar Rex fecit grande conuiuium optimatibus suis mille: & vnusquisque secundum suam bibebat ætatem. Præcepit ergo iam temulentus, vt afferrentur vasa aurea, & argentea, quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius, de templo, quod fuit in Hierusalem, &c. Et biberunt in eis rex, & optimates eius, vxores & concubinæ illius, &c.* Sed quid sequitur? *Eadem nocte interfectus est Balthasar Rex Chaldæus. Et Darius Medus successit in regnum, &c.* Ecce quanta, quam subita conuersio rerum, imò euersio regni, vitæ, fortunarum ac bonorum omnium, propter res sacras sacrilegè tractatas. Vt non immerito ad Valentinianum Ambrosius dixerit epist. 33. *Noli te grauare Imperator, vt putes in ea, quæ diuina sunt, Imperiale aliquod Ius habere. Noli te extollere, si vis diutius imperare.*

Nec Heliodorus impune tulit, ærarium & deposita Hierosolymitani templi inuasisse; *Sed*, vt scriptura loquitur 2. Machab. 3. *Spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensionis euidentiam, ita vt omnes, qui ausi fuerant parere ei, ruentes Dei virtute, in dissolutionem & formidinem conuerterentur. Apparuit enim illis quidam equus terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatus: isq; cum impetu Heliodoro priores calces elisit, &c. Alij etiam apparuerunt duo iuuenes, virtute decori, optimi gloria, speciosiq; amictu; qui circumsteterunt eum, & ex vtraq; parte flagellabant, sine intermissione, multis plagis verberantes, &c.* Hæc pœna inuadentis bona libertatemq; Ecclesiæ; quæ si non semper ipsum scelus è vestigio comitatur, perpetuo tamen inultum esse non sinit, vt de Antiocho notat

eadem ſacra ſcriptura lib. 2. Machab. cap. 5. Sed iam etiam humanas nonnihil perluſtremus hiſtorias.

Et quia Defenſores iſti cauſæ Venetæ, inter alia Nicephori Phocæ, peſſimæ notæ Imperatoris, aliorumq; græcorum quorundam Imperatorum legibus, in Eccleſiaſticæ libertatis prçiudicium latis, moxq; iterum abrogatis, ſe tueri conantur, videamus, quid ipſius Nicephori Phocæ eius generis lex commodi, an incommodi, Regno attulerit, idq; nō è priuatorum iudicio, quibus regni ſtatus & negotia parū eſſent perſpecta, ſed ipſius Baſilij Imperatoris, & ſucceſſoris Phocę. Res planè digna, quæ non obiter, ſed exactè cognoſcatur. Ita autem refertur apud Balſamonem in Nomocanonem Photij, ad Canonem 1. & 2. Synodi Conſtantinopolitanæ: *Imperatoris autem domini Nicephori Phocæ nouella decernit, non eſſe de nouo conſtruenda monaſteria, vel xenodochia, vel noſocomia, vel alia ſancta & religioſa loca, ſed eorum quæ ſunt, curam geri oportere, & hæc expreſſè in fine adijcit. Quare ab hoc deinceps tempore, quod eſt VII. indictionis initium, nemini liceat nec loca, nec agros, ad monaſteria, vel gerocomia tranſmittere; ſed neque ad Metropolin, vel ad Epiſcopatum, neq; enim illis eſt hoc conducibile. Si quæ autem prædicta ſancta & religioſæ domus, vel Epiſcopatus & monaſteria, adeò malam adminiſtrationem, & prouidentiam ſortitæ ſunt, vt locis priuatæ deſtitutæq; ſint, ijs ſententia & examinatione Imperatoris eorum quæ ſufficiunt, acquiſitio non prohibebitur. Cellas autem, & quæ appellantur villas in deſertis ædificare, quæ non ad poſſeſſiones & agros alienos extenduntur, ſed ſolum monaſtico ambitui ſeorſum præſtituuntur, tantum abeſt vt volentibus prohibeamus, vt etiam in magna laude ponamus.* Hactenus impia nouella; nunc eius damnationem attende. *Quam quidem nouellam Porphyrogennetus dominus Baſilius nonus, ſua nouella ſuſtulit, menſe Aprili edita, indictione I. Anno 6495. quæ & hæc expreſſè continet; Imperium noſtrum,*

strum, quod à Deo profectum est, cum & à Monachis, quorũ pietas, & virtus est testata, & à multis alijs, legem de Dei Ecclesijs, & sanctis domibus, vel potius contra Dei Ecclesias, & sanctas earum domos, à Domino Nicephoro, qui imperio excessit conditam, præsentium malorum causam fuisse & radicem, & vniuersalis huius subuersionis, & confusionis, vt quæ ad iniuriã, & contumeliam non solum Ecclesiarum, & sanctarum domorum, sed etiam ad Dei ipsius facta sit, intellexisset, & maximè cum id reipsa expertum esset. Ex quo enim hæc lex est obseruata, nihil boni penitus in hodiernum vsq; diem vitæ nostræ occurrit; Sed contra, nullum penitus calamitatis genus defuit: Per præsentem auream bullam statuit, vt lex illa ab hoc præsenti die cesset, & deinceps infirma & irrita permaneat, & locum habeant, & in vsu sint, quæ de Dei Ecclesijs, & sanctis & religiosis domibus factæ sunt leges. Præterea scias, quod etiam beatissimus Imperator, dominus Emmanuel Comnenus, per iussionem, mens. Septembri indictione VII. editam, definijt, ne liceret vllis, qui immobilium donationes ab Imp. accepissent vel acciperent, ad alios transmittere, quam ad personas Senatorij ordinis, vel numeri militaris. Si autem præter hæc factum fuerit, immobilia ad publicum redeant. Similiter & mense Februario III. indictionis, noua quoq; eiusdem rei constitutio edita est, quæ eadem fermè complectitur. Quæ quidem omnia sublata sunt, per posteriorem bullam auream filij eius Porphyrogennetæ, & Imperatoris Domini Alexij Comneni, mense Februario editam, prædictæ indictionis, Anni 6691. Ita Balsamon. Et quis ergo adhuc audeat eiusmodi leges publica autoritate & execratione abrogatas & damnatas in Ecclesiasticæ libertatis præiudicium adducere?

Carolus Imperator, Magnus Ecclesiæ defensor & Patronus, multa quidem ad Ecclesiasticam disciplinam pertinentia statuit, sed non absque Romani Pontificis & Episcoporũ autoritate, vt partim lib. 1. cap. 9. luculenter ostensum

ſum eſt; partim ipſemet in præfatione legum capitularium fatetur his verbis: *Regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto in perpetuum, ego Carolus gratia Dei, eiusq́ misericordia donante, Rex & Rector Regni Francorum, & deuotus ſanctæ Eccleſiæ defenſor, humilisq́ adiutor, omnibus Eccleſiaſticæ pietatis ordinibus, ſeu ſæcularis potentiæ dignitatibus, in Chriſto Deo æterno, perpetuæ pacis & beatitudinis ſalutem. Conſiderans pacifico piæ mentis intuitu, vna cum ſacerdotibus & Conſiliarijs noſtris, abundantem in nos, noſtrumq́ populum Chriſti Regis clementiam, & quam neceſſarium eſt, non ſolum toto corde & ore pietati agere gratias inceſſanter, ſed etiam continua bonorum operum exercitatione eius inſiſtere laudibus, quatenus, qui noſtro regno tantos contulit honores, ſua protectione nos, noſtrumq́ regnum in æternum conſeruare dignetur. Quapropter placuit nobis, veſtram rogare ſolertiam, ô paſtores Eccleſiarum Chriſti, & ductores gregis eius, & clariſſima mundi luminaria, vt vigili cura, & ſedula admonitione, populum Dei, per paſcua vitæ æternæ ducere ſtudeatis, &c. ne lupus inſidians aliquem Canonicas ſanctiones transgredientem, vel paternas traditiones vniuerſalium Conciliorum excedentem, quod abſit, inueniens, deuoret, &c.*

Hic igitur Religioſiſſimus Imperator, qui abſq; Epiſcoporum conſenſu & autoritate de Eccleſiaſticis rebus nihil vnquam præſcripſit, quiq; in ſua etiam Regis ditione viuentes Epiſcopos rogare didicit, non regere, in ijſdem capitularibus, lib. 7. cap. 104. quantas calamitates in Rempub. inuehere ſoleant iniuriæ, Eccleſijs, & rebus ac perſonis Eccleſiaſticis irrogatæ, magno verborum pōdere commemorat. Poſtquam enim perpetua lege ſtatuit, vt Eccleſijs ſua bona, perſonis quibus locata fuerant, defunctis, ſemper vendicare integrum eſſet, vt lib. præcedenti vidimus, mox iſta ſubiungit: *Nouimus ergo multa regna & Reges eorum propterea cecidiſſe, quia Eccleſias ſpoliauerunt, resq́ earum vaſta-*

vastauerunt, abstulerunt, abalienauerunt, vel diripuerunt, Episcopisq́; & Sacerdotibus, atq́; quod magis est, Ecclesijs eorum abstulerunt, & pugnantibus dederunt. Quapropter nec fortes in bello, nec in fide stabiles fuerunt, nec victores extiterunt, sed terga multi vulnerati, & plures interfecti verterunt, regnaq́; & regiones, & quod peius est, regna cœlestia perdiderunt, atq́; proprijs hæreditatibus caruerunt, & hactenus carent. Quæ omnia vitantes, nec talia facere, nec consentire, nec infantibus, aut successoribus nostris exemplum dare volumus, sed quantum valemus & possumus, adiuncto Leonis Papæ, & omnium Episcoporum, quorum consilio vsi hoc egimus, spiritu, nostro spiritui, per Deum & omnium Sanctorum merita prohibemus, contestamur: quò nec talia faciant, vel facere volentibus cōsentiant, sed adiutores & defensores, atq́; sublimatores Ecclesiarum, & cunctorum seruorum Dei, pro viribus existant, nec in foueam, in quam prædicti Reges & regna ceciderunt, cadant, aut in profundū, quod absit, inferni demergantur. Et vt hæc deuotius per futura tempora conseruentur, præcipientes iubemus, vt nullus tam nostris, quā futuris temporibus, à nobis vel successoribus nostris, vllo vnquam tempore, absq́; consensu & voluntate Episcoporum, in quorum Parochijs esse noscuntur, res Ecclesiarum petere, aut inuadere vel vastare, aut quocunq; ingenio alienare præsumat. Quod si quis fecerit, tam nostris, quam & successorum nostrorum temporibus, pœnis sacrilegij subiaceat, & à nobis atq́; successoribus nostris, nostrisq́; iudicibus vel comitibus, sicut sacrilegus & homicida, vel fur sacrilegus puniatur, & ab Episcopis nostris anathematisetur, ita vt mortuus etiam sepultura, & cunctis Dei Ecclesiæ precibus, & oblationibus careat, nec eleemosynam suam quisquam recipiat. Quod autem maximum sacrilegiū sit, res Ecclesiæ auferre, alienare, vastare, vel subripi, maximè omnes scripturæ diuinæ testantur: Et B. Symmachus Papa synodali sententia cunctos feriendo, dicit; iniquum est, inquit, *& sacrilegij instar, vt quæ vel pro salute, vel pro requie animarum suarum vnusquisq́; venerabili Ecclesiæ pauperum contulerit, aut*

certè reliquerit, ab his quibus maximè seruari conuenerat, auferri, aut in aliud transferri, & multa sanctorum Canonum decreta, & sanctorum Patrum edicta, hæc eadem testantur, quæ scrutari & scire cupientibus perfacilè patent. Ita Carolus.

Qui hæc semel monuisse non contentus, mox cap. seq. eadem nou minus acriter inculcat: *Nam multæ regiones*, inquit, *quæ rerum Ecclesiarum inuasiones, vastationes, alienationes, vexationesq́; & Sacerdotum, reliquorumq́; seruorum Dei oppreßiones, vel quascunq́; iniurias, quæ iam dicta illicita, & adulteria, vel Sodomiticam luxuriam, vel commixtionem meretricum sectatæ fuerunt; nec in bello sæculari fortes, nec in fide stabiles perstiterũt, & qualiter Dominus talium criminũ patratoribus vltrices pœnas per Sarracenos, & alios populos venire & sentire permisit, cunctis earum gesta legentibus liquet, & nisi nos ab his caueamus, similia nobis superuenire non dubitamus, quia vindex est Dominus de his omnibus. Quapropter sciat vnusquisq́; subiectus, qui in vno ex his repertus, atque conuictus fuerit, & honores, si habet, omnes perdere, & in carcerem se, vsq́; ad iustam emendationem, atque per publicæ pœnitentiæ satisfactionem retrudi, & ab omni fidelium consortio fieri alienum: valde enim cauenda est illa fouea, in quam alios cecidisse cognouimus.* Hæc Christianissimus Rex.

Comprobant verò hoc Caroli iudicium ea, quæ posterius Gallijs euenisse historię Ecclesiasticæ, ac præcipue Acta Concilij Meldensis celebrati in Gallia, Anno Domini 845. referunt; è quibus operæ pretium est, Illustrissimum Baronium Cardinalem hæc eodem anno num. 33. recensentem audire: *Dum enim ijdem, qui in Concilio conuenerãt Episcopi, sacris Canonibus, iam consuetudine illapsa peccata emendare conantur, laborantq́; deformibus apponere medicamenta vulneribus, primùm causam detegunt, cur Deus iratus, dederit Regem cum Regno gentibus bellis aßiduis affligendum. Quænam fuerint peccata ista, quibus præ cæteris Deus redderetur infensus, ex eorũdem Patrũ*

Capitu-

Capitulis hic describemus; quo cautiores alieno periculo fiant, qui principatuum moderantur habenas, discantq; quam magno damno sui suorumq; Ecclesiastica Deo debita iura peruadant, caecaq; dominandi libidine violent sacra septa, Angelorum vallata custodia, atq; defensa; vt dum in sacra inconcessa sibi, manus injiciunt, barbaros ipsi sentiant veloces vltores, eosdemq; voraces atq; feroces & inexplebiles grassatores eorum sanguinis cupidissimos.

Sed quid opus est nouis eiusmodi testimonijs, facinus declamãtium, atq; detestantium Patrum? Nonne amplissimis tanquam in tabula expressum est notis, & viuis coloribus redditum, in praedecessorum Principum rebus gestis, tanquam è sublimi loco clamantibus illud Dauidicum: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram,* quomodo persequebatur vnus mille, & duo fugarent decem millia? Quamdiu enim defensores rerum Ecclesiasticarum, & propugnatores earum vixère Francorum Reges, vt Pipinus, & Carolus Magnus, qui legibus, armis, multoq; sanguine bona Ecclesiastica illibata seruarunt, redditi sunt omnes eorum hostes infirmi, & iugo submissi, propagatum est Regnum, nomenq; Francorum summa gloria toto orbe diffusum. Vbi verò direptione rerum Ecclesiarum aduersus Deum conflatum est bellum, imbelles populi, Reges socordes, & obtusa facta sunt arma; hostes verò eorum in capite, Sacerdotes verò gementes: inter quos & qui huic Meldensi Concilio interfuère Francorum Episcopi, has luctuosas emisère voces: *Magnoperè cauendum est, ne tam manifesta Religionis destructio, Regni huius fiat desolatio, cum manifestissimè scriptura demonstret, Ozam morte damnatum, quod arcam Domini, quasi cadentem, releuare voluit, quam vel contingere ei illicitum fuit.* Et paulò pòst acerbius ista deplorantes subijciunt.

Peruentum est siquidem ad nos, quod auditu lugubre, & dictu nefas, actuq; horribile, ac nimis triste dignoscitur, quia contra omnẽ

authoritatem, contra Patrum decreta, & totius Christianæ religionis consuetudinem, in monasterijs regularibus laici in medio Sacerdotum, & Leuitarum, aliorumq; religiosorum virorum, vt Domini ac Magistri resideant, & velut Abbates de illorum vita, & conuersatione decernant, eosq; diiudicent, ac regimina animarum, ac diuina eis secundum regulam, non solum sine præsentia, verumetiam sine conscientia Episcopi committant sacraria, & ita præsumptiuè doceant, qui noluerunt fieri discipuli veritatis, & saltu inordinato Magistri fiant erroris.

Quod quam temerario ausu præsumptum sit, omnis scripturarum demonstrat autoritas, adeo vt sicut scriptum est, nec in persecutione Dominica sine Ministris Pontificum Resp. ad comprehendendum dominum, quantò magis ad ordinanda diuina seruitia, auderet transmittere. Et inferius: *Quod non est aliud, nisi quod Ioannes dicit, cum venerit Antichristus, acturum: & nunc Antichristi videlicet isti, multi sunt, & q; Dominus secundum Marcũ: Cũ videritis abominationem desolationis stantem in loco, quo non debet: qui legit, intelligat: Verè enim ista est abominatio desolationis, non solũ religionis, sed etiam præsentis ac perpetuæ salutis, & nõ solum subditorum, ac talium apocryphorum doctorum, verum & Regis, & Regni primorum, huic detestabili inordinationi fautorum. Et quod adhuc habetur flebilius, quidam Episcoporum è vicino sedentes, & iuxta Prophetam, Canes muti non valentes latrare, nec opponere murum pro domo Israël, hæc scientes silent: & surda aure pertranseunt. Vnde & Zelo diuino succensi, auctoritate Dei, ex quo omnis paternitas secundum Apostolum, & in cælo, & in terra nominatur, decernimus, vt quidquid huiusmodi hactenus actum est, sacerdotali & regali vigore seu dispositione cassetur, &c.*

Et ad hæc pertinet, quod subijcitur aduersus Regem manus inijcientẽ in res ecclesiasticas, vnde ipsius regni certa ruina immineat;

Aiunt

Aiunt enim: Occasionem etiam & fomitem, vnde ordo Ecclesiasticus, & canonica forma, atq; monastica religio sæpe à superiori tempore, cum minus religiosos principes habuit, titubauit, & pene collabens deperijt, & iterum cum deuotos, & Dei Zelo feruentes Principes accipere meruit, resurrectione quadam reuixit, & vigorem recepit, & sui processus tempore ambulauit: quod non sine graui dolore & metu diuinæ vltionis dicimus, in vestri regiminis tempore, in destructionem, non ædificationem (sicut Paulus docuerat) accidisse conspicimus.

Et inferius in peruasores rerum ecclesiasticarum. Intercessionem fidelissimarum oblationum deleuerunt, quibus Ecclesiasticarũ rerum peruasores inconsulti, & in perniciem sui sine reuerentia abutuntur, quod ita verum esse vt dicimus, Dominus protestatur dicens; Peccata populi mei comedunt, qui contra autoritatem diuinam, res Ecclesiasticas indebitè peruadunt, & nec intercessionis ope, nec prædicationis consilio, vel quocunq; diuino auxilio pro peccatis eorum qui dederant, laborant, nec pio operi, ad quos fides fideliũ eas tradiderat, seruire permittunt. De quo periculoso facto, vos Principes Christianissimi, venerabiliter admonemus, & deuotissimè obsecramus, vt memores salutis vestræ, præsentis scilicet, & æternæ; memores etiam largitatis progenitorum vestrorum, erga sanctas Ecclesias, propter quam feliciter regnauerunt, & sibi cõtrarios superauerunt; memores siquidem cum quanta religione, etiam ante Christi sanguinem, in tempore famis in Aegypto, discretione sancti Ioseph, apud nefandum Regem Pharaonem, terra sacerdotalis extitit, &c. Pluribusq; insinuant, labefactari, perdiq; Regna, cum quæ sunt Sacerdotum, à Regibus peruadũtur. Insuper & alia Patres quæ decreta antea fuerant pro conseruatione rerum Ecclesiasticarum, in medium adducunt, quæ breuitatis causa recensere prætermittimus.

Eo autem progressa fuerant mala, vt (quod deterius videri poterat) quæ peregrinæ gentis erant sacræ hospitales domus in Gallia,

eadem ſpoliarentur bonis, quibus alendi erant peregrini. Acciderat enim, vt cum frequentiſsima eſſet peregrinatio eo tempore, ex Anglia potiſsimum, ad limina Apoſtolorum: Scotorum nonnulli ad eos excipiendos, per eam viam quæ ad vrbem ducit, conſtituerint domos hoſpitales cum redditibus ſuis. Has verò cum inuaſiſſent impij miniſtri regij, & redditus earum ſibi vendicaſſent, nec ſinerent eas ad vſum, cuius cauſa fuerant inſtitutæ, patere: in huiuſmodi immane ſcelus declamantes Epiſcopi, iſta ſubiecêre.

Admonenda eſt regia magnitudo de hoſpitalibus, quæ tempore prædeceſſorum ſuorum, & ordinata, & exculta fuerant, & modò ad nihilum ſunt redacta; ſed & hoſpitalia Scotorum quæ ſancti homines illius gentis in hoc Regno conſtruxerunt, & rebus pro ſanctitate ſua acquiſitis ampliauerunt, ab eodem hoſpitalitatis officio funditus ſunt alienata, & non ſolum ſuperuenientes in eadem hoſpitalia, non recipiuntur, verum etiam ipſi, qui ab infantia in iiſdem locis militauerunt, ex iiſdem eijciuntur, & oſtiatim mendicare coguntur, &c. Sunt & alia plura, quæ iidem Epiſcopi in ſynodo congregati libertate ſacerdotali perperam facta Regi ingerunt corrigenda, quæ tu conſulas.

Qui enim præ cæteris in ea ſynodo ſcientia eminebat Hincmarus Rhemenſis Epiſcopus, cæteros in ſuam trahens ſententiam, non ipſis tantum, ſed poſteris relinquens exemplum, dixit, in emendatione peccatorum Eccleſiæ filiorum, ab ipſis Regibus inchoandam eſſe correctionem, quæ ſi negligatur, vanus cedat omnis labor, de Eccleſia reformanda, ac bonis moribus inſtituenda ſuſceptus; fruſtraq; pariter tentetur placari numen offenſum, & immiſſa diuinitus damna vitari, niſi primum omnium, quo delinquunt Principes, corrigeretur. Hæc ex Concilio Meldenſi Cardinalis Baronius.

Cum autem hæc tam ſalutaria monita præſtantiſſimi Patres fruſtra inculcarent, & nihilo minus Eccleſiaſtica libertas in Gallijs, eo tempore, temerè proculcata iaceret, audi,

di, quid sub annũ Domini 850. num. 5. idem qui supra Annalium Ecclesiasticorum scriptor illustrissimus commemoret: *Hoc pariter anno*, inquit, *luctus & clamor ingens reperitur in Gallijs, ex Northmannorum noua facta incursione in Regnũ Caroli filij Ludouici Imp. cum ille timore concussus, consilij inops, eosdem in Regni consortes assumit, ea Regni parte illis concessa, quæ ab eorum nomine sumpto vocabulo, dicitur Normandia. Habent ista Annales veteres à Pithæo editi, verbis istis: Hoc anno octingentesimo quinquagesimo, Northmanni Godefrido Duce, per Sequanam ascendentes Regnum Caroli prædantur. Ad quorum expulsionem Lotharius in auxilium vocatus, cum sibi cum hoste pugnandum esse putaret, Carolus clam mutato consilio, Godefridum cum suis in societatem Regni suscepit, & terram eis ad habitandum delegauit. Lotharius verò aduentum suum illi superuacuum videns, ad ppria est reuersus.*

Vidisti degenerẽ à maiorum suorũ fortitudine Principẽ, Northmanno piratæ succũbere, & ab eodẽ turpiter adeò redimere pacem, Regni consortio. Vnde mala ista? Non aliunde quidẽ, nisi q à maiorũ pietate & ppenso Religionis cultu, per quẽ sibi illi Deũ conciliantes, facti sunt aduersus barbaros oẽs inuicti, reperiuntur hi fuisse degeneres. Francorũ tunc quidem enituit robur, cum in Regibus cultus pietatis excelleret; elanguit, cum defecit, & Ecclesiæ sunt prostitutæ Laicis. Quorum redditibus non sunt illi roborati vel erecti, sed eneruati, penitusq; depressi. Luxerunt ista, & aperuerunt ea Principibus ipsis Reuerendissimi Patres (vt vidimus) *in Meldensi Concilio, & ad putridum vulnus opportuna apposuère remedia. Sed recusauit ille ea omnino suscipere. Vnde iusto Dei iudicio factum est, vt qui latas à SS. Patribus leges subire renuit, coactus sit à Northmannis durissima suscipere iura; & qui Ecclesiarum bona Laicis tradebat, coactus sit sua largiri Northmanuis. Sed sicut nulla est secuta emendatio in Rege, ita nec quieuit Northmannorum flagellum in manu* DEI, *vt quæ suis locis dicturi sumus ostendent.*

Etenim

Etenim in omnibus semper vigens, nunquam senescens permanet sententia Achioris differentis cum Holoferne. Quod cum populus peccat in Deum suum, nullo negotio aduersus eum praualeant barbari. Secus verò si cultor sit religionis atq; iustitiæ, nullam esse gentem quæ possit illi resistere.

Vis videre, atq; certo discere experimento, pro pietate Regum de barbaris concedi victorias? Sicut cum Carolus bona Ecclesiarum Laicis, ipsis sui Regni comitib' dedit, coactus est sua dare Northmānis; ita contra cum Ramirus Rex in Hispania (vt vidimus) ipsum suum Regnum fecit pensione tributi esse vectigale Ecclesiæ S. Iacobi, retulit gloriosum triumphum, cum idem inuictum hactenus genus hominum superauit. De qua tanta victoria, breuiter ista Tudensis: Eius tempore Northmannorum classes per septentrionale mare ad litus Legionis Ciuitatis aduenerunt. Gens hæc est crudelissima, & in partibus nostris antea non visa. Quod Rex vbi comperit, aduersus eos cum exercitu suo venit, & multitudinem eorum vicit, & septuaginta naues illorum combussit, atq; multis ditatus diuitijs, ad propria incolumis reuersus est. Hæc ipse. Eadem & reliqui, vt Rodericus, & alij Historici, tum veteres, tum recentiores, qui prosecuti sunt res Hispaniarum. Ex his igitur opportunè rursus Dauidicum illud ad Principum aures importunius occinendum: Et nunc Reges intelligite: erudimini qui iudicatis terram. Psal. 2. Hęc Illustrissimus Annalium scriptor Baronius.

Particularia alia exempla maximarum calamitatum, quas male vsurpata Ecclesiastica Iurisdictio, & contempta Ecclesiastici magistratus autoritas peperit, refert Thomas Bozius de Iure status lib. 5. cap. 14. Ex quo hæc visum est describere: *Imperator Iustinianus, impellente coniuge Theodora, Syluerium Pontificem Roma expulit ac Vigilium contra substituendum curauit, insimulans falsissimè sanctissimum Præsulem, quod Gothis vrbem prodere moliretur. Eiectus est autem reuera, quod sanctissimus ille vir nollet Anthimum hæreticum restituere in sedem*

Constan

Constantinopolitanam, è qua fuerat ob hæresin deiectus, cuius restitutionem pollicitus fuerat Vigilius. Præterea verò vt Apostolicum thronũ redigeret in suam potestatẽ, suiq́; studiosos haberet, & fidem conciliaret impijs actionibus, edixit, ne Pontifex Romanus posthac electus ipso inconsulto consecraretur. Hæc Liberatus latè in Breuiario, Anastasius in vita Syluerij, Procopius in libro belli Gothici. Videamus, omnia secus, atq; voluit Iustinianus euenisse.

Ac primũ quidem Gothi, post hæc scelera patrata à Iustiniano, Romam cœperunt, ac magna ex parte demoliti sunt, & innumeras Italiæ vastitates attulerunt, quas latè Procopius describit: neq; tamen ijs vrbem prodidit Pontifex Romanus, neq; prodere poterat, cum fuisset vrbe abductus.

Secundum, noluit vnquam Vigilius assentiri, vt Anthimus restitueretur, quamuis omnia tentarentur, ob eam causam, fueritque ille varijs modis exagitatus, vt memorati scriptores narrant: sic itaq; Theodoræ secus accidit, quam putaret, expulso Pontifice Romano, & reducta in seruitutem Apostolica sede.

Tertium, veluti nihil aduersus Imperatorem fuerant Romani Pontifices antea machinati in Italia, ac reliquis imperij locis; postquam tamen hoc prætextu falso ausus est Iustinianus, cuius impium edictum secuti sunt multi ex Imperatoribus sequentibus, adducere in seruitutem quandam sedis Apostolicæ maiestatem, non modo Longobardi maximam, pulcherrimamq́; Italiæ partem ceperunt, euocati, vel permissi irrumpere in Italiam à Narsete, sed etiam Persæ in confinibus multa inuaserunt; Saluiniq́, atq; aliæ Borealium nationes Danubio transmisso, loca imperij plurima multis modis infesta habuerunt. Quæ refert non modo idem Procopius libris de bello Persico, sed Agathias etiam temporis illius scriptor, & Euagrius lib. 4. c. 14. Ipse autem Iustinianus in hæresin lapsus, & extremis vitæ diebus in amentiam versus, innumeris obrutus calamitatibus decessit, Tyrannidis rapacissimæ & efferatissimæ ab Euagrio lib. 4. cap. 20. Suida, & alijs notatus. Quin Heraclio sedente, Mahometes

afſeclas temerè vſurpauerat, reclamantibus licet melioris notæ Epiſcopis, vt ex Seuero lib. 2. refert ibidem Cardinalis Baronius. *Priſcillianus*, inquit, *ne ab Epiſcopis audiretur, ad Principem prouocauit, permiſſumq́; id noſtrorum inconſtantiâ; quia aut ſententiam irrefragantem ferre debuerat; aut ſi hi ipſi ſuſpecti habebantur, alijs Epiſcopis audientiam reſeruare, non cauſam Imperatori de tam manifeſtis criminibus permittere. Addit etiam inferius, Martinum Epiſcopum, virum planè Apoſtolis conferendum non deſijſſe increpare Ithacium* (Epiſcopum) *vt ab accuſatione* (Priſcilliani eiuſq; ſociorum Epiſcoporum, & ſacerdotum quantumuis hæreſi infectorum, apud ſæcularem magiſtratum) *deſiſteret; Maximum verò orare, vt ſanguine infelicium abſtineret; ſatis ſuperq́; ſufficere, vt Epiſcopali ſententia hæretici iudicati, Eccleſijs pellerentur; nouum eſſe & inauditum nefas, vt cauſas Eccleſiæ Iudex ſæculi iudicaret, &c.* Sed his non obſtantibus, Maximus Priſcillianum, eiuſq; complices etiam Epiſcopos, Sacerdotes, & Clericos, gladio vindici addixit, nullo Eccleſiæ bono, magno ſuo malo, vt inferius dicetur.

At verò Theodoſius ſub idem tempus, vt ſaluum Eccleſiæ ius tueretur, improbiſq; etiam Epiſcoporum quorundam machinationibus obſiſteret, qui contra præſcriptum Canonum Clericos ad ſæcularia iudicia pertrahebant, hanc in Oriente legem ſanxit, vt ex Codice Theodoſiano lib. 3. de Epiſcoporum Iudicijs refert citato loco Cardinalis Baronius. *Grauiter admodum mota eſt noſtra Clementia, quadam ab his, qui Epiſcoporum ſibi nomina vendicant, perpetrata, & contra leges non minus diuinas, quàm humanas improba temeritate commiſſa, vexatos etiam nonnullos Orthodoxorum Clericos, quorum ætas huic iniuriæ à Sacerdotio repugnabat, fatigatos itineribus, quæſtionarijs deditos, atq; hæc omnia per eos commiſſa, qui ad tegumenta frontis Sacerdotij nominis titulos præferebant.*

ferebant. Denique lectis in consistorio precibus, quibus Episcopalis pietas aliquid postulans refragatur, denegatq́: idcirco continua lege sancimus, nomen Episcoporum, vel eorum qui Ecclesiæ necessitatibus seruiunt, ne ad iudicia siue ordinariorum, siue extraordinariorum Iudicum pertrahatur. Habent illi Iudices suos, nec quicquam his publicis commune cum legibus, quantum ad causas tamen Ecclesiasticas pertinet, quas decet Episcopali autoritate decidi. Quibuscunq́ igitur mota fuerit quæstio, quæ ad Christianam pertineat sanctitatem, eos decebit sub eo Iudice litigare, qui Præsul est in suis partibus omnium Sacerdotum, id est, per Aegypti diœcesin, Optate carissime ac iucundissime. Quare laudabilis authoritas tua arbitrio temperato, quicquid negotiorum aliunde incidet, terminabit, habituro Pontificium sacræ disceptationis Timotheo Episcopo, quem sibi omnes etiam suo iudicio prætulere: est enim vir cum omnium Sacerdotum susceptatione venerandus, tum etiam nostro iudicio approbatus. Hucusq; Theodosij rescriptum, quod vtcunq; mendis sit deprauatum, perspicuè tamen illud insinuat, iudicia Ecclesiastica per Episcopos esse tractanda. Ita Cardinalis Baronius, qui mox ista ad propositum nostrum subnectit.

Hic lector, accuratè hominum primum, ac subinde Dei contemplare indicium. Duo enim hîc habes eodem prope narrationis contextu, in eadem fermè causa, Imperatorum exempla, nempe Theodosij Augusti, atque Maximi, Tyranni potius digni nomine; quibus ab ijsdem personis, nempe prauis Episcopis, aduersus alios collegas importuna est facta suggestio. Maximus sibi arrogat causam Episcoporum, defert appellationi hæresiarchæ, iudicat causam, adulteros legibus sæculi gladio vindici subijcit; quod iustè irrogatum supplicium rei multorum scelerum meruissent. Sic planè iudicat Maximus.

Theodosius verò longè diuersè; quippe qui infensissimo primum accepit animo, Episcopos deferre ad præfectos, vel ipsum Imperatorem,

authoritatem, contra Patrum decreta, & totius Christianæ religionis consuetudinem, in monasterijs regularibus laici in medio Sacerdotum, & Leuitarum, aliorumq́ religiosorum virorum, vt Domini ac Magistri resideant, & velut Abbates de illorum vita, & conuersatione decernant, eosq́ diiudicent, ac regimina animarum, ac diuina eis secundum regulam, non solum sine præsentia, verumetiam sine conscientia Episcopi committant sacraria, & ita præsumptiuè doceant, qui noluerunt fieri discipuli veritatis, & saltu inordinato Magistri fiant erroris.

Quod quam temerario ausu præsumptum sit, omnis scripturarum demonstrat autoritas, adeo vt sicut scriptum est, nec in persecutione Dominica sine Ministris Pontificum Resp. ad comprehendendum dominum, quantò magis ad ordinanda diuina seruitia, auderet transmittere. Et inferius: *Quod non est aliud, nisi quod Ioannes dicit, cum venerit Antichristus, acturum: & nunc Antichristi videlicet isti, multi sunt, & q̀ Dominus secundum Marcũ: Cũ videritis abominationem desolationis stantem in loco, quo non debet: qui legit, intelligat: Verè enim ista est abominatio desolationis, non solũ religionis, sed etiam præsentis ac perpetuæ salutis, & nõ solum subditorum, ac talium apocryphorum doctorum, verum & Regis, & Regni primorum, huic detestabili inordinationi fautorum. Et quod adhuc habetur flebilius, quidam Episcoporum è vicino sedentes, & iuxta Prophetam, Canes muti non valentes latrare, nec opponere murum pro domo Israël, hæc scientes silent: & surda aure pertranseunt. Vnde & Zelo diuino succensi, auctoritate Dei, ex quo omnis paternitas secundum Apostolum, & in cælo, & in terra nominatur, decernimus, vt quidquid huiusmodi hactenus actum est, sacerdotali & regali vigore seu dispositione cassetur, &c.*

Et ad hæc pertinet, quod subijcitur aduersus Regem manus inijcientẽ in res ecclesiasticas, vnde ipsius regni certa ruina immineat;

Aiunt

Aiunt enim: Occasionem etiam & fomitem, vnde ordo Ecclesiasticus, & canonica forma, atq; monastica religio sæpe à superiori tempore, cum minus religiosos principes habuit, titubauit, & pene collabens deperijt, & iterum cum deuotos, & Dei zelo feruentes Principes accipere meruit, resurrectione quadam reuixit, & vigorem recepit, & sui processus tempore ambulauit: quod non sine graui dolore & metu diuinæ vltionis dicimus, in vestri regiminis tempore, in destructionem, non ædificationem (sicut Paulus docuerat) accidisse conspicimus.

Et inferius in peruasores rerum ecclesiasticarum. Intercessionem fidelissimarum oblationum deleuerunt, quibus Ecclesiasticarũ rerum peruasores inconsulti, & in perniciem sui sine reuerentia abutuntur, quod ita verum esse vt dicimus, Dominus protestatur dicens; Peccata populi mei comedunt, qui contra autoritatem diuinam, res Ecclesiasticas indebitè peruadunt, & nec intercessionis ope, nec prædicationis consilio, vel quocunq; diuino auxilio pro peccatis eorum qui dederant, laborant, nec pio operi, ad quos fides fideliũ eas tradiderat, seruire permittunt. De quo periculoso facto, vos Principes Christianissimi, venerabiliter admonemus, & deuotissimè obsecramus, vt memores salutis vestræ, præsentis scilicet, & æternæ; memores etiam largitatis progenitorum vestrorum, erga sanctas Ecclesias, propter quam feliciter regnauerunt, & sibi cõtrarios superauerunt; memores siquidem cum quanta religione, etiam ante Christi sanguinem, in tempore famis in Aegypto, discretione sancti Ioseph, apud nefandum Regem Pharaonem, terra sacerdotalis extitit, &c. Pluribusq; insinuant, labefactari, perdiq; Regna, cum quæ sunt Sacerdotum, à Regibus peruadũtur. Insuper & alia Patres quæ decreta antea fuerant pro conseruatione rerum Ecclesiasticarum, in medium adducunt, quæ breuitatis causa recensere prætermittimus.

Eo autem progressa fuerant mala, vt (quod deterius videri poterat) quæ peregrinæ gentis erant sacra hospitales domus in Gallia,

eadem spoliarentur bonis, quibus alendi erant peregrini. Acciderat enim, vt cum frequentissima esset peregrinatio eo tempore, ex Anglia potissimum, ad limina Apostolorum: Scotorum nonnulli ad eos excipiendos, per eam viam quæ ad vrbem ducit, constituerint domos hospitales cum redditibus suis. Has verò cum inuasissent impij ministri regij, & redditus earum sibi vendicassent, nec sinerent eas ad vsum, cuius causa fuerant instituta, patere: in huiusmodi immane scelus declamantes Episcopi, ista subiecêre.

Admonenda est regia magnitudo de hospitalibus, quæ tempore prædecessorum suorum, & ordinata, & exculta fuerant, & modò ad nihilum sunt redacta; sed & hospitalia Scotorum quæ sancti homines illius gentis in hoc Regno construxerunt, & rebus pro sanctitate sua acquisitis ampliauerunt, ab eodem hospitalitatis officio funditus sunt alienata, & non solum superuenientes in eadem hospitalia, non recipiuntur, verum etiam ipsi, qui ab infantia in ijsdem locis militauerunt, ex ijsdem eijciuntur, & ostiatim mendicare coguntur, &c. Sunt & alia plura, quæ ijdem Episcopi in synodo congregati libertate sacerdotali perperam facta Regi ingerunt corrigenda, quæ tu consulas.

Qui enim præ cæteris in ea synodo scientia eminebat Hincmarus Rhemensis Episcopus, cæteros in suam trahens sententiam, non ipsis tantum, sed posteris relinquens exemplum, dixit, in emendatione peccatorum Ecclesiæ filiorum, ab ipsis Regibus inchoandam esse correctionem, quæ si negligatur, vanus cedat omnis labor, de Ecclesia reformanda, ac bonis moribus instituenda susceptus; frustraq́; pariter tentetur placari numen offensum, & immissa diuinitus damna vitari, nisi primum omnium, quo delinquunt Principes, corrigeretur. Hæc ex Concilio Meldensi Cardinalis Baronius.

Cum autem hæc tam salutaria monita præstantissimi Patres frustra inculcarent, & nihilo minus Ecclesiastica libertas in Gallijs, eo tempore, temerè proculcata iaceret, au-

di,

di, quid sub annũ Domini 850. num. 5. idem qui supra Annalium Ecclesiasticorum scriptor illustrissimus commemoret: *Hoc pariter anno*, inquit, *luctus & clamor ingens reperitur in Gallijs, ex Northmannorum noua facta incursione in Regnũ Caroli filij Ludouici Imp. cum ille timore concussus, consilij inops, eosdem in Regni consortes assumit, ea Regni parte illis concessa, quæ ab eorum nomine sumpto vocabulo, dicitur Normandia. Habent ista Annales veteres à Pithæo editi, verbis istis: Hoc anno octingentesimo quinquagesimo, Northmanni Godefrido Duce, per Sequanam ascendentes Regnum Caroli prædantur. Ad quorum expulsionem Lotharius in auxilium vocatus, cum sibi cum hoste pugnandum esse putaret, Carolus clam mutato consilio, Godefridum cum suis in societatem Regni suscepit, & terram eis ad habitandum delegauit. Lotharius verò aduentum suum illi superuacuum videns, ad ꝓpria est reuersus.*

Vidisti degenerẽ à maiorum suorũ fortitudine Principẽ, Northmanno piratæ succũbere, & ab eodẽ turpiter adeò redimere pacem, Regni consortio. Vnde mala ista? Non aliunde quidẽ, nisi ꝙ à maiorũ pietate & ꝓpenso Religionis cultu, per quẽ sibi illi Deũ conciliantes, facti sunt aduersus barbaros oẽs inuicti, reperiuntur hi fuisse degeneres. Francorũ tunc quidem enituit robur, cum in Regibus cultus pietatis excelleret; elanguit, cum defecit, & Ecclesiæ sunt prostitutæ Laicis. Quorum redditibus non sunt illi roborati vel erecti, sed eneruati, penitusq́ depressi. Luxerunt ista, & aperuerunt ea Principibus ipsis Reuerendissimi Patres (vt vidimus) *in Meldensi Concilio, & ad putridum vulnus opportuna apposuêre remedia. Sed recusauit ille ea omnino suscipere. Vnde iusto Dei iudicio factum est, vt qui latas à SS. Patribus leges subire renuit, coactus sit à Northmannis durissima suscipere iura; & qui Ecclesiarum bona Laicis tradebat, coactus sit sua largiri Northmanuis. Sed sicut nulla est secuta emendatio in Rege, ita nec quieuit Northmannorum flagellum in manu* DEI, *vt quæ suis locis dicturi sumus ostendent.*

Etenim

Etenim in omnibus semper vigens, nunquam senescens permanet sententia Achioris differentis cum Holoferne. Quod cum populus peccat in Deum suum, nullo negotio aduersus eum præualeant barbari. Secus verò si cultor sit religionis atq; iustitiæ, nullam esse gentem quæ possit illi resistere.

Vis videre, atq; certo discere experimento, pro pietate Regum de barbaris concedi victorias? Sicut cum Carolus bona Ecclesiarum Laicis, ipsis sui Regni comitib⁹ dedit, coactus est sua dare Northmãnis; ita contra cum Ramirus Rex in Hispania (vt vidimus) ipsum suum Regnum fecit pensione tributi esse vectigale Ecclesiæ S. Iacobi, retulit gloriosum triumphum, cum idem inuictum hactenus genus hominum superauit. De qua tanta victoria, breuiter ista Tudensis: Eius tempore Northmannorum classes per septentrionale mare ad litus Legionis Ciuitatis aduenerunt. Gens hæc est crudelissima, & in partibus nostris antea non visa. Quod Rex vbi comperit, aduersus eos cum exercitu suo venit, & multitudinem eorum vicit, & septuaginta naues illorum combussit, atq; multis ditatus diuitijs, ad propria incolumis reuersus est. Hæc ipse. Eadem & reliqui, vt Rodericus, & alij Historici, tum veteres, tum recentiores, qui prosecuti sunt res Hispaniarum. Ex his igitur opportunè rursus Dauidicum illud ad Principum aures importunius occinendum: Et nunc Reges intelligite: erudimini qui iudicatis terram. Psal. 2. Hęc Illustrissimus Annalium scriptor Baronius.

Particularia alia exempla maximarum calamitatum, quas male vsurpata Ecclesiastica Iurisdictio, & contempta Ecclesiastici magistratus autoritas peperit, refert Thomas Bozius de Iure status lib. 5. cap. 14. Ex quo hæc visum est describere: *Imperator Iustinianus, impellente coniuge Theodora, Syluerium Pontificem Roma expulit ac Vigilium contra substituendum curauit, insimulans falsissimè sanctissimum Præsulem, quod Gothis vrbem prodere moliretur. Eiectus est autem reuera, quod sanctissimus ille vir nollet Anthimum hæreticum restituere in sedem*

Constan

Constantinopolitanam, è qua fuerat ob hæresin deiectus, cuius restitutionem pollicitus fuerat Vigilius. Præterea verò vt Apostolicum thronũ redigeret in suam potestatẽ, suiq; studiosos haberet, & fidem conciliaret impijs actionibus, edixit, ne Pontifex Romanus posthac electus ipso inconsulto consecraretur. Hæc Liberatus latè in Breuiario, Anastasius in vita Sylucrij, Procopius in libro belli Gothici. Videamus, omnia secus, atq; voluit Iustinianus euenisse.

Ac primũ quidem Gothi, post hæc scelera patrata à Iustiniano, Romam cœperunt, ac magna ex parte demoliti sunt, & innumeras Italiæ vastitates attulerunt, quas latè Procopius describit: neq; tamen ijs vrbem prodidit Pontifex Romanus, neq; prodere poterat, cum fuisset vrbe abductus.

Secundum, noluit vnquam Vigilius assentiri, vt Anthimus restitueretur, quamuis omnia tentarentur, ob eam causam, fueritque ille varijs modis exagitatus, vt memorati scriptores narrant: sic itaq; Theodoræ secus accidit, quam putaret, expulso Pontifice Romano, & reducta in seruitutem Apostolica sede.

Tertium, veluti nihil aduersus Imperatorem fuerant Romani Pontifices antea machinati in Italia, ac reliquis imperij locis; postquam tamen hoc prætextu falso ausus est Iustinianus, cuius impium edictum secuti sunt multi ex Imperatoribus sequentibus, adducere in seruitutem quandam sedis Apostolicæ maiestatem, non modo Longobardi maximam, pulcherrimamq; Italiæ partem ceperunt, euocati, vel permissi irrumpere in Italiam à Narsete, sed etiam Persæ in confinibus multa inuaserunt; Saluiniq;, atq; aliæ Borealium nationes Danubio transmisso, loca imperij plurima multis modis infesta habuerunt. Quæ refert non modo idem Procopius libris de bello Persico, sed Agathias etiam temporis illius scriptor, & Euagrius lib. 4. c. 14. Ipse autem Iustinianus in hæresin lapsus, & extremis vitæ diebus in amentiam versus, innumeris obrutus calamitatibus decessit, Tyrannidis rapacissimæ & efferatissimæ ab Euagrio lib. 4. cap. 20. Suida, & alijs notatus. Quin Heraclio sedente, Mahome-

tes & Saraceni, qui merebantur eius stipendia, desciuerunt ab obedientia, sectamq́; impiam conflantes, orientem totum Africamq́; occuparunt: ac plerunq́; nihil est actum, quin aliquis imperij Dux fidem proderet, & arma aduersus Imperatorem ferret. quod cognosci potest è Paulo Diacono à lib. 18. vsq; ad finem, Zonara, Cedrenoq́; Annalium 3. tomo. Atq; ita apparuit, non Sacerdotes & Pontifices esse proditores, sed ipsos Duces sæculares.

Sic igitur Iustinianus cum suis contraria prorsus est sortitus eorum, quæ cogitauit, expellens Sylucrium, thronumq́; Apostolicum redigens in quandam seruitutẽ potentiæ sæcularis. Durauit impium Iustiniani decretum, quo Rom. Pontificis consecrationem impediebat, vsq; ad Constantinum Pogonatum, qui liberam statuit esse Pontificis consecrationem. Per eum submoti vltra Armeniam, Cappadociam, Ciliciam, Libanumq́; Arabes, ac tributum dare coacti. At eius filius Iustinianus quamdiu perstitit in fide, Mediam, Albaniam, Hircaniam, reliquasq́; Armeniæ regiones recuperauit, vt lib. 19. Paulus Diaconus refert: quin si Bedæ, qui sub hæc tempora vixit, credimus, & Africa est recepta.

Secundum sit exemplum Othonis primi; hic enim depulso per factionem Ioanne XII. statuit, ne Pontifex esset, nisi quem ipse delegisset, eo prætextu, quasi Ioannes seditiones in ipsum commoueret, ac rebelles foueret, reuerâ tamen, vt Ecclesiasticam potestatem prorsus sibi subijceret, ea de caussa asserens, id à se constitutum, ne quid dißidij nasceretur in electione & schismatis. Atque ex eo tempore discessere ab ipsius, filiorumq́; imperio, Dani, Bohemi, Poloni, Baioarij, Belgæ, vt ostendimus lib. 7. de ruinis gentium.

Gulielmus præterea filius Othonis primi, Archiepiscopus Moguntinus, Patrem excommunicauit, quod haberet in matrimonio Adheleida commatrem, ab eodemq́; illi prædictum est fore, vt die Pentecostes de improuiso moreretur, & ante Christi tribunal de suis actionibus rationem redditurus staret, quæ Petrus Damiani narrat.

Et

Et quando hac mente asseruit, ad se transtulisse contra omne Ius electionem Pontificis Romani, ne schisma oriretur, ex eo tempore, quamdiu electio libera non fuit, plura sunt oborta in Pontifice eligendo schismata, quam vel prius, vel postea, vt notauimus signo 81. de cura Papa in Catholicis tuendis, capite 4. ad finem.

Tertium sit experimentum, cum Henricus III. Germania Rex, Imperator autem II. Gregorium VI. sede expulit per vim, quod diceret, eum per Simoniam creatum, rursusq; ad se, ac suos successores electionem Romani Pontificis auertere est conatus, & ad abusus, vt ipse iactabat, Simoniasque tollendas, ausus est vsurpare contra omne ius potestatem instituendi Clericos in beneficijs, Abbatijs, & Episcopatibus, cum nullo id modo fieri posset, neq; Clericis vllum ius foret, nisi quantum Sacerdotes, alijq; ad quos ea res pertineret iure diuino, factum Imperatoris approbarent.

Verum tantum abfuit, vt abusus ac Simonia tollerentur, vt nullo vnquã tempore magis Simonia locus fuerit inter Christianos, ac passim Sacerdotes intrusi in beneficia concubinas haberent, quasi iustas vxores in Matrimonium, qua testantur omnia Germani scriptores Lambertus Schafnaburgensis, & Marianus Scotus, qui temporibus his vixère ab anno millesimo, quadragesimo septimo, vsq; ad millesimum septuagesimum septimum. Otho Frisingensis lib. 6. c. 32. quos Crantius & alij sequuntur. Hactenus Thomas Bozius.

Multum etiam ad propositum facit ea, quam inter Maximum Tyrannum, & Theodosium Imperatorem sub annũ 385. Illustrissimus Annalium scriptor comparationem instituit. Ille in Occidente, partim imprudenti zelo religionis, partim inconsulta quorundam Episcoporum lenitate, aliorum etiam temeraria machinatione, partim ipsorum reorum appellatione seductus, iudicium sibi in Priscillianum Episcopum hæreticũ, aliosq; Ecclesiasticos eius erroris

aſſeclas temerè vſurpauerat, reclamantibus licet melioris notæ Epiſcopis, vt ex Seuero lib. 2. refert ibidem Cardinalis Baronius. *Priſcillianus,* inquit, *ne ab Epiſcopis audiretur, ad Principem prouocauit, permiſſumq́; id noſtrorum inconſtantiâ; quia aut ſententiam irrefragantem ferre debuerat; aut ſi hi ipſi ſuſpecti habebantur, alijs Epiſcopis audientiam reſeruare, non cauſam Imperatori de tam manifeſtis criminibus permittere. Addit etiam inferius, Martinum Epiſcopum, virum planè Apoſtolis conferendum non deſijſſe increpare Ithacium* (Epiſcopum) *vt ab accuſatione* (Priſcilliani eiuſq́; ſociorum Epiſcoporum, & ſacerdotum quantumuis hæreſi infectorum, apud ſæcularem magiſtratum) *deſiſteret; Maximum verò orare, vt ſanguine infelicium abſtineret; ſatis ſuperq́; ſufficere, vt Epiſcopali ſententia hæretici iudicati, Eccleſijs pellerentur; nouum eſſe & inauditum nefas, vt cauſas Eccleſiæ Iudex ſæculi iudicaret, &c.* Sed his non obſtantibus, Maximus Priſcillianum, eiuſq́; complices etiam Epiſcopos, Sacerdotes, & Clericos, gladio vindici addixit, nullo Eccleſiæ bono, magno ſuo malo, vt inferius dicetur.

At verò Theodoſius ſub idem tempus, vt ſaluum Eccleſiæ ius tueretur, improbiſq́; etiam Epiſcoporum quorundam machinationibus obſiſteret, qui contra præſcriptum Canonum Clericos ad ſæcularia iudicia pertrahebant, hanc in Oriente legem ſanxit, vt ex Codice Theodoſiano lib. 3. de Epiſcoporum Iudicijs refert citato loco Cardinalis Baronius. *Grauiter admodum mota eſt noſtra Clementia, quædam ab his, qui Epiſcoporum ſibi nomina vendicant, perpetrata, & contra leges non minus diuinas, quàm humanas improba temeritate commiſſa, vexatos etiam nonnullos Orthodoxorum Clericos, quorum ætas huic iniuriæ à Sacerdotio repugnabat, ſatigatos itineribus, quæſtionarijs deditos, atq́; hæc omnia per eos commiſſa, qui ad tegumenta frontis Sacerdotij nominis titulos præferebant.*

ferebant. Denique lectis in consistorio precibus, quibus Episcopalis pietas aliquid postulans refragatur, denegatq́; : idcirco continua lege sancimus, nomen Episcoporum, vel eorum qui Ecclesiæ necessitatibus seruiunt, ne ad iudicia siue ordinariorum, siue extraordinariorum Iudicum pertrahatur. Habent illi Iudices suos, nec quicquam his publicis commune cum legibus, quantum ad causas tamen Ecclesiasticas pertinet, quas decet Episcopali autoritate decidi. Quibuscunq́; igitur mota fuerit quæstio, quæ ad Christianam pertineat sanctitatem, eos decebit sub eo Iudice litigare, qui Præsul est in suis partibus omnium Sacerdotum, id est, per Aegypti diœcesin, Optate carissime ac iucundissime. Quare laudabilis authoritas tua arbitrio temperato, quicquid negotiorum aliunde incidet, terminabit, habituro Pontificium sacræ disceptationis Timotheo Episcopo, quem sibi omnes etiam suo iudicio prætulère: est enim vir cum omnium Sacerdotum susceptatione venerandus, tum etiam nostro iudicio approbatus. Hucusq́; Theodosij rescriptum, quod vtcunq́; mendis sit deprauatum, perspicuè tamen illud insinuat, iudicia Ecclesiastica per Episcopos esso tractanda. Ita Cardinalis Baronius, qui mox ista ad propositum nostrum subnectit.

Hîc lector, accuratè hominum primum, ac subinde Dei contemplare iudicium. Duo enim hîc habes eodem prope narrationis contextu, in eadem fermè causa, Imperatorum exempla, nempe Theodosij Augusti, atque Maximi, Tyranni potius digni nomine; quibus ab iisdem personis, nempe prauis Episcopis, aduersus alios collegas importuna est facta suggestio. Maximus sibi arrogat causam Episcoporum, defert appellationi hæresiarchæ, iudicat causam, adulteros legibus sæculi gladio vindici subijcit; quod iustè irrogatum supplicium rei multorum scelerum meruissent. Sic planè iudicat Maximus.

Theodosius verò longè diuersè; quippe qui infensissimo primum accepit animo, Episcopos deferre ad præfectos, vel ipsum Imperatorem,

torem, excessus Collegarum, vel crimina inferioris ordinis Sacerdotum, subterfugientes Episcopale iudicium. Hos reijcit Imperator, nec audiri patitur à Præfectis, quos & dato rescripto commonuit, ab Ecclesiasticis iudicijs penitus abstinere, quæ ad Episcopos Ecclesiasticarum rerum ac personarum legitimos iudices deferri mandauit. Ita se habuêre in eadem fermè causa, dissimilia ac prorsus inter se diuersa duorum Imperatorum iudicia.

Quodnam autem horum iustius fuerit, non solum synodali fuit postea sententiâ definitum, sed diuini iudicij æqua lance libratum, & alterius iacturâ vitæ atq. Imperij declaratum: cum alioqui Maximus exerens, vt alter Phinees, gladium in turpissimorum hominũ necem, sanctificasse manus suas Domino, ob idq. vt Phinees perennitatem Imperij commeruisse videri potuisset: quem tamen non cædes sontium culpabilem reddidit, sed arrogatum sibi sacerdotale iudicium, quantumlibet Episcoporum illorum consensione delatum: Vt intelligant omnes, quam grauius delinquant, qui illud contradicentibus Sacerdotibus sibi vendicant & extorquent.

Rursum verò, quam non infeliciter administratio Imperij ceciderit, tùm Constantino, tum Theodosio, Magnis & pijssimis Imperatoribus, & Ecclesiasticę libertatis pręclarissimis propugnatoribus, multis quidem exemplis posset demonstrari: sed in proposito satis fuerit recitasse ea, quæ de hac re scribit Augustinus lib. 5. de ciuit. Dei cap. 25. *Nam bonus Deus, ne homines, qui eum crederent propter æternam vitam colendum, has sublimitates & regna terrena existimarent posse neminem consequi, nisi dæmonibus supplicaret, quod hi spiritus, in talibus multum valerent, Constantinum Imperatorem non supplicantem dæmonibus, sed ipsum verum Deum colentem, tantis terrenis impleuit muneribus, quanta optare nullus auderet. Cui etiam condere ciuitatem Romano Imperio sociam, velut ipsius Romæ filiam, sed sine aliquo dæmonum templo simulacroque concessit. Diu imperauit, vniuersum orbem Romanus vnus Augustus*

stus tenuit, & defendit: in administrandis & gerendis bellis victoriosissimus fuit: in tyrannis opprimendis per omnia prosperatus est. Grandæuus ægritudine & senectute defunctus est, filios Imperantes reliquit, &c.

De Theodosij verò Imperatoris non minori pietate, quã felicitate, hæc Augustinus cap. 25. & 26. quæ nos per certa membra digesta dabimus. Primũ *Gratianus Imperator ferro tyrannico interemptus* à Theodosio *vindicatus est: quẽ* (Theodosium Gratianus) *regni participem fecerat, cum paruulum haberet & fratrem, auidior fide societatis, quam nimiæ potestatis.* Secundo Valentinianũ Gratiani fratrẽ *à Maximo Tyranno pulsum, in sui partes imperij tanquam Christianus excepit pupillum.* Tertiò *cum Maximum terribilem faceret ille successus, hic in angustijs curarũ suarum nõ est lapsus ad curiositates sacrilegas atq; illicitas, sed ad Ioannem in Aegypti eremo constitutum; quem Dei seruũ prophetandi spiritu præditum fama crebrescente didicerat, misit: atq; ab eo nuntium victoriæ certissimũ accepit.* IV. Mox *Tyranni Maximi extinctor Valentinianũ puerum imperij sui partibus, vnde fugatꝰ fuerat, cũ misericordissima veneratione restituit.* V. Alium Tyrannũ Eugeniũ, qui in locũ Imperatoris (Valentiniani defuncti) *nõ legitimè fuerat surrogatus, accepto rursus prophetico responso, fide certꝰ oppressit, cõtra cuius robustissimũ exercitũ magis orando, quã feriendo pugnauit. Milites nobis,* inquit Augustinus, *qui aderant, retulerũt, extorta sibi esse de manibus quæcunq; iaculabantur, cũ à Theodosij partibus in aduersarios vehemẽs ventus iret: & nõ solũ quæcunq; in eos iaciebãtur cõcitatissimè raperet, verũ etiã ipsorum tela in eorum corpora retorqueret. Vnde & Poëta Claudianus, quamuis à Christi nomine alienus, in eius tamen laudibꝰ dixit: O nimiùm dilecte Deo, cui militat æther; Et coniurati veniunt ad classica venti.* Deniq; cum de prostratis vbiq; Deorum fanis, de inimicorũ propinquis amicè habitis, de iustissimis & misericordissimis legibꝰ, ꝓ Ecclesia, Valentis tyrañide afflicta,

latis

latis, multa retulisset Augustinus, hanc in laudem Theodosij velut pulcherrimam coronidem annectit: *Quid autem fuit eius religiosa humilitate mirabilius, quando in Thessalonicensium grauissimum scelus, cui iam Episcopis intercedentibus, promiserat indulgentiam, tumultu quorundam, qui ei cohærebant, vindicare compulsus est, & Ecclesiastica coërcitus disciplina, sic egit pœnitentiam, vt Imperatoriam celsitudinem, pro illo populus orans, magis fleret, videndo prostratam, quam peccando timeret iratam, &c.*

Cæterum quod rursus spectat ad felicitatem Theodosij ex pietate comparatam, prodest audire ex Cardinali Baronio, Anno 381. n. 15. Pacatum, quam feliciter sub pio Principe, barbari orbis Orientalis coluerint, obseruarint, vel saltem timuerint Theodosium Imperatorem: *Si qui,* inquit, *sunt forte barbarorum, qui nondum virtutis tuæ fulmen exceperint; nominis terrore perculsi, & velut afflati quiescant. Tua enim, Imperator, auspicia, non hæ tantum gentes tremunt, quas ab orbe nostro syluarum interualla vel flumina, montesue distinguunt, sed quas æternis ardoribus inaccessas, aut continua hyeme separatas, aut interfusis æquoribus abiunctas natura disterminat. Non Oceano Indus, non frigore Bosphoranus, non Arabs medio sole securus est, & quo vix peruenerat nomen ante, Romanum accedit imperium. Dicam ne ego receptos ad seruitium Gothos, castris tuis militem, terris sufficere cultorem? Dicam, à rebellibus Sarracenis pœnas polluti fœderis expetitas? Dicam interdictum Scythis Tanaim, & imbelles arcus esse fugientis Albani? Quæcunque natio barbarorum, robore, ferocia, numero grauis nobis vnquam fuit; aut boni consulit vt quiescat; aut lætatur quasi amica, si seruiat. Persis ipsa, Reipub. nostræ retrò æmula, & multis Romanorum Ducum famosa funeribus, quicquid vnquam in Principes nostros inclementius fecit, excusat obsequio. Denique ipse ille Rex eius, dedignatus antea se fateri hominem, iam fatetur timorem, & in his te colit tem-*

plis

plis, in quibus colitur: tum legatione mittenda, tum gemmis, sericoq́; prębendo: ad hoc triumphalibus bellis in tua esseda suggerendis, etsi adhuc non est fœderatus, iam tamen tuis cultibus tributarius est. Hactenus Pacatus in Panegyrico Theodosij.

Quod igitur iam olim de Israëlitis dixit Achior ad Holofernem Iudith 5 id etiam de Christianis Regibus nō imeritò dici potest: *Vbicunque ingressi sunt, sine arcu & sagitta, & absque scuto & gladio, Deus eorum pugnauit pro eis, & vicit, &c. Quotiescunq́; autem prater ipsum Deum suum, alterum coluerunt, dati sunt in prędam, & in gladium, & in opprobrium, &c. Et vsque dum non peccarent in conspectu Dei sui, erant cum illis bona. Deus enim illorum odit iniquitatem, &c.*

Carolus Magnus, quanta etiam in hac vita felicitate, ob eam, qua semper Ecclesiam Romanam, libertatemq́ue Ecclesiasticam prosecutus fuit reuerentiam, potitus fuerit, nemo ignorat, & iam supra ex illomet retulimus: neq; lubet domestica exempla ad speciem vel adulationis, vel contumeliæ exposita referre. Illud absque dubitatione dixero, tanto quamlibet Rempub. feliciorem fore, quanto maiori studio religionem in Deum, in Ecclesiam pietatem ac reuerentiam, fidem & Iustitiam erga omnes coluerit. Etenim verè Augustinus lib. 50. homil. homilia 48. *Maiores*, inquit; *nostri ideo copijs omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cęsari censum reddebant. Modo autem quia discessit deuotio Dei, accessit indictio fisci. Noluimus partiri cum Deo, modò totum tollitur. Hoc tollit fiscus, quod non accepit Christus.*

Et quid dico, decimas dabant, cum & tertias, dimidiasq́ue, imò non raro omnes suas copias incredibili deuotione & pietate, imò & seipsos denique Deo in Monasterijs donarint, consecrarint. Vnde enim tantæ vbique Monasteriorum, Ecclesiarum, Beneficiorum, Episcopa-

tuum, tamq; amplæ ac magnificæ fundationes, nisi ex pijssima & religiosissima pietate Maiorum emanarunt? Scribit Trithemius lib. 1. de viris illustribus cap. 2. ad Benedictini Ordinis amplitudinem declarandam, fuisse tempus, cum illa sola familia quindecim mille haberet abbatias, præter Præposituras, & alia minora cœnobia; quin & suo tempore sub annum Christi 1480. in sola Moguntina prouincia, adhuc centum & viginti quatuor integras extitisse abbatias, præter alias decem iam separatas. Legat, qui de hac re plura volet, nobilis viri Wiguleij Hundij metropolim Salisburgensem; vbi de monasterijs nostræ etiã Bauariæ complura reperiet. Et quid illis quæso Christianis etiam in felicitate temporali defuit? Imo felicitas ipsa cum pietate pugnauit. Iam vbi tot vndiq;, & tanta cura à priuatis corraduntur diuitiæ, vbi pietas in Deum, in pauperes misericordia refrixit, omnia retro conuersa abeunt; vt sæpius illud ex parabola Christi Luc. 12. ingerendum sit, *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem parasti, cuius erunt? Sic est, qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues*. Vnde & S. Hieronymus in caput 3. epist. ad Titum: *Apostolicis*, inquit, *viris, & Euangelizatoribus Christi, in vsibus necessarijs nolle tribuere, sterilitatis seipsum est condemnare*.

Atq; hæc omnia cum naturali quoq; ratione sint manifesta, Aristoteles etiam felicitatem à Dijs, ijs potissimũ obtingere arbitratus est, qui animum virtutibus atq; scientijs excolerent. Ita enim scribit Ethicorum lib. 10. cap. 8. *Sed qui ex intellectu operatur, huncq; excolit, atq; optimè afficit, is esse Deo charissimus videtur. Nam si aliquam humanarum rerũ curam Dij habent, sicut videtur, consentaneum est, ipsos re illa, quæ optima est, atq; ipsis maximè cognata delectari, qui est intellectus, eosq; qui eam maximè amant ac honorant, remunerare, vtpote, qui eorum, quæ ipsis sunt amica, curam habeant, rectéq; & honestè agant. Hæc autem*

autem omnia sapienti maximè inesse, obscurum non est: is igitur est Deo charissimus, Deiq́; amantissimus, eundemq́; esse etiam felicissimum verisimile est. Quare ita quoq; efficitur, vt sapiens sit maximè felix. Hæc Aristoteles.

Atq; hinc est etiã illa Symachi viri Cõsularis, & vrbis Præfecti, ad Valentinianũ, Theodosium, & Arcadiũ Augustos, pro veteri Deorum cultu reducendo, aduersus Christianos oratio; in qua, vt etiam refert Albertus Pighius lib. 5. Eccles. hierarch. cap. 7. inter cætera grauissimè queritur, Vestalibus Sacerdotibus sua ab initio illis concessa detrahi imunitatis priuilegia, atq; annonam, quam anteà solebant accipere ex publico. *Quanto,* inquit Symachus, *cõmodo sacri ærarij vestri, Vestalium Virginũ prærogatiua detracta est? Sub largissimis Imperatoribus denegatur, quod parcissimi præstiterũt?* Et rursus: *Absint ab ærarij vestri puritate ista compendia: fiscus bonorum Principum, non Sacerdotum damnis, sed hostium spolijs augeatur.*

Deinde hoc vehementer improbans, quod à religiosissimis Principibus, studio abolendæ falsæ illius religionis & impiæ, sapienti consilio excogitatũ fuerat, ne possent illæ sacerdotes profanæ, legata aut hæreditates accipere: *Oro vos,* inquit ille, *Iustitiæ sacerdotes, vt vrbis vestræ sacris reddatur vel priuata successio. Dictẽt testamenta securi, & sciant, sub Principibus non auaris, stabile esse quod scripserunt. Delectet vos ista felicitas generis humani: cœpit causæ huius exemplum solicitare morientes. Ergo Romanæ religiones sub Romano iure non pertinent? Quod nomen accipiet ablatio facultatum, quas nulla lex, nullus casus fecit caducas? capiunt legata liberti, seruis testamentorum iusta commoda non negantur; tantum nobiles virgines, & sacrorum fatalium ministræ excluduntur prædijs hæreditate quæsitis. Quid iuuat saluti publicæ castum corpus dicare, & imperij æternitatẽ cœlestibus fulcire præsidijs, armis vestris, aquilis vestris, amicas applicare virtutes, pro omnibus efficacia vota suscipere, & ius cũ omnibus nõ habere?*

 Itaq;

Itaq; melior est seruitus, quæ hominibus; quam quæ dijs immortalibus impenditur? Rempub. lædimus, cui nunquam expedit, vt ingrata sit.

Nemo me putet, solam causam religionum tueri. Ex huiusmodi facinoribus orta sunt cuncta Romani generis incommoda. Honorauerat lex Parentum nostrorum Vestales Virgines, & ministros Deorum, victu modico, iustisq; priuilegijs, & vsque ad nos stetit muneris huius integritas. Nunc ad degeneres Trapezitas, atq; ad mercedem vilium baiulorum sacra castitatis alimenta vertuntur. Sequuta est hoc factum fames publica, & spem prouinciarum omniũ messis ægra decepit. Non sunt hæc vitia terrarum, nihil imputamus astris, nec rubigo segetibus obfuit, nec auena fruges necauit. Sacrilegio annus exaruit. Necesse enim fuit perire omnibus, quod religionibus negabatur. Cum contrà fæcunditatis, & omnium rerum vbertatis causam dicat, Sacerdotibus suum impendisse honorem. Quid enim, inquit, *tale pertulerunt prouinciæ, cum religionum ministros honor publicus pasceret? Quando in vsum hominum cõcussa quercus? quando vulsæ sunt herbarum radices? quando alternos regionum defectus deseruit fæcunditas mutua, cum populo & virginibus sacris communis esset annona? Commendabat enim terrarum prouentus victus antistitum, & remedium magis, quam largitas erat. An dubium est, semper pro copia omnium datum, quod nunc omnium inopia vendicauit?*

Vides quam ingenti crimine, quam formidabili damno, hominis etiam Ethnici iudicio, sacrorum ministrorum priuilegia & immunitates violentur; annona & reditus mutilentur; munera legato aut hæreditate quæsita intercipiantur? Quæ vt rectè dixit ibidem Pighius, falsa quidem sunt & impia, vt ab Ethnico dicta pro tuenda falsa, impiaq; religione, & Sacerdotum eius priuilegijs; sed verissima, si dicantur à Christiano pro veræ religionis ministris, sacerdotibus, atque alijs diuino specialiter mancipatis seruitio.

Quibus

Quibus omnes toto orbe terrarum gentes & nationes, velut cōmuni quadam conceptione animi intellexerunt quidem, honorem ſingularem deberi; tametſi vt in veri Numinis, veræq́; religionis, ita in miniſtrorum eius cognitione aberrauerint.

CAPVT XV.

IVS ECCLESIASTICÆ LIBERTATIS ETIAM IN VENETA DITIONE FVISSE RECEPTVM, ET QVAMVIS RECEPTVM nunquam fuiſſet, nil tamen hinc Venetam cauſam iuuari.

REFVTATIS hactenus generalibus quibuſdam obiectionibus, quibus Venetæ cauſæ Patroni, non tàm ex ditione Veneta, quàm ex vniuerſo orbe Chriſtiano Eccleſiaſticam libertatem eliminare, quantum in ſe, conati ſunt, reſtat, vt examinemus eas, quibus ſpeciatim ipſam ſaltem Rempub. Venetam, eiuſmodi Iure Eccleſiaſticæ libertatis non teneri, aut ijdem innuunt, aut forte exiſtimare quiſpiam poſſet. Cogitanti verò omnes rationes & titulos, quibus id aſſeri fortaſſe cuidam poſſe videatur, tres tantum in mentem venerunt. Prima ratio eſſe poteſt; ſi quis dicat, Ius Eccleſiaſticæ libertatis & immunitatis, nunquam fuiſſe in Veneta ditione receptum. Secunda, fuiſſe contra illud legitimè, ipſis etiam ſummis Pontificibus conniuentibus, præſcriptum. Tertia fuiſſe peculiari & expreſſo Pontificum priuilegio, Ius in id genus, res & perſonas Eccleſiaſticas obtentum.

De his igitur ordine agemus, planè oſtenſuri, his rationibus vel titulis Venetam cauſam defendi nullo modo poſſe. Et quanquam hoc alioqui iam inde apertè liquet, quod vt lib. præcedente oſtenſum, Eccleſiaſtica libertas & immuni-

munitas non eſt Iuris tantum humani,ſed&Iuris gentium, imò diuini,& quaſi naturalis,quod ab acceptatione humana nulla ratione dependet,nec humana autoritate vniuerſim abrogari poteſt, vt habet etiam de hoc ipſo Iure Eccleſiaſticæ libertatis in ſpecie(vt lib.1.cap. 17. vidimus) cõmunis Doctorum ſententia; tamen vt res vndiquaq; firmior ſubſiſtat,ita cauſam nunc agemus, tanquam ſi Iuris humani tantum eſſet: præſertim cum alioqui ex Catholicis Doctoribus nonnulli,etſi falsò,opinentur, poſſe ſaltem in partem ei contraria præſcriptione derogari; vt dicetur infra,& eſt apud Ioannem Azorium lib. 5. cap. 12. quæſt.1. qui veram & contrariam ſententiam rectè tuetur. Nihilominus enim palam faciemus, cauſam Venetam expoſitis titulis ſiue rationibus,nec ſingulis,nec omnibus,ſuſtentari vllo modo poſſe.

Et quidem ad primum titulum quod attinet, tàm audaces non ſunt ſcriptores Veneti,vt vniuerſim aſſerant, Ius libertatis & immunitatis Eccleſiaſticæ nunquam à Repub. Veneta,fuiſſe acceptatum,quoad illa controuerſiæ capita omnia,de quibus diſceptatur. Sed Paulus Venetus pag. 3. id ſpeciatim inſinuare duntaxat videtur de illo controuerſiæ capite,quo de immunitate perſonarum Eccleſiaſticarũ à Iudicijs ſecularibus agitur,cum ita de Repub.ſcribit:*Eam, poteſtatem ſibi à Deo traditam exercendo, iam inde à ſuis incunabulis ad hæc ipſas tempora conſueuiſſe,grauia cuiuſcunq; ex quouis Eccleſiaſticorum hominum ordine,vel gradu, delicta punire. Quibus*,inquit,*actibus,intactam veri ſui Imperij libertatem cũ publica tranquillitate perpetuò cõiunxit*.Idẽ apertius aſſerit inferius pag. 29. cum ait: *Quamuis diuerſi Rom. Pontifices, varia ab anno 1160. decreta pro Clericorum Exemptione ediderint,illa tamen à nullo Principe inducta in mores ſunt, neque efficere vnquam potuère, quin Maieſtatis læſæ quæſtiones ſemper ſæcularibus Iudicijs agita-*

agitaretur. Et paulò post: *Respublica etiam delicta grauia leuiaq; disiunxit, leuia Ecclesiasticis, grauia sæcularibus commisit, eaq; ratione Iustitiam, suæq; Iurisdictionis libertatem perpetuò coniunxit.*

Ostensurus igitur hunc titulum, seu causam, ad Venetas partes contra summum Pontificem & Ecclesiam defendendas, nihil penitus habere momenti, duo breuiter demonstrabo. Primum in ea ratione falsum assumi, cum constet, etiam in Veneta ditione, Ius libertatis Ecclesiasticę fuisse vsu receptum, etiam quoad illa capita, de quibus omnis est contentio. Alterum, esto, nunquam vlla ex parte fuerit receptum, nihil tamen hinc causam Venetam quicquam posse subleuari.

Primum igitur his rationibus demonstro. Inprimis enim constat, Venetam Rempublicam solenniter & legitimè recepisse Concilium Tridentinum, eiusq; decreta & statuta, inter quæ illud inprimis etiam continetur, quod de Iure libertatis & immunitatis Ecclesiasticæ amplissimè constitutum & sancitum supra libro primo, capite 19. attulimus.

Testantur hoc Romani Iurisconsulti, in suo scripto, quo facti speciem explicant, prolegomeno secundo: *Concilium Tridentinum*, inquiunt, *cum decretis suis, die 16. Octobris. Anno millesimo, quingentesimo sexagesimo quarto, Hieron. Priuli tunc Venetiarum Dux, & Senatus Venetus, in Consilio Rogatorũ congregati, præmissa Catholica confessione, super obligatione, qua Principes Catholici sacrorum Conciliorum decreta seruare tenẽtur, nominatim acceptauerunt, & in omni suo dominio publicari, & ab omnibus Magistratibus, Doctoribus & Gubernatoribus obseruari præceperunt: quibus more religiosorũ Principũ, tunc amplius iniunxerũt, vt si nondũ publicatũ esset, in omni Veneti Imperij Iurisdictione, vel*

cum Patriarcha, vel Archiepiscopo, vel Episcopo, vel alijs Prælatis, quibus ea cura incumberet, agerent atq; curarent, & Concilium publicari facerent, & pro debita illius executione auxilium fauoremq; præstarent, sic enim inquiũt, *scriptum legitur in eo ipso decreto, quod tunc Dux vna cum pio senatu sanciuit.* Quomodo ergo dici potest, Rempub. Venetam nunquam recepisse Ius Ecclesiasticæ libertatis & immunitatis, cum adeo reuerenter olim Concilium Tridentinum receperit, in quo non solum Ius illud quomodolibet statuitur, sed & renouantur oĩa Iura & statuta ecclesiastica, quæ de hac re vnquã antea sancita & constituta fuerunt? Imò potius ex hoc ipso euidenter colligitur, Rempub. Venetam recipiendo Concilium Tridentinum, recepisse pariter omnia Iura ecclesiasticæ libertatis ante Conc. Trid. edita.

Secundò id etiam in hac re vim maximam habet; quod ipsis quoq; Venetæ causæ Patronis confitentibus, manifestum est, leges illas ecclesiasticę libertati & immunitati aduersas, de quibus modo controuersia est, aut non ita pridẽ constitutas, aut certè recens ab vrbe Veneta, ad reliquam ditionem Venetam extensas fuisse; ita vt etiam hinc saltem extra vrbem Venetam antehac Ius Ecclesiasticæ libertatis & immunitatis receptum fuisse comprobetur. Nam vt ex ijs, quæ capit. primo circa statũ quæstionis diximus, colligi potest, lex illa contra templa aliaq; loca pia denuo non erigenda, &c. sancita primum reperitur etiam in vrbe Veneta, Anno 1337. instaurata verò Anno 1515. & 1561. Atqui multo ante id tempus iam Ius Ecclesiasticæ libertatis & immunitatis in orbe Christiano vigebat. Ad reliquam verò ditionem Venetam vniuersam extensa est primum, Anno 1603. quousq; nemo dubitare potest, contrarium Ius illic receptum fuisse; quid enim alioqui opus erat ista noua extensione?

Altera

Altera lex contra consolidationem directi dominij cũ vtili, quoad Ecclesiastica bona, edita primum, & pariter toti Venetæ ditioni præscripta fuit Anno 1602. Et quanquam Paulus Venetus scribat, eam legem *niti etiam suffragio consuetudinis, ducentos annos, & eo longius productæ*, tamen hoc ipsum incertum est. & si maximè certum esse probaretur, plus non probaret, quam ante ducentos, pauloq; amplius annos, contrariam tàm proprijs, quàm communibus legibus consuetudinem, apud Venetos fuisse introductam. Neque credibile est tamen, tàm iniqua iudicia semper, vel ab eo ipso tempore, in senatu alioqui iustissimo obtinuisse.

Tertium decretum de bonis immobilibus ad Ecclesiam non transferendis &c. dicit Paulus Venetus ex parte sancitum fuisse primum, Anno 1333. sed non eodem modo seruatum ad annum vsq; 1536. Rursum verò nonnullis additis, denuò renouatum, & primum extensum ad totã Venetam ditionem Anno 1605. Quocirca ex his omnibus apertè constat, saltem Ius Ecclesiasticæ libertatis & immunitatis quoad res & bona de quibus nunc controuersia est, fuisse aliquando in ditione Veneta receptum, imò etiam vsurpatum. Quia id quod antea communi vsu satis receptũ est, non solet legibus nouiter constitui.

Solum ergo restat illud Controuersiæ caput, quo de pœnis Ecclesiasticorum agitur. Et quanquam Paulus Venetus asserat, Rempublicam velut propria authoritate, nõ recepto contrario ecclesiasticæ libertatis Iure, iam inde à suis incunabulis, ad hæc vsq; tempora, consueuisse grauia cuiuscũq;, ex quouis Ecclesiasticorum hominum ordine vel gradu, delicta punire &c. contrarium tamen ex eo apertissimè elucet, quod ipsemet Paulus infra pag. trigesima prima varia breuia Apostolica recitat, quibus eiusmodi

potestas in certis casibus Venetæ Reipub. concedi à Pontificibus varijs videatur. Et quamuis ipse hanc non concessionem potestatis, sed *approbationem* nominet, nemini tamen persuadebit, senatum, si propria autoritate id se agere posse existimaret, eius rei approbationem, ne dum concessionem, à summo Pontifice fuisse postulaturum; cum nunquam, vt opinor, cęterarum legum aut Iurium merè politicorum approbationem, à summo Pontifice postulare hactenus consueuerit. Itaq; satis ipsa Respub. agnouisse hactenus videtur, id quicquid erat potestatis, sibi non aliunde, quam Romani Pontificis authoritate & priuilegio potuisse competere.

Eius rei documentum euidens exhibeo ex ea procuratione, quam Orator Venetus apud summum Pontificem oibuisse ex ipsomet priuilegio concesso, intelligitur. Quam rem ita narrant ijdem Iurisconsulti Romani circa examen quarti decreti: *Quintum priuilegium*, inquiunt, quod nempe Veneti pro sua in Clericos legitima Iurisdictione criminali prætendebant, *est Pauli III. sub datum 28. Octobris, 1542. in quo facta narratiua, per Oratorem Venetum, quòd ab immemorabili tempore citra, Iudices sæculares ciuitatis Venetiarum procedere consueuerunt contra Clericos sæculares, & regulares, etiam in sacris ordinibus constitutos, atrocia debita in eadem ciuitate & diœcesi perpetrantes, & in ea possessione procedendi, condemnandi, & puniendi fuisse, & Sixtum IV. Innocentium VIII. Alexandrū VI. & alios Rom. Pontifices iussisse, vt Vicarius generalis Patriarcha Venetiarum prædictis Iudicibus processus conficientibus assisteret; sed Vicarium & alios Iudices Ecclesiasticos interuenire, & assistere recusasse; Et quoniam de prædictis priuilegijs Apostolicis forsan consumptis, vel deperditis, aliter non constabat, quā per immemorabilem obseruantiam, & consuetudinem, ideo supplicauit, q sicut hactenus dicti Iudices sæculares procedere consueuerunt, cum dicta*

dicta Vicarij aßistentia procedere possent ad legitimam punitionem. Et Papa concesit, quòd Iudices sæculares contra prædictos Clericos, & personas Ecclesiasticas, atrocium criminum reos, procederēt, condemnarent, & punirent, dummodo per Vicarium, & alios Ecclesiasticos Iudices præuenti non fuerint, quos iußit, vt sub pœna excommunicationis, prædictis processibus per Iudices sæculares faciendis aßisterent, & interesse deberent, & quando pœna sanguinis imponenda foret, præcederet degradatio, iuxta formam Iuris.

Ecce quid hac de re senserint non ante multos annos Reipub. Venetæ Maiores. Postulandam videlicet censuerunt à Pontifice facultatem contra Ecclesiasticos criminaliter procedendi more consueto, deinde hunc ipsum morem non alio niti fundamento putarunt, quam datis quibusdam olim per Pontifices priuilegijs, quòd eis adeò certò erat persuasum, vt licet priuilegiorum eiusmodi tenorem non amplius haberent, eorum tamen sententiam de concessa, per Pontificum indulgentiam, Iurisdictione criminali in Clericos, ex ipsa consuetudine colligerent. Tátum abest, vt eiusmodi potestatem ex diuino Iure immediatè, aut propria sibi autoritate vendicarent. Et quia priuilegio contra legem non indigent ij, à quibus lex iure acceptata nunquam fuit, patet, ex hac ipsa procuratione, aut Venetos acceptasse Ius illud exemptionis Clericorum à iudicijs sæcularibus, aut certè iniuria non acceptasse. Nec in præsenti de valore & effectu eiusmodi priuilegiorum disputo, &c. Sed & iam supra libro primo, capite octauo ex priuilegio Alexandri III. sub annum Domini millesimum centesimum octogesimum, Venetis concesso, clare patescit, omnem eiusmodi Iurisdictionem Venetis, nonnisi Pontificis indulgentia, Iure potuisse contingere.

Tertiò nec illud prætermittendum, quod extra omnẽ controuersiam est, nempe saltem ab Ecclesiasticis personis & statibus, nobiliore vtiq; parte Venetæ ditionis, Ius libertatis & immunitatis ecclesiasticæ fuisse non tantum receptum, sed & subinde acriter defensum, ita vt cum à sæculari Magistratu eiusdem Reip. id præter Ius & fas sæpius violari contingeret, non rarò à summis etiam Pontificibus defensionis opem flagitarent, vt in suo iure, quod sibi cum vniuerso totius Ecclesiæ Clero commune esse sciebant, tutò conquiescere possent. Cuius rei testem augustiorem proferre in præsenti nullum possum, quàm Illustrissimũ Cardinalem Baronium, qui quod oculis ipse vidit, quod auribus præsens audiuit, id velut in publico vrbis theatro gestũ, omniumq; propemodum ciuium Romanorum oculis vsurpatum, testatissima fide his verbis dolenter recenset, in sua ad Rempub. parænesi. *Hic*, inquit, *cogimur inuiti in memoriam reuocare, quæ per vos & vestros Ministros perperam perpetrata, diu multumq; dissimulata sunt ab Apostolica Sede, deplorata tamen semper; dum nulla penitus emendatio sequeretur; quæ si ex sacrorum præscripto Canonum res agendæ fuissent, guttas pluuiæ, fulmina anathematis superassent. Quot vidimus Romæ miseros exulantes Episcopos, vobis subditis ciuitatibus præfectos, dira persecutione vexatos, cum obrutam reuocare in lucem tentarent Ecclesiasticam libertatem? Quot Clericorum inferioris ordinis perlatæ sunt iugiter querelæ, de foro Ecclesiastico intercepto, & expilatis bonis Ecclesiarum, sublatis Iuribus, inuasis Ecclesijs, violato sacro asylo frequenter? Qui annunciatus frequentior Apostolicarum literarum contemptus, ipsius verò inprimis bullæ, in cœna Domini promulgari solitæ violatio, & cum violatione despectus? &c.* Hactenus Cardinalis.

Quartò. Sed & ab ipsa quoq; Repub. ac Senatu Veneto rursum solennissima formula, etiam ipsius Iurisiurandi inuio-

inuiolabili sanctitate consecrata, recepta fuisse statuta Ecclesiæ, quibus Ecclesiasticæ libertatis & immunitatis ius sancitur, sole clarius patet ex ijs, quæ ante annos non ita multos, inter Apostolicam sedem ac Venetam Rempub. gesta sunt. Etenim anno millesimo quingentesimo decimo, mense Februarij Respub. Veneta per viros nobiles, Procuratores suos legitimè constitutos, propter libertatem Ecclesiasticam multis modis violatam, Iulio II. tunc Romano Pontifice; promisit, se nunquam amplius eam violaturam, vt patet ex verbis vnius Capituli, quod inter cætera plura tunc iuramento firmatum, recitant ijdem, de quibus supra, Iurisconsulti Romani in hunc modum: *Item nominibus & modo, quibus supra promiserunt* (Veneti Procuratores, nomine Senatus Veneti) *deinceps perpetuis temporibus per se vel alium, seu alios, ex quauis causa, & quouis quæsito colore, aut ingenio, non impedire, nec se quoquo modo intromittere, quò minus cognitio causarum fori Ecclesiastici liberè exerceatur per Iudices Ecclesiasticos, & per eos dictæ causæ cognoscantur, & terminentur in quacunq; instantia, tam in Romana curia, quam in alijs locis, prout sanctissimo Domino nostro, & Romano Pontifici pro tempore, illas in quocunq; statu committi contigerit, nec appellationes & prouocationes, in causis prædictis ad eandem sedem, vel alios interponi, & interpositas libere prosequi, etiam in Romana curia, impedient. Nec pariter Clericos, aut Ecclesiasticas personas prædictas, absq; expressa licentia sedis Apostolicæ, vel alterius Ecclesiastici Iudicis, ad quem spectat, capi, carcerari, detineri, aut quauis molestia in eorum bonis, personis, aut beneficijs affici facient, aut permittent.* Ecce non tantum à Veneto Senatu receptum, sed etiam Iuramento firmatum habemus Ius libertatis & Immunitatis Ecclesiasticæ, tam quoad bona, quam quoad personas Ecclesiasticorum: Quid volumus amplius?

Restat nunc, vt illud etiam probemus, si, quod verum non est, Ius Ecclesiasticæ libertatis & immunitatis nulla ex parte, nec minimo quidem angulo Venetæ ditionis receptum fuisset, adhuc tamen Venetam causam inde nil iuuari, vt eius Patroni dicere possint, Principem seu Rempub. Venetam, ipso Iure diuino habere & exercere potestatem etiam in Clericos, quantumuis obsistente Pontifice; quin potius contrarium nihilominus verum esse, nempe Rempub. Venetam eiusmodi potestatem sibi arrogare contra Ius pariter diuinum & humanum; id verò hunc in modum probamus, etiam dato, non concesso, Ecclesiasticam libertatem, (quod falsum est) Iuris tantum humani esse, cui alioqui naturâ suâ derogari possit.

Etenim vis & obligatio præceptorum & legum Ecclesiasticarum, (si modo aliàs iustæ sint & vtiles Ecclesiæ) quæ per summam in terris potestatem Ecclesiasticam ita feruntur & sanciuntur, vt eiusdem absoluta voluntate simpliciter, & absq; cunctatione seu tergiuersatione, omnibus obseruandæ proponantur, sublata qualibet secus agendi iusta facultate; talium, inquam, legum & præceptorum obligatio, non pendet ab acceptatione eorum, quibus præscribuntur: sed tales sunt leges Ecclesiasticæ, quibus libertas & immunitas Ecclesiæ sancitur: Ergo vis earum, & obligatio non pendet ab acceptatione Ecclesiæ, nedum vnius vel alterius Regni, aut prouinciæ particularis. Ac proinde si quam Senatus Venetus contra eiusmodi præscripta Canonum potestatem exercet, non tantum nulla Iuris diuini authoritate id facere comprobatur; sed & in eo ius diuinum pariter & humanum, ipsius nempe Ecclesiæ, quam diuino iure audiendam Christiani nôrunt, violare.

Maior propositio, sub his terminis & limitationibus, quibus à nobis posita est, à nullo quod sciá Doctore Catholico, qui

qui Pontificem Ecclesiæ totius spirituale caput in terris, & supremum Magistrum agnosceret, est negata. Quanquam enim sunt complures, qui absolutè docent, vim etiam & obligationẽ legum Ecclesiasticarũ pendere ab acceptatione, id tamen non alia ratione docent, quàm quia hæc, vt aiunt, cõmuniter sit tacita Legislatoris etiam Ecclesiastici voluntas, nolentis aliter suas leges vim habere, quam si & quatenꝰ fuerint acceptatæ. Quod si ex circumstantijs constet, aliam esse mentem summi Pontificis qui legem tulit, tunc ijdem ipsi nil dubitant, legis obligationem à populi acceptatione nequaquam pendere. Vniuersim autem Ecclesiasticæ legis obligationem ab acceptatione non pendere, docent Syluester in sumã, Verbo *Lex*, q. 6. Angelus in sumã, eod. tit. Nauarrus in manuali cap. 23. n. 41. Ioannes Medina Codice de restitutione q. 36. Ludouicus Carbo lib. 3. de legib. cap. 10. qui dicit eam esse cõmunem; Item Barthol. Medina in 12. q. 70. art. 3. vbi dicit, grauiter errare eos, qui putant, leges Pontificias pẽdere ab acceptatione, Ioannes Azor lib. 5. Instit. moral. q. 1. & 2. Gabr: Vasquez in primã secundæ tom. 2. disp. 156. cap. 5. à quibus citantur etiam complures Iurisperiti, vt Panormitanus, Felinus, Archidiaconus, Dominicus, Ioannes Turrecremata, Hugo, Zabarella, Ioannes Andreę, Calderinus, Imola, Antonius de Butrio, & ex recentioribus, Gregorius Lupus, Marcus Burgensis &c. Ex quibus nonnulli hoc ipsum de legibus ciuilibus à supremo principe latis docent, de quo tamen in præsenti non disputamus.

Vnum hoc addo, etiã ipsum Gratianũ, ad Canonẽ *In istis*, dist. 4. qui eius sententię, quę asserit, obligationem etiã legũ Ecclesiasticarum pendere ab acceptatione, Dux & author videri potest, nihil ab hac sententia dissentire, cum ait; *Leges instituuntur cum promulgantur; firmantur, cum moribus vtentium approbantur*. Primò enim cùm indefinitè loquatur, intel-

intelligi poteſt, niſi aliud à Legiſlatore indicetur. Deinde nunquam ille dicit, legem tunc primum fieri, aut vim habere, quando acceptatur; ſed tunc *firmari*; hoc eſt, factam roborari, ne quod alioqui contingere poteſt, vix lata, per contrariam conſuetudinem, tacente & conſentiente ſuperiore, rurſum extinguatur & aboleatur, vt rectè notauit Vaſquez.

Vnde probatur eadem maior primo ex ſacris literis, quæ abſolutè iubent, Eccleſiæ ac Præpoſitis Eccleſiæ, iuſta præcipientibus, obedientiam præſtari, Matth. 19. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.* Heb. 13. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis.* Huc ſpectat etiam illud, Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Quod non ſolum de poteſtate politica, ſed etiam Eccleſiaſtica intelligi ſupra diximus. Vnde ſic argumentari licet; Omne præceptum iuſtum, & abſolutè poſitum, ab eo, qui habet Ius ita præcipiendi, obligat, etiam non acceptatum: ſed Eccleſia habet Ius abſolutè quippiam præcipiendi; ergo præceptum eius abſolutè poſitum vim habet obligandi, quanuis non acceptatum. Maior conſtat ex allatis ſcripturæ locis, & ratione naturali; quia vt tenear præcepto ſuperioris obedire, plus non requiritur, quam vt ſit iuſtum verumq́ue præceptum; erit autem verum præceptum, ſi ſtatuatur abſolutè ab eo, qui Ius ita ſtatuendi habet; ſiue ego interim illud acceptem, ſiue non acceptem.

Minor probatur hac firmiſſima ratione. Quia Pontifex (eadem eſt Concilij generalis ratio) eſt caput totius Eccleſiæ, adeoq́; ſuperior vniuerſo Eccleſiæ corpore; nec ſuam poteſtatem ab Eccleſia vllatenus accipit, vt ſupra vidimus: Ergo habet Ius aliquid etiam vniuerſæ Eccleſiæ abſolutè præcipiendi; ſeu quod idem: ergo eius poteſtas legis latiua non dependet ab Eccleſiâ. Conſequentia patet. Quia politica-

ticarum legũ vis propterea, vt quidam volunt, dependet ab acceptatione, aut quia communitas est super Principem, quod tamen supra refutauimus, aut quia Principi sua potestas nonnisi à Repub. concessa est, idq; intra certos terminos, quos transilire non potest; in quibus communiter etiã iste vnus esse censetur, vt lex Principis noua prius vim non habeat, quam sit acceptata. Quod si constaret, Principem supremum, in aliquo casu, citra eiusmodi limitationem suam legitimè acquisiuisse potestatem, tunc pariter etiam de legibus eiusmodi politicis certum foret, earum vim non pendere ab acceptatione populi; nisi quatenus Princeps in hoc ipsum tacitè vel expresè consentiret.

De qua re prudenter inter alios scripisse mihi videtur Ludouicus Molina tom. 1. de Iustit. disp. 23. post Alphonsum à Castro lib. 1. de potestate legis pœnalis cap. 1. quæ ob prolixitatem omitto. Hoc proprium Molinę documentum placuit referre *Si Princeps*, inquit, *Iure belli potestatem in aliquam Rempub. comparasset, tunc cum non haberet à Repub. suam potestatem, sed tantam Iure belli comparasset, quantam Respub. ipsa posset illi concedere, vtiq; Princeps posset eam cogere ad illas leges, quæ non essent adeo graues, vt iniustitiam continerent, &c.* Habemus ergo Alphonsum à Castro & Molinam etiam quoad leges politicas in aliquo casu, (quanto magis quoad Ecclesiasticas) nostræ sententiæ opitulatores & comprobatores.

Secundò. Quæ esset ista politiæ ratio, si Pontifex ad leges iustissimas, & toti Ecclesię aut necessarias, aut peropportunas nulla ratione populũ renuentem cogere posset; nonne hac ratione mancum & imperfectum Ecclesiasticæ hierarchiæ regimen fore, dicendum esset?

Tertiò. Si pater filijs, vir vxori, Dominus seruo, Princeps subdito particulari aliquo præcepto, eoq; minimè de-

pendente ab accepatione inferioris, aliquid absolutè præcipere potest, cur nō, si opus sit, Pastor ouibus, caput membris, Pontifex Ecclesiæ?

Quartò eodem planè modo suum nobis Regem in optima Reipub. forma descriptum dedit Plato in dialogo suo politico, à med. Vbi cum hospes inter locutor Socratis, vulgi opinionem retulisset; nempe legum valorem ab acceptatione populi pendere debere, tandem vtriq; in eam veniunt sententiam, oportere Regis potestatem in optima Repu. absolutam esse, quę à libito subditorū nō dependeat: *Nosti*, inquit hospes, *quid hac de re vulgo dicatur?* Respōdet Socrates, *in præsentia non memini.* Hospes: *At qui pulchra dicūt. Aiunt enim, si quis leges quasdam prioribus meliores inuenerit, & eas ciuibus persuaserit, eum oportere leges ferre; si non persuaserit, non oportere.* Socrates. *Nunquid rectè?* Hospes. *Forsitan. Sin autē quispiam non persuasione, sed vi quod rectius est, induxerit, quod erit potissimum ei violentiæ nomen? responde, imo nondum ad ista, sed ad superiora prius.* Socrates. *Quæ inquis?* Hospes. *Si quis arte medica verè præditus non persuadeat, sed cogat eum, quem curat, puerum, vel virum, vel mulierem, præter scripta artis remedia, aliquid melius agere, quod nā erit ei violentiæ nomen,? Nonne aliud quoduis potius, quam artis trāsgreßio, hoc est, illatio morbi? Et quiduis aliud potius coacto hōni, quā transgreßionē artis ac morbū contigisse dicendū?* Socrates. *Vera loqueris.* Hospes. *Quid autē contra ciuilē artē erat delictū? Nonne quod turpe dicitur, quod malum, & quod iniustū?* Socrates. *Istuc ipsū.* Hospes. *Age cū aliqui coguntur p̄ter patrias leges moresq́; facere, quæ iustiora, meliora, honestioraq́; sunt, nōne ridiculoßißimus omniū erit, quisquis vim eorum vituperabit, dicet q̄ illos à curatoribus seu legislatoribus qui coegerunt, turpia, mala, iniusta fuisse perpessos?* Socrates. *Vera penitus loqueris.* Hospes. *Nunquid si diues est, qui cogit, iustæ coactiones sunt, si pauper autē, iniustæ? An potius siue persuaserit, siue non persuaserit, siue*

pauper sit, seu diues, & secundũ scripta, vel præter scripta, modo vtilia inducat, dicendũ est, hanc esse veram rectæ gubernationis ciuilis definitionẽ? Qua ratione vir sapiens bonusq́; gubernabit, semp̃ ita ad subditorũ salutẽ respiciens, vt ad nautam nauisq́; salutem respicit gubernator. Nam vt ille non scriptis sed arte, quasi lege quadã, nautas seruat, ita & vir ille verè ciuilis; & apud eos, qui ita dominari possunt, recta est rerũ ciuiliũ administratio, vim artis legibꝰ potiorẽ adhibens. Ac summatim quicquid prudentes principes agant, nunq̃ delinquũt, quandiu vnũ hoc potissimũ seruant, vt mente & arte, q̃ iustissimũ est ciuibus inducentes, tueri eos valeant, melioresq́; ex deterioribus, quoad fieri potest, efficere. Et tandem hæc omnia sua approbatione complexus in persona Socratis Plato concludit: *His quæ modo dicta sunt, repugnare non licet, &c.*

Eandem rem breuioribus verbis complexus est Marsilius Ficinus, Platonis interpres, in argumento quod eidem præfixit, vbi ex sententia Platonis ait; *Necesse esse Iudicem, si modo sententiæ sit illius acquiescendum, imperium in eos, inter quos iudicabitur, habere: alioqui nullius momenti erit iudicium, frustraq́; iudicatur, quod videri possit dissoluendum.* Et infrà; *Rex autem vna cum senatu leges condat, quas non liceat vel cuiquam priuato transgredi vel vulgo mutare. Liceat tamen regi senatuiq́; simul pro temporum oportunitate quatenus expedit, diligenti cum æquitate, & rebus ipsis accommodare atq́; temporibus, & si oportuerit, permutare, &c.*

Satis igitur hactenus probata propositæ à nobis argumentationis maior propositio; quam multò adhuc euidentiorem reddere possemus, si eam ad circumstantias Iuris, Ecclesiasticam libertatem & immunitatem sancientis, de quo controuersia est, enucleatius vellemus astringere. Agitur scilicet de Iure, spiritualibus Ecclesię cōmodis & incrementis per quã oportuno, vt supra indicauimus. Agitur de Iure ab oībus Christianis Principibus, magna cōsensio-

ne adeò recepto, vt nemo quicquam in hoc genere contrariũ sibi ꝓpria autoritate licere asserat, vt suo loco dicetur. Agitur de Iure saltẽ extra vrbem Venetam, tam ab Ecclesiasticis, quàm à Laicis recepto. Agitur demum de Iure in ipsa etiam vrbe, ab Ecclesiastico statu, quam deteriorem seu viliorem esse alicuius Reip. partem, nemo Christianus dixerit, contra violatores antehac insuper defenso.

Et quis quæso audeat dicere, eiusmodi Ius, quantumuis magna semper contentione, à summis Pontificibus, & à Concilijs etiã generalibus perpetuò inculcatũ, vim nõ habere in aliqua ditione seu loco, quia à sæculari tantum Magistratu, eius loci seu ditionis, receptum fuerit nunquã?

Iam verò ꝓpositio Minor, leges scilicet, seu Ius illud, quo Ecclesiastica libertas & im̃unitas constituitur, esse Ius Ecclesiasticũ, iustum, spiritualibus totius Ecclesię com̃odis vtile, à summa Ecclesiæ potestate latum, per eandemq́; absoluta authoritate & voluntate toti Ecclesiæ simpliciter seruandũ propositum & inculcatum, non habet difficultatem. Primò enim eiusmodi leges à suprema Ecclesiæ potestate, nempe Rom. Pontifice, seu Conc. Generali, latas esse, in cõfesso est, vt patet ex lib. 1. nec dubium, legitimè ꝓmulgatas; esse verò iustas, vtiles, imo necessarias, luculenter eodẽ lib. 1. p̃sertim c. 18. & 19. ostendimus. Illud hic solummodo restat, vt ostendamus, absoluta voluntate ita p̃scriptas fuisse, vt Ecclesia quantum in se, noluerit earũ valorem & obligationem à subditorum, præcipuè Laicorum, acceptatione pendere. Primò enim ratio fuit, cur id meritò nollet; cum leges ipsæ tàm iustæ, tàm vtiles, imò & moraliter necessarię essent ad spiritualia com̃oda eorum, quibus præfixæ sunt. Sicut ergo æquum non est, vt medicina saluberrima, imò & necessaria, ægri curandi arbitrio relinquatur ab eo, qui aliunde potestatem habet eum compellendi, vt supra etiam ex

Plato-

Platone vidimus; ita conueniens non erat, vt obligatio legum optimarum, & ad bonum Ecclesiæ statum cumprimis pertinentium subditorum arbitrio esset subiecta.

Secundò id probatur ex modo, quo eiusmodi leges hactenus in Ecclesia sancitæ sunt. Cum enim in quamplurimis legibus Ecclesiasticis libertatem Clericorum sancientibus, omnis contrariæ consuetudinis, aut præsumptionis vis penitus eneruetur; quin verò etiam vniuersa eius generis consuetudo, velut corruptela & præuaricatio damnetur, vt cap. sequenti videbimus, clarum est, vim eiusmodi legum in arbitrio acceptantium constitutam non esse.

Tertiò probatur perpetua & vigente in Ecclesia Romana praxi, quæ apertè ostendit, nunquam hac tacita voluntate leges ad Ecclesiasticam libertatem & immunitatem pertinentes ferri, si & quatenus acceptentur, sed absoluta voluntate & authoritate, vt dictum. Nam vt rectè notauit Ioannes Azor lib. 5. Instit. moralium cap. 12. quæst. 1. *Summi Pontifices, si quid contra Ecclesiæ libertatem attentatur, vt notissimum est, quotidie reclamant, conqueruntur, prohibent, pœnas constituunt, & sententias ferunt in Laicos, qui talia faciunt: vt patet manifestè ex Actis iudicialibus Auditorum Cameræ; Vbi quotidie expediuntur literæ monitoriæ, vt personaliter compareant ij, qui ita conueniunt, atq; consentiunt; & contra illos pronuntiantur sententiæ condemnatoriæ, lata etiam excommunicatione. Id etiam constat ex pluribus decisionibus Auditorum Rotæ, & ex sententijs Auditorum sacri Palatij Apostolici, in quibus omnino improbantur & damnantur tales recursus, & ij qui recurrunt, declarantur excommunicati, quod semper seruatur apud sedem Apostolicam, quando de hac re notitia habetur. Imò quotannis in die cœnæ Dominicæ, Romani Pontifices publicam & solennem excommunicationem ferunt in Magistratus, Iudices, & Principes sæculares, qui in suis tribunalibus causas Clericorum, vel Ecclesiarum tractant &*

iudicant; vel ad sua Pratoria reuocant; vel apud se diplomata Pontificia, vel literas Apostolicas detinent, ne ad effectũ deducantur; & in eos, qui ad Laicos in pradictis causis confugiunt & recurrunt. Qua omnia apertè ostendunt & indicant, longè abesse ab his omnibus tacitum Romanorum Pontificum consensum, & præsumptam, quam vocant patientiam. Ita Azor, cuius in quęstione facti testimonium eò grauius est; quò ipse Romanæ curiæ praxin & stylum, vtpote Romæ compluribus annis versatus, melius habere potuit perspectum.

Nec est, quod Venetæ causæ defensores sibi blandiantur ex silentio Pontificum, qui non ignari, iam antea frequenter multa, quæ modò improbantur, actitari Venetijs consueta, tacuerunt. Etenim profectò non siluerunt Pontifices, sed & generali sententia quæ eiusmodi sunt, singulis annis semel minimùm in bulla cœnæ damnarunt, vt vidimus; sæpe etiam particularibus rescriptis & admonitionibus, sui officij D D. Venetos admonuerunt, vt ex dictis colligitur, & capite sequenti apertius dicetur. Publica autem, & speciali sententia, vt contra Dominos Venetos antehac procederetur, tempus nondum fortasse ferebat, cum ipsam etiam Pontificum patientiam, temporis diuturnitate testatiorem reddi conueniret. Nam vt Ecclesiastes ait cap. 3. *Omnia tempus habent. Tempus tacendi, & tempus loquendi, &c.* His accedit, non semper oportunè adhiberi remedium peccato, in ipsa eius origine; sed nonnunquam sapienter differri correptionem, dum illud compleatur. Sic enim Abrahæ pronuntiauit Deus, Genes. 15. eius progeniem non ante quartam generationem, terram Amorrhæorum, his deletis, occupaturam. *Generatione quarta,* inquit, *reuertentur huc, necdum enim, completa sunt iniquitates Amorrhaorum, vsque ad præsens tempus.* Et sæpe accidit, vt peccator in ipso lapsus exordio acrius correctus, respuat medici-

dicinam, quam postea felicius admittit: iuxta illud Psalmi 15. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt.*

Vtramq; causam sapienter indicauit Cardinalis Baronius loc. citato: cum enim multa contra Ecclesiam commissa, in Veneta ditione, piacula commemorasset, addit: *Hæc & alia id genus, plurima sæpe ingesta, & audita frequenter sunt pacifice, & æquo animo adeò tolerata, à Prædecessoribus clementissimis, vt ipsis iam sua ipsorum patientia verteretur opprobrio, cum à nonnullis aduersus eos Zelo Dei æstuantibus, illud Dominicum iactaretur, Simon dormis? Attamen passi sunt potius insimulari torporis, quam periclitari in sede Apostolica tolerantiam, expectantes cum Apostolo, si quando daret vobis Deus pœnitentiam, ad cognoscendam veritatem, & resipiscentiam à laqueis Diaboli. Vbi verò cognitum est, etiam firmitate legum per vos vestra obfirmata esse peccata, haud amplius tolerantiæ tempus visum est, sed diuisionis, & combustionis, dicente Messoribus Patrefamilias illud Euangelicum; Colligite Zizania, & alligate ea in fasciculos adcomburendum, &c.*

Quartò. Demum quid opus est in re clarâ probanda diutiùs immorari? Quæstio facti est, an Pontifices illos Canones absoluta voluntate & authoritate ita sanxerint, vt nollent eorum vim, & obligationem, renitentium, aut non acceptantium opposita authoritate retundi. Ecce in aperto est Pontificis ipsius declaratio, qui optimus suorum verborum, seu quæ ab anterioribus summis Pontificibus olim edicta fuerunt, interpres, facto & verbo profitetur, nullo modo legum eiusmodi vigorem, seu à Venetæ Reipub. seu à cuiusuis Principis consensu seu arbitrio dependere.

Nec id ad rem quicquam facit, quod vt Paulus Venetus iactat, leges quibus libertas, & immunitas Ecclesiastica sancitur,

citur, posteriores fuerint ipso Veneti Principatus exordio & Institutione. Nam etsi hoc ita esset (quod falsissimum tamen esse lib. I. ostensum) nil tamen ea vetustas, obedientiæ sanctæ Ecclesiæ debitæ præiudicare posset. Alioqui quoties noua lex aliqua constitueretur, ipsa nempe Repub. recentior, tum scilicet solo vetustatis titulo legem reijcere Respublica posset. Quod quis seu in regimine politico, seu in Ecclesiastico vnquam audiuit? Certè contrarium hactenus de Ecclesiæ legibus manifestè probatum est. Ratum sit ergo & firmum, nec verum esse, quòd Ius Immunitatis Ecclesiasticę nunquam fuerit à Repub. Veneta receptum, & si verum maximè esset, non tamen ideo Venetam Rempublicam, vllo Iure siue in res & personas Ecclesiasticas Iurisdictionem exercere, siue iustissima summi Pontificis, pro tempore, mandata respuere potuisse.

CAPVT XVI.

IVS IN RES ET PERSONAS ECCLESIASTICAS, DE QVO DISCEPTATVR, NVNQVAM FVISSE A REPVB. VENETA PER consuetudinem, legitimè præscriptum; et si maximè præscriptum fuisset, hinc tamen Venetam causam nil iuuari.

ETsi titulo præscriptionis nolint præcipuè suam causam tueri Venetæ causæ Defensores, tamen & hunc etiam subinde prætendunt, tùm in cæteris controuersiæ capitibus licet obscurius & frigidius; tum maximè in eo, quo de Exemptione Ecclesiasticorum à iudicijs criminalibus sæcularium agitur: *Quod si daremus*, inquit Paulus Venetus pag. 31. *Clericorum exemptionem primum lege iussam, & in mores inductam fuisse, deinde verò contraria consuetudine etiam immemorabili aduersus illam*

illam esse præscriptum, aio futurum, vt illa ad huc Iure exerceretur. Verum in re nostra, autoritas vsusq́ Reipub. omnem præcedit ætate legem Ecclesiasticæ Exemptionis à Iudicijs criminalibus; neq. quodcunq́ Ecclesiasticum decretum illi quicquam potuit officere, &c.

Nobis verò, quicquid isti dicant, facile est ostendere; & à Veneta Repub. Ius in Res & personas Ecclesiasticas, consuetudine Exemptionem Ecclesiasticam abrogante, nunquam fuisse legitimè præscriptum, & si præscriptum fuisset, potuisse nihilominus Iure à summo Pontifice nouo decreto abrogari, cui proinde omni Iure tam diuino, quam humano fuerat obtemperandum.

Quod igitur ad primum attinet; omnium Doctorum, tam Theologorum, quam Iurisperitorum sententiâ constitutum est, ad hoc, vt consuetudine, Ecclesiastica lex abrogari possit, inter alias conditiones requiri, vt consuetudo sit rationabilis & præscripta. Quod expresse statuit Pontifex, capitulo vltimo, de consuetudine, his verbis: *Licet etiam longæua consuetudinis, non sit vilis authoritas, non tamen est vtq́ adeò valitura, vt vel Iuri positiuo debeat præiudicium generare, nisi fuerit rationabilis, & legitimè præscripta.* Præscribi autem non potest, nisi sit tolerata ab eo, qui suprema independente authoritate legem tulit; quia alioquin deest bona fides, sine qua nulla valet præscriptio, ex cap *possessor* de regulis Iuris, & cap. *Vigilanti*, & cap. *Si diligenti* de præscriptionibus. Quocirca omnes etiam Doctores hanc conditionem requirunt ad consuetudinem, qua lex abrogari debeat.

Et ratio est manifesta. Quia si supremus legislator, cuius videlicet authoritas à communitate nequaquam dependet, improbet consuetudinem, signum est euidens, eum velle, non obstante consuetudine, quam pro *corruptela* habet, suam nihilominus legem seruari: at quoties con-

ſtat, ſuperiorem, cuius authoritas nulla ratione à populo dependet, abſolutè velle, ſuam ſeruari legem, quidquid populus ſubiectus contra eam attentet, tum certum eſt, per ſe loquendo, eius legi, modò per ſe iuſtæ & rationabili, eſſe obtemperandum, tam naturali & diuino, quam humano Iure, vt cap. præced. vidimus. Ergo quamdiu legiſlator, conſuetudinem iuſtæ legi contrariam improbat, fieri non poteſt, vt lex abrogetur. Atq; eandem etiam ob cauſam meritò notarunt Doctores, conſuetudinem eiuſmodi debere eſſe toleratam, *non impotentia legiſlatoris*, nempe ob vires, & meram contumaciã ſubditorum ſola potentia ſuffultã, q̃bus reſiſtere nõ poteſt, ſed quadã *conniuentiá*, vt ſpeciatim tradunt Dom. Sotus lib. 1. de Iuſt. q. 7. ar. 2. ad 2. Greg. de Valentia tõ. 2. diſp. 7. q. 5. punct. 8. Hæ ergo conditiones ad conſuetudiné, qua lex abrogari poſſit, iure requiruntur.

Cæterùm ſi expendantur ea, quæ hactenus, ac præcipuè cap. præced. dicta ſunt, conſuetudo contra libertaté, & ExemptionéEccleſiaſticã in Veneta Repub. nõ fuit *rationabilis*, quia cõtra legé ſumã ratione conſtitutã erat, vt ſępe vidim⁹.

Deinde non fuit *præſcripta*; quia nec tolerata fuit à b ijs, q̃ legem Exemptionis tulerant: quandoquidé Romani Pontifices publicis decretis & ſententijs perpetuò eiuſmodi cõſuetudini reclamarunt, eamq́; apertè improbarunt, damnarunt, & anathemate ferierũt, vt ex ſequentib. fit manifeſtũ.

In cap. *Clerici*, de Iudicijs ita ſtatuitur: *Cum Imperator dicat, quòd leges non dedignantur ſacros Canones imitari, in quibus generaliter traditur, vt de omni crimine Clericus debeat coram Eccleſiaſtico Iudice conueniri, non debet in hac parte canonibus ex aliqua conſuetudine præiudicium creari.*

In cap. *Quanquam* de cenſib. in 6. conſuetudiné ab Eccleſiaſticis pedagia exigédi ſine legitima facultate, Bonifacius Papa VIII. tanq̃ *corruptelã* damnat: *Contraria*, inquit, *conſuetudine quorũtunq́, quæ dicenda eſt corruptela verius, non obſtante.*

In

In cap. *Cum Venerabilis*, de consuetudine, similis consuetudo canonib⁹ sacris aduersa pari cẽsura damnatur: *Postmodum autem*, inquit Pontifex, *nuncij eius, ad defensionẽ ipsius, generalem illius terræ consuetudinem allegarunt. Cum igitur hæc non tam consuetudo, q̃ corruptela meritò sit censenda, quæ profectò sacris est canonibus inimica, ipsam mandamus de cætero non seruari.*

Nicol. Papa can. 3. dist. 8. generatim cauet, ne qua mala cõsuetudo in legis præiudiciũ trahatur. *Mala*, inquit, *consuetudo, quæ non minus quam pernitiosa corruptela vitanda est, nisi citius radicitus euellatur, in priuilegiorũ ius ab improbis assumitur: & incipiunt præuaricationes, & præsumptiones celerrimè non compressæ pro legibus venerari, & priuilegiorum more perpetuò celebrari.*

Honorius III. vt iam supra lib. 1. cap 7. vidimus, cap. *Nouerit*, de sentẽt. Excomunicationis, ipso facto excomunicat eos, q de cętero seruari fecerint statuta edita, & consuetudines introductas cõtra Ecclesiæ libertatẽ &c. Tantũ abest, vt cõsuetudinẽ siuerit in Ecclesiast: libertatis p̃iudiciũ cedere.

Consimili sententia cõsuetudines eiusmodi damnat Fridericus Imper. cod. de sacros. Eccles. post l. 12. *Cassa*, inquit, *& irrita esse denuntiari per totam Italiã præcepimus, omnia statuta & consuetudines, contra libertatẽ Ecclesiæ, eiusq́; personas, inductas, aduersus Canonicas vel Imperiales sanctiones; & ea de capitularib⁹ penitus aboleri mandat noua constitutio: Et de cætero similia attentata, ipso Iure nulla esse decernit. Si quid contra fiat, pœnæ quæ statutæ sunt, imminebunt. Sed si per annum huiusmodi nouellæ constitutionis, aliqui inuenti fuerint contemptores, bona eorum per totum nostrum Imperium impunè ab omnibus occupentur.*

Vbi Bald. in rubr. *Statuta*, inquit, *cõtra libertatẽ Ecclesiæ, vel Ecclesiasticarũ personarum ipso iure sunt nulla: & debent abradi de volumine statutorũ: & puniuntur contrà facientes. Et ista authentica non ponit ius nouũ, nisi in additione pœnarũ.* Vides ergo, tam Iure ciuili, quã canonico omnes eius generis cõsuetudines prorsus damnari & aboleri, tã p̃teritas & p̃sentes, q̃ futuras.

Leo X. in bulla, qua seuerissimè Ecclesiasticæ libertatis Ius sancitur & innouatur, quam lib. 1. cap. 5. ad verbum retuli, hæc in fine expressè addit: *quacunq; consuetudine contraria non obstante*; nullam scilicet vim consuetudini esse permittens, qua libertatis Ecclesiasticæ Iuri detrahatur.

Deniq; in bulla cœnæ manifestum est, omnem consuetudinem & præscriptionem, (ne quis fortè inter hæc ausit discrimen ponere) immunitati Ecclesiasticæ aduersam excludi. Ita enim sub finem loquitur: *Necnon consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac præscriptionibus quantumcunq; longissimis, & alijs quibuslibet obseruantijs scriptis vel non scriptis, per quæ contra hos nostros processus ac sententias, quò minus includantur in eis, se iuuare valeant, vel tueri, &c.* non obstantibus. Qua singulis annis repetita publica denuntiatione & cautione, omnis in hac materia tàm consuetudinis, quàm præscriptionis vis vtiq; eneruatur. Quocirca Nauarrus in manuali cap. 27. num. 72. de censuris bullæ cœnæ loquens ait: *Hæ censuræ includunt omnes, etiam Imperatores, Reges, & vniuersitates, quibus illæ sunt aptæ; & nulla consuetudo etiam immemorialis, aut præscriptio qualibet longissima contra eas prodesset, &c.* Cum ergo consuetudo eiusmodi legi Ecclesiasticæ aduersa, à sacris Canonibus nunquam fuerit tolerata, sed semper improbata & damnata, apertè colligitur, eam præscribi non potuisse, vt etiam infra ex ipsius quoq; Couarruuiæ sententia dicemus.

Adhæc verò etiam testibus Ioanne Bouio, in sua contra Paulum Venetum lucubratione, & Nicomacho Philalitheo, in suis animaduersionibus de negotio Veneto Italicè scriptis, in curia Romana asseruantur literæ Apostolicæ Pontificum Gregorij IX. Nicolai V. Pauli II. Sixti IV. Innocentij VIII. Iulij II. Leonis X. Clementis VII. Pauli III. Gregorij XIII. quibus isti perpetuò reclamabant

ijs.

ijs, quæ contra Ecclesiasticam immunitatem malè subinde in Veneta Repub. gerebantur. Quomodo ergo reclamantibus perpetuo summorum Pontificum tam generalibus, quàm specialibus, publicis priuatisq; decretis, & sententijs, vlla posset legitimè currere præscriptio?

Accedit quod ipsamet Resp. subinde suam, quæcunq; prætendi potest, præscriptionem interrupit, vt immemorialis nequaquam censeri possit. Nam anno millesimo, quingentesimo, decimo, Iuramento se obstrinxit Veneta Respub. se exemptionem Clericorum inuiolatam seruaturam, vt dictum capite præcedenti. Et rursum anno millesimo, quingentesimo, sexagesimo quarto, Concilij Tridentini decreta, (in quibus etiam sanctissimè constituitur exemptio & libertas Ecclesiastica) palam recipi, & in sua ditione promulgari curauit, vt ibidem diximus. Deniq; nunquam fuit in quieta possessione eiusmodi Iuris; nam vt vidimus capite præcedenti, Ecclesiastici ipsi sæpius hanc sacris Canonibus contrariam libertatem & præscriptionem impugnarunt, & ad legitimos superiores, velut iniustam detulerunt.

Taceo in præsenti lubens, quod Exemptio Ecclesiasticorum est Iuris diuini, cui derogare contraria consuetudo non potest quicquam, vt lib. 1. ostensum: quo tamen argumento sponte hoc loco supersedemus, ob eam tantum caussam, vt eò euidentius aduersarij reuincantur, quò pluribus & communioribus redarguuntur principijs.

Iam verò etiãsi Ius illud in res & personas Ecclesiasticas à Republica præscriptum fuisset, adhuc tamen Iure Pontificem nouo decreto eiusmodi Ius abrogare potuisse, ita facile ostenditur. Quia Ius præscriptione obtentum, non minus potest abrogari, quam si alio titulo Iure approbato, nempe donationis, electionis, &c. fuisset obtentum; atqui

ſi Princeps Venetus, ipſius ſuæ electionis, ſeu Inſtitutionis titulo immediatè, Ius in perſonas & res Eccleſiaſticas obtinuiſſet, id ei nihilominus ex cauſis iuſtis, & commune bonum ſpirituale Eccleſiæ concernentibus, poſſet abrogari, Eccleſiaſtica poteſtate Pontificis, vt demonſtrauimus, lib. 1. cap. 19. Ergo etiam iiſdem ex cauſis abrogari potuit, quamuis præſcriptione ſemel legitimè obtentum fuiſſet.

Maior propoſitio eſt clara & euidens; quia præſcriptionis titulus non eſt maioris efficaciæ, aut virtutis, quam legitimæ donationis, emptionis, hæreditatis, ſiue ſucceſſionis &c. Nec verò qui præſcripſit Ius ſeu rem aliquã, etiã contra poteſtatem legitimam, ſeu debitam alioqui ſuperiori obedientiam præſcripſit, ne cõmuni quadam ratione & titulo, in ordine ad bonum cõmune, eiuſmodi res ſeu Ius diſpoſitioni ſuperioris ſubiaceat; ſed præſcriptio illa ſolũmodo hoc operata eſt, vt perinde rem ita pręſcriptam iure tanquã ſuam poſſideat, ac ſi donatione, aut quouis alio titulo fuiſſet obtenta; quę proinde nec à priuato quolibet, nec à ſuperiore ſine cõmuni cauſa bonũ Reip. concernẽte, poſſit auferri.

Quod maximè etiam in politico regimine videre eſt. Nam ſi magna & euidens quædam boni cõmunis neceſſitas poſtulet, vt certa quædam priuatorum bona & Iura, à prioribus Dominis, in Rempub. conferantur; tum certè nil intererit, an bona eiuſmodi hæreditate, vel donatione, an præſcriptione, an alio titulo ſint obtenta; ſed planè tam in Rempub. transferri poterunt, ſi præſcriptione, quam ſi quouis alio titulo fuiſſent obtenta.

Si ergo Pontifex ex cauſis ſupradictis, potuit Principes quoſlibet ſęculares Iure in perſonas & res Eccleſiaſticas priuare, quanquam ab initio fortè ſuæ Inſtitutionis & gubernationis Ius eiuſmodi habuiſſent; quod fatentur inprimis etiam illi, qui volunt Exemptionem & Immunitatem Eccleſia-

clesiasticam primum humano Iure ipsius etiã Ecclesiæ fuisse introductam, vt loco citato diximus: certè etiam potuit idem Pontifex Venetos eodem Iure priuare, sibiq; illud & foro Ecclesiastico vendicare, licet post latam legem Exemptionis, peculiari aliqua consuetudinis vi, contra Canones eiusmodi Ius legitimè præscripsissent. Nec video, quid hac in re possit, vel in speciem saltem probabile, à quoquã principia fidei, & ipsius Pontificis autoritatem non penitus cõuellente obijci; vt proinde frustra Ioannes Marsilius post quartam propositionem, Couarruuiam & Sotum pro sua causa alleget, afferentes Exemptionem Clericorum esse iuris humani, non diuini; præterquam enim quod hæc assertio falsa est, vt lib. 1. cap. 17. ostensum, nihil ea etiam causæ Venetæ prodest, vt hactenus luculenter demonstratum est. Quia tamen aduerto, nonnullos etiam alios Couarruuiæ authoritate plùs nimio moueri, vt minus rectè nonnunquã de Ecclesiasticæ libertatis & Exemptionis iure sentiant, operæ pretium erit, eius hac de re sententiam, & quæcunq; Venetæ causæ patrocinari posse videbuntur, paulò exactius inspicere.

Primò enim illud fortasse quispiam obijciet, quod Couarruuias indicare videtur, posse vel consuetudine, vel pręscriptione Iuri Ecclesiastico præiudicium creari; idq; non obstante inhibitione & exceptione, quę quotannis in bulla cœnæ Domini solet authoritate Pontificis iterari. Sic enim scribit in reg. *Possessor*, part. 2. §. 12. n. 5. *His adijciendũ est, quod Felinus scribit in capit. cum non liceat, de præscript. colum. vltima, existimans, aduersus Romanam Ecclesiam, nullam procedere præscriptionem: quippe quæ quolibet anno interrumpatur per excommunicationem à Romano Pontifice, die Iouis sancti, ex bulla cœnæ pronunciatam aduersus occupantes, & detinentes res Ecclesiæ Romanæ. Quod satis est singulare, si iure defendi possit.*

Ego

nibus apud Iudicem Ecclesiasticum, non sæcularem conueniuntur. Putat ergo hic author, posse nonnihil derogari Iuri Ecclesiasticæ libertatis per consuetudinem præscriptam; etsi nō penitus abrogari.

Tertiò idem author practicarum quęstionum cap. 35. prolixè disserens, qua ratione soleant, apud Castellani regni prætoria, res & negotia quædam Ecclesiastica frequenter examinari; eam sententiam tueri conatur, id iustis rationibus fieri; inter quas etiam diuturnam praxin referre videtur. Ex his ergo fortasse colligat quispiam, posse etiam consimili consuetudinis præscriptæ titulo causam Venetam defendi.

Ego verò ne singula ista à Couarruuia tacta speciatim examinem, quæ ad hoc de causa Veneta institutum parum aut nihil pertinent; sed ea potius seu vera sint, seu falsa, ferè indiscussa relinquam, duo hæc respondeo. Primùm in genere illud, quod iam etiam libro præced. capit. 18. monui, Couarruuiam in his, quæ ad doctrinam de libertate Ecclesiastica pertinent, nonnunquam liberius locutum, & minus ad sacros Canones fuisse attentum; cuius rei testem laudaui Cardinalem Bellarminum, in suo opere de Controuersijs religionis; qui etiam in libro contra 8. propositiones, responsione ad quartam proposit. Eandem sententiam his verbis confirmat: *Couarruuias, vt supra attigimus, semper partialis nimis visus est pro Iurisdictione regia.* Quod prę- ter ea, quæ hactenus de Ecclesiastica libertate fusè disputata sunt, vel ex ijs etiam ipsis colligi potest, quæ à Couarruuia pronūciata superius adduximus. Nam quid illud est, quod secundo loco ex ipso retulimus; *Textus in cap. Clerici de iudic. tradit non valere consuetudinem, quòd Clerici in criminalibus apud sæcularem Iudicem conueniantur, &c. glossa idem generaliter respondisse videtur, &c. Idem notat Panormitanus, Doctores, &*

Rota,&c.opinor tamen posse per consuetudinem legitimè præscriptam exemptionem istam restringi,&c. Hoc,inquam,quid aliud est,si ad synceræ veritatis, & apertę dictionis normam expendatur,quàm dicere: Ius quidem Canonicũ, à sum̃is Pontificibus & sacratissimis Conilijs statutum,omnem cõsuetudinem Exemptioni Clericorum aduersam damnat & eneruat; idemq; ex Iure canonico notat glossa; & communi consensu tradunt Doctores; ipseq; stylus curiæ Rom. idem perpetuo vsu comprobat; ego verò nec textum, nec glossam,nec Doctores,nec praxin, aut stylum curiæ tanti momenti esse existimo, quin contra Ius Ecclesiasticæ exemptionis aliquid consuetudini tribuendum existimem. Hoc verò quale est,vt à Couarruia pronunciatum tantæ autoritati præferatur? cum tamen & fundamentum eius opinionis, quòd nempe Ecclesiastica exemptio Iuris tantum sit positiui,falsum esse libro 1.ostensum sit;& si maximè verum esset,ne sic quidem contra expressam adeo & iustam summæ potestatis Ecclesiasticæ voluntatem, Ecclesiasticæ exemptionis legi virium quicquam detrahere posset præscriptio vel consuetudo; vt ex dictis fit manifestum.

Secundò respondeo ad ea, quæ ex Couarruuia sunt obiecta,etsi concedatur, vera esse omnia,quæ ex ipso retulimus, nec Præfectum Prætorij hic suis partibus fauisse quicquam,nihil tamen inde patrocinij aduocari posse vel ad Venetam causam tuendam,vel ad refellenda ea,quæ hactenus ex certa & communi Doctorum sententia confirmauimus; imò verò ipsum etiam Couarruuiam à nostra, seu potius Ecclesiæ sententia in hac causa Veneta stare, quod quinque argumentis ostendo. Primum desumo ex illo ipso loco,qui in obiectione primò fuit adductus. Verbis enim allegatis mox ista ibidẽ subiicit Couarruuias: *Quod si dixeris Felinum secutus,admonitionem Romani Pontificis,etiam extra*

extra iudicialem, ita interrumpere præscriptionem, sicut eam litis contestatio interrumpit; cum ipse Rom. Pontifex sit Iudex omniū maximus, nec habeat iudicem, coram quo agere, aut alterum conuenire debeat: quemadmodum in hac specie tradit Innocentius, Ioannes Andrea, Abbas, Felinus, &c. id procedit in speciali monitione ipsius Romani Pontificis, qui speciali quadam requisitione, ac nominatim possessores admonuerit, vt res occupatas Ecclesiæ Romanæ restituant; cum ex hac admonitione censeantur possessores in mala fide constituti; non sic erit dicendū in monitione illa generali, quæ fit per excommunicationem Romani Pontificis in bulla cœnæ, &c. Cum ergo Couarruuias apertè fateatur, per specialem Pontificis monitionem (quicquid sit de generali in bulla cœnæ contenta) impediri & interrumpi vim præscriptionis, etiam quoad res temporales Ecclesiæ Romanæ, certum est ex Couarruuiæ sententia, D D. Venetos iure non præscripsisse Ius illud spirituale in res & personas Ecclesiasticas; quandoquidem non solum hoc multò minus ex sua naturâ præscribi potest (vtpote spirituale) quam ipsa bona per se temporalia ipsius Ecclesiæ; sed etiam non semel, sed sæpius speciales à summis Pontificibus monitiones ad Venetos directæ fuerāt, quibus vt ab eiusmodi Ecclesiasticorum iuriū vsurpatione abstinerét fuerūt comoniti, vt supra vidimus.

Secundum argumentum peto ex ijs, quę in secunda obiectione relata sunt. Cum enim Couarruuias præscriptioni eiusmodi contra libertatem & exemptionem Ecclesiasticam vim nullam tribuat, nisi consuetudo *procedat à tacito consensu Clericorum & Laicorum simul*; at verò in causa Veneta, nequaquam possit asseri, illam Reipub. consuetudinem (si quæ fuit) processisse à tacito vel expresso consensu Clericorū & Laicorū simul, cum vt vidimus, ipsos Clericos sibi potius aduersantes habuerit; certè nullo pscriptionis titulo ea, vel ex ipsius etiā Couarruuię sententia, defendi potest.

 Tertiò

Tertiò idem deduco ex doctrina eiuſdem Couarruuię cit. relect. in regulam Poſſeſſor, part. 2. §. 7. num. 5. vbi ex communi docet, ignorantiam & errorem *Iuris reſiſtentis, nõ ſufficere ad inducendam bonam fidem* legitimæ præſcriptioni neceſſariam, *etiam quoad præſcriptionem longiſſimi temporis, quæ titulum non requirit.* Quocirca eſto ſenatus ignorauerit Iura, ex quibus alioquin adeo luculenter Eccleſiaſtica exemptio decernitur, omniſq; contraria conſuetudo & præſcriptio damnatur & eneruatur, non tamen idcirco, ſi Couarruuiam audimus, præſcribere contra exemptionem illam potuit; cum ſatis ſit, ipſa Iura de facto reſtitiſſe, ne præſcriptio ſuccederet & vim obtineret. Quibus adde, quod idem Couarruuias ex communi ſcripſit cit. part. 2. initio num. 8. vbi tractatur de acquirendis Iuribus incorporalibus, quorum vſui & exercitio ius reſiſtit (quicquid ſit de alijs) requiri ſcientiam & patientiam Principis, aut eius qui eum vſum permittere poteſt. Cum ergo in noſtro caſu agatur de Iuribus incorporalibus, quorum vſui & exercitio à ſæcularibus obtinendo iura quàm ſeueriſſimè obſiſtũt, planum eſt, ex ſententia Couarruuiæ iura hæc abſq; ſummi in Eccleſia Principis & Paſtoris patientia præſcribi non potuiſſe. Hanc verò patientiam in negotio Veneto non interueniſſe, ſuperius probatum eſt.

Quartò idem Couarruuias lib. 3. var reſolut. c. 13. n. 4. hanc ipſam concluſionẽ ſtatuit: *Conſuetudo etiam futura procedere nequit aduerſus canonem vel legem, quæ ipſam conſuetudinem ſimpliciter reprobauerit; nam & eam ſenſim indicat iniquam eſſe.* Quam ibidem tradit eſſe cõmunem Doctorum ſententiam. Cum ergo ſacri Canones adeo frequenter & acriter omnem conſuetudinem, Exemptioni rerum & perſonarũ Eccleſiaſticarum aduerſam, damnent & execrentur; quomodo obſecro conſuetudo illa aliquam iuxta Couarruuiæ

doctri-

doctrinam, vim obtinere poterit? Nec obstat, quod Couarruuias ibidem in sequenti conclusione subnectit: *Consuetudinem ex noua causa posse induci contra legem, derogantem etiam expreßim futuris consuetudinibus: eo quod noua causa tollat iniquitatem, quæ inesse videbatur ipsi consuetudini eo tempore, quo eam lex vt iniquam reprobauit.* Hoc inquam non obstat, quia in nostro proposito nulla potest fingi noua causa, quæ in sacris Canonibus omnem illam consuetudinem simpliciter damnantibus non præuisa & exclusa, possit Venetæ, aut similis cuiuspiam consuetudinis iniquitatem subleuare & abstergere. Ex quibus omnibus satis iam intelligitur, Ius in res & personas Ecclesiasticas nunquam fuisse à Senatu Veneto legitimè præscriptum; etiamsi vel Couarruuiæ arbitrio causa hæc omnis terminanda esset. Quod si ad ea, quæ ex ipso retulimus, communia & certa pronuntiata ipsemet quoque Couarruuias animum magis aduertisset, nunquam, meo quidem iudicio, ita absolutè pronunciasset, posse nonnihil, vi consuetudinis, contra Ecclesiasticam libertatem præscribi; esto sit hæc iuris humani tantũ, non diuini; sed addidisset (vt sanè debebat) limitationem; si quidem Iura & authoritas summi Principis & Pastoris in Ecclesia tali consuetudini perpetuò non aduersarentur; vt sanè reipsa nunc vel maximè aduersantur. Aliter quidem certè nulla penitus probabilitate accipi potest illa Couarruuiæ assertio, vt satis iam ex ipsiusmet doctrinâ manifestum feci.

Postremò verò nec si ius in res & personas Ecclesiasticas à Senatu Veneto præscriptum fuisset legitimè, posse iuxta Couarruuiæ doctrinam causam Venetam defendi, clarum euadit ex ijs, quæ libro 1. cap. 17. & 19. ex ipso retuli. Nam is, vt vidimus practicarum quæstionum cap. 31.

expresſè aſſerit, cum Victoria, Soto, & alijs, ad Romanum Pontificem, vt ſummum Eccleſiæ rectorem *iure pertinere*, vt Clericos eximat à poteſtate ſæculari, idq; ob publicam Eccleſiaſticæ Reipub. vtilitatem; cui proinde exemptioni, *nullus Princeps ſecularis, vtcunq; ſummus ſit, proprijs legibus, propriaue authoritate derogare poſſit. Cum omnes*, inquit, *ſeculares Principes ſint in ſpiritualibus & Eccleſiaſticis rebus ſummo Pontifice inferiores, non ſuperiores, nec æquales: & ideo legem ſuperioris poteſtatem eam ferendi habentis tollere non poſſunt &c.* Quod ſi verum, vt ſanè veriſſimum eſt, manifeſtum fit, ſi vel maximè Senatus Venetus, aut alius Princeps ſæcularis ius in res & perſonas Eccleſiaſticas legitimè præſcripſiſſet, poſſe tamen ſummum pro tempore Pontificem, propter communem Eccleſiæ vtilitatem & ſpirituale commodum, ius eiuſmodi præſcriptione acquiſitum denuò auferre; ſicut ex Couarruuiæ ſententia potuiſſet initio, cum etiamnum vbiuis Clerici eſſent Principibus ſæcularibus iure ſubiecti. Nam etiam ſæcularis Princeps, vt ſentit idem Couarruuias in regulam *poſſeſſor* part. 3. §. 1. num. 5. poteſt ex cauſa dominium temporale per præſcriptionem acquiſitum tollere. Cum ergo Pontifex abſolutè mandârit, vt Venetus Senatus ab vſurpatione Eccleſiaſtici Iuris abſtineret, ſuamque vt diximus, exemptionem Clericis integram ſeruaret; idque vt ex Couarruuia vidimus, iuſtiſſimo decreto, & ſufficiente authoritate, debuit ſanè Venetus Senatus, nulla præſcriptionis habita ratione, Pontifici ſummo iuſta imperanti obſequi; & quidem in eà ipſà materia, quam propriè ad forum Eccleſiaſticum pertinere, nemo negare poteſt; & ſanè Couarruuias ipſe diſertè agnouit.

Ex quo capite animaduertere licet diſcrimen, quod è ſua quidem ſententia, inter temporalia bona Eccleſiæ, &

& hoc spirituale Ius in res & personas Ecclesiasticas indicasse videtur Couarruuias; qui propterea fortè censuit, præscriptionem, quoad bona temporalia Ecclesiæ Romanæ, non impediri per annuam bullæ cœnæ inhibitioné, quod existimaret, bona temporalia suo genere vniuerso non esse talia, de quibus in vniuersa Ecclesia plena authoritate per se & absque peculiari atque extraordinaria causa disponere possit Pontifex, non obstantibus quibuslibet titulis, quibus ea sibi Principes vendicarent; ita vt si bonum temporale sit, quod Princeps existimet se velut proprium iusto titulo possidere, (esto sit reipsa fortè Ecclesiæ) teneatur ob generalem quamlibet summi Pontificis inhibitionem, iuris sui, quod sibi videtur habere, iacturam pati. At verò cum idem Couarruuias fateatur, sum̄um Pontificem pleno iure & authoritate, req; ipsa & de facto in vniuerso Christiano orbe posse Ecclesiasticæ Exemptionis legem statuere, omnibus etiam Christianis Principibus seruandam, esto, non fuerint antea Clerici à foro sæculari exempti, necessariò ex ipsius sententia dicendum est, quamlibet etiam generalem summi Pontificis inhibitionem sufficere, ne contra eam legem procedere, vimq́ue habere possit præscriptio. Atque hactenus satis tàm communem Doctorum, quàm probatam à Couarruuia sententiam hac de re vniuersa explicauimus.

CAPVT

CAPVT XVII.

REMPVB. VENETAM NVLLO PRIVILEGIO SVMMI PONTIFICIS SVAM CAVSAM TVERI POSSE.

PRiuilegij vllius prætextu Venetam cauſam defendi nullo modo poſſe, duplici quoque via demonſtrare aggredimur, nimirum primò oſtendendo, nullum eiuſmodi priuilegium à ſummis Pontificibus Reipub. Venetæ conceſſum, quo comprobetur, licere illis ea, quæ hactenus contra libertatem & Immunitatem Eccleſiaſticam attentata, à ſummo Pontifice fuerunt improbata. Secundò etiam dato non conceſſo, quod talia quondam priuilegia obtinuiſſent, nihilominus tamen ex cauſa potuiſſe abrogari, nouo pontificis decreto, cui proinde ſine controuerſia obtemperandum ſit.

Quoad primum ſciendum eſt, nec ipſos quidem Venetę cauſæ Patronos affirmare vnquam fuiſſe auſos, de ſingulis illis controuerſiæ capitibus immunitatem rerum & perſonarum Eccleſiaſticarum concernentibus, peculiaria Reipub. priuilegia conceſſa fuiſſe, quibus ea, quæ ſibi Iura vſurpet, velut à Pontifice conceſſa, defendantur; conſtat enim nimis apertè hoc falſum eſſe. Imò verò nullum penitus controuerſiæ caput priuilegij titulo defendendum ſuſcipiunt, ſed omne Ius, quod Reſpub. ſibi in hac re vendicat, velut Iure diuino, & quidem immediatè à Deo conceſſum ei tuentur, vt libro 1. cap. 1. & 2. & alibi ſæpe vidimus.

Cæterum illi ipſi Patroni, ne hunc priuilegij titulum (qui, ſi vllus, eſſe poteſt in hoc genere cauſæ legitimus) Rei-

Reipub.penitus adimant,citant quædam Breuia,& Instrumenta Apostolica,non velut priuilegia,sed velut communis Iuris, vt ita dicam,*approbatoria & declaratoria*,quibus potestas,quam in causis criminalibus exercere solita est Veneta Respublica in Ecclesiasticas personas,approbetur,& confirmetur.

Accedit adhac,inquit Paulus Venetus pag. 31. *tacita Pōtificum omnium approbatio,qui horū conscij,nisi ea probassent, reprehendissent. Adde expressam eorundem approbationē Sixti IV. Innocentij VIII. Alexandri VI. & Pauli III. Quorū Breuia in publicis Tabularijs seruata,testimoniū pro Repub. dicunt, earum rerū, qua ab illa iustè patrata sunt. Quod clarè docet Innocentius, suo Breui ad Venetiarū Patriarcham dato die vltima Octobris, Anno 1487. Quo cum docuisset,iure à Repub.Ecclesiasticos plecti,nō solum ob atrocissima scelera,verū etiam ob grauia reliqua,& atrocia quacunque,his verbis vtitur: Nos attendentes,priuilegia ad bene viuendum dari, non ad delinquendum,illa prasidio bonis contra improbos esse debere,non autē malis ad nocendum facultatē,&c. Quod non hoc modo tempore sapißimè,sed illo quoque tempore non minus frequēter vsu ueniebat,vt Sixtus IV. suo quodam Breui ad Patriarcham item dato 2. Iunij. Anno 1417. testatur his verbis: Cogimur non sine cordis dolore,plurima qua nollemus,de personis Ecclesiasticis audire, ex ista ciuitate,prasertim,in qua sape nonnulli,aut monetas adulterare, aut crimen lasa Maiestatis admisisse dicuntur, &c.* Hactenus F. Paulus Venetus,qui vt circa quartum illud controuersiæ caput,quædam Pontificum priuilegia adduxit, ita de alijs tacuit; probè gnarus,nulla adesse.

Quocirca nos probaturi,Venetam causam defendi nō posse priuilegiorum prætextu,illud inprimis accipimus & statuimus,quod vltro nobis concedunt eius causæ patroni, circa tria illa priora controuersiæ capita, nempe de locis sacris denuò non extruendis absq; Reipub. consensu, de

bonorum Ecclesiasticorum vtili dominio nunquam ad Ecclesiam reducendo, postquam bona ipsa semel Laicis per Emphyteusin concessa sunt, de Bonis immobilibus in Ecclesiam non transferendis, nullum vnquam à Pontificibus priuilegium fuisse obtentum; vt proinde saltem quoad illa, quantum est ex vi priuilegiorum Venetæ Reipub. concessorum, Ius Ecclesiasticæ libertatis & immunitatis inuiolatum consistere debeat.

Deinde quod ad quartum controuersiæ caput attinet, in quo de exemptione Clericorum à Iudicijs sæcularibus agitur, de quo vt vidimus nonnulla Breuia Apostolica in fauorem causæ Venetæ adduxit Paulus Venetus, equidem vt in re & quæstione facti, ex proprio capite promere aut affirmare nil potui, nec debui; sed potius quia nec ipsum priuilegiorum seu instrumentorum tenorem ac formam inspicere, nec alios qui vidissent, coram consulere potui, statui hic ea, quæ dicti Iurisconsulti Romani, qui omnia ipsi coram oculis inspexerũt suis, in fine suarum resolutionum hac de re scripserũt, ad verbum referre. Sic igitur scribunt.

Videndum est, inquiunt, *an Apostolica priuilegia Senatui suffragentur. Pro quo quinque exhibebantur priuilegia, duo videlicet Sixti Papæ IV. vnum Innocentij VIII. aliud Clementis VII. & aliud Pauli Papæ III. Et quod attinet ad primum Sixti IV. quod dicebatur datum apud S. Petrum 2. Iunij, 1474. Pontificatus sui anno 3. directum Patriarchæ Venetiarum, contra personas Ecclesiasticas dictæ ciuitatis monetas adulterãtes, & crimen læsæ maiestatis perpetrantes, quo mandabatur eidem Patriarchæ, vt cum contingeret, pro delictis huius modi capi aliquem charactere insignitũ Clericali, Vicarium suum ad huiuscemodi examen mitteret; vltra quòd non erat authenticum, & sic carebat fide, c. 1. de fide instrum. loquebatur tantummodo de Clericis primæ tonsuræ, vt probant expresse*

preſſe verba illa, clericali charactere inſignitum, appoſita in dicto priuilegio, quod continet materiam odioſam, quo caſu etiamſi dixiſſet ſimpliciter de Clericis, tamẽ nõ comprehenderẽtur, niſi ſimplices Clerici. Abb. in c. cum tibi n. 4. Verſ. nota ſingulariter. Vbi Hoſtien. n. 2. verſ. quod appellatio, & Ant. de Butrio n. 6. in fin. de verb. ſig. & datur pro Regula, quod in priuilegijs, & reſcriptis contra Ius ſtricta interpretatio fieri debeat, c. Sedes, de reſcrip. c. quia periculoſũ de ſent. Excom. in 6.

Præterea eſt etiam reſtrictum non ſolum ad Clericos ſimplices ciuitatis Venetiarum, de quibus ſolummodo loquitur, & ſic non extenditur ad Clericos aliarum ciuitatum ex Regula tradita per Innocent. in c. cum Capella, §. quocirca de priuil. ſed etiam ad illa duo crimina in eo expreſſa falſæ ſcilicet moneta, & læſæ maieſtatis, ex illa dictione, huiuſmodi, appoſita ad verbum, pro delictis, quæ repetit & reſtringit diſpoſitionem ad delicta, ſuperius expreſſa. c. ſi Abbatem. §. huiuſmodi cum Gloſſ. de elect. l. 6. Pariſ. conſ. 52. num. 32. lib. 3.

Et cum eſſet directum Patriarchæ dictæ Ciuitatis, eſt clarum, quod non poterat Senatus ex eo prætendere aliquam Iuriſdictionem acquiſiuiſſe in Clericos, vt potuerit illius vigore procedere contra Canonicum Vicentinum, Abbatem de Neruesa Taruiſinæ diœceſis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutum, & pro alijs delictis, quam falſa moneta & læſa maieſtatis, captos & detentos.

Secundum quoque eiuſdem Sixti Priuilegium, ſub die 30. Iunij dicti anni milleſimi quadringenteſimi ſeptuageſimi quarti eidem Patriarchæ directum, quod continebat, vt quoties Clerici, & perſonæ huiuſmodi iuriſdictioni ſuæ non ſubditæ caperentur ob crimina in antedictis literis expreſſa, ſimiliter Vicarium ſuum ad examen eorum mittere teneretur, eaſdem patiebatur difficultates, & reſponſiones ad primum datas, vt meritò non poſſit in aliquo eidem ſenatui ſuffragari, in caſu de quo agitur.

Tertium Innocentij VIII. sub die vltima Octobris 1487. directum Vicario generali Patriarchæ Venetiarum, in quo facta narratiua delictorum latrocinij, & aliorum quæ in dicta ciuitate perpetrabantur, iniungitur Vicario, vt sicut in examine Clericorum captorum pro crimine læsæ maiestatis, & nefando, & falsa moneta, autoritate Sedis Apostolicæ interuenire poterat, posset etiam interesse, & præsens esse in casibus furti, & latrocinij, & in alijs atrocibus, & grauibus facinoribus; hoc quoque priuilegium erat sine fide, quia non authenticum, & est restrictum ad delicta patrata in ciuitate Venetiarum, vt colligitur ex proœmio, ibi: Nullum ferè latrocinium aut grauius delictum in ista ciuitate perpetrari. A quo non solum declaratur, sed etiam restringitur dispositiua ipsius priuilegij. Bald. cons. 355. n. 1. l. 1. & consequenter non potest extendi ad delicta extra dictam ciuitatem commissa. d. c. cum Capella §. quocirca de priuileg. & cum loquatur de simplicib. Clericis, vt patet ex proœmio, & dispositiua: ideo non comprehendit Canonicos, & Abbates alterius Ciuitatis, & diœcesis per supradicta.

Quartum priuilegium Clementis VII. sub dat. 3. Idus Februarij 1529. quo datur facultas iudicibus sæcularibus, procedendi contra Clericos Reipub. Venetæ ditioni subiectos, tàm coniugatos, quàm alios etiam ad minores Ordines promotos, non beneficiatos, nec in sacris ordinibus constitutos, cum excludat verbis expressis, Clericos beneficiatos, restringendo se ad alios simplices Clericos, in minoribus constitutos: ideo non potest suffragari Senatui, pro iustificatione capturæ, & detentionis dictorum Canonici, & Abbatis; vltra quod, cum dictum priuilegium, ex forma ei data per Clementem, deberet singulis annis in aliqua festiuitate, saltem semel per Ordinarios locorum, & illis absentibus, per alios constitutos in dignitate Ecclesiastica, in Cathedralibus etiam Metropolitanis, & Collegiatis, seu Principalibus Ecclesijs, vulgari sermone publicari, quod factum non fuit, ideo dicto priuilegio vti non potuerunt, ad c. cum delicta, de rescrip. Marian. Soc. Cons. 46. resolutio p̃sentis consultationis n. 33. l. 4.

Quin-

Quintum priuilegium est Pauli III. sub dat. 28. Octob. 1542. in quo facta narratiua per Oratorem Venetum, quod ab immemorabili tempore citra, Iudices sæculares ciuitatis Venetiarum procedere consueuerunt contra Clericos sæculares, & Regulares, etiam in sacris ordinibus, atrocia delicta in eadem Ciuitate & Diœcesi perpetrantes, & in ea possessione procedendi, condemnandi, & puniendi fuisse, & Sixtum IV. Innocentium VIII. Alexandrum VI. & alios Romanos Pontifices iussisse, vt Vicarius generalis Patriarchæ Venetiarum prædictis Iudicib. processus conficientibus assisteret, sed Vicarium, & alios, Iudices Ecclesiasticos interuenire, & assistere recusasse. Et quoniam de prædictis priuilegijs Apostolicis, forsan consumptis, vel deperditis, aliter non constabat, quam per immemorabilem obseruantiam, & consuetudinem, ideo supplicauit, quod sicut hactenus dicti Iudices sæculares procedere consueuerunt cum dicta Vicarij assistentia, procedere possent ad legitimam punitionem; & Papa concessit, quod Iudices sæculares contra prædictos Clericos, & personas Ecclesiasticas atrocium criminum reos procederent, condemnarent, & punirent, dummodo per Vicarium & alios Ecclesiasticos Iudices præuenti non fuerint, quos iussit vt sub pœna Excommunicationis, prædictis processibus, per Iudices sæculares faciendis, assisterent, & interesse deberent; & quando pœna sanguinis imponenda foret, præcederet degradatio, iuxta formam iuris.

Quod priuilegium cum sit restrictum ad Clericos, cum ista ampliatura, etiam in sacris constitutos, dictæ ciuitatis Venetiarum, & illius Diœcesis, vt habetur in narratiua, ad quam relationem habet dispositiua, propter verbum, prædictos Clericos, & personas, in ea positum: ideo non potuit Senatus procedere contra Canonicum, & Abbatem in dignitate Ecclesiastica constitutum alterius ciuitatis, & Diœcesis per supradicta.

Præterea cum habeat quoque narratiuam possessionis immemorabilis, & priuilegij Sixti, & aliorum Romanorum Pontificum, de quibus dicit non constare aliter, quam per immemorabilem obser-

uantiam, propter illorum consumptionem, vel deperditionem, super qua est fundata dicta concessio, & priuilegium; qua non solum non probatur vera, sed apparet expresse contrarium per dicta priuilegia ab eis exhibita, ex quibus ostenditur, initium concessionis dictæ facultatis procedendi contra Clericos, non quidem in sacris constitutos, sed solum simplices Clericos, cum interuentu Vicarij Patriarchæ; ideo redditur priuilegium nullum & inualidum, prout etiam quia non fuerunt narratæ dictæ priores concessiones Sixti, & aliorum Pontificum restrictæ, prout erant, ad ipsos simplices Clericos, quæ si expressæ fuissent, Papa vel non dedisset, aut difficilius concessisset dictum priuilegium; vnde redditur subreptitium, c. veniens, vbi Innocent. & Bald. n. 3. Butr. n. 20. & Abb. n. 14. & 17. de præscript. Hactenus Informatio & Resolutio Romanorũ Iurisperitorum, qui addunt, ob eam etiam causam, hoc vltimum priuilegium Pauli III. vim non habere, eo quod concessio per illud facta principaliter subnixa fuerit consuetudine, quæ velut iusta & legitima possessione firmata, fuerit à Procuratoribus adducta, cum tamen nec iusta esset, vtpote Iure vbiq; reprobata, speciatim in Bulla cœnæ; nec pacifica possessione firmata comprobetur; cum potius ex ipsa narratione, qua priuilegij concessio nititur, constet de contradictione Ecclesiasticorum, &c.

Cæterum cum hæc ipsa nostra iam sub prælo essent, venit sub manus meas Italicus tractatus de causa Veneta Bononiæ editus à Nicomacho Philalitheo, in quo priuilegia circa Iurisdictionem in Clericos Reipub. Venetę à summis Pontificibus olim concessa ad verbum referuntur: quæ ne lector posset desiderare, hic subijcere placuit. Sunt autem hæc quinque.

I. SIXTVS PAPA III. *Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam benedictionem. Cogimur, non sine cordis nostri dolore, plurimas querelas de personis Ecclesiasticis audire, ex ista Ciuitate*

uitate præsertim, in qua sæpe nonnulli, aut monetas adulterasse, aut crimen læsæ Maiestatis commisisse dicuntur: adeo vt pro aliorum exemplo, delinquentiumq; punitione nouo videatur esse opus remedio. Itaq; volumus & tuæ fraternitati mandamus, vt quotiescunque contingat aliquem Clericali charactere insignitum pro delictis huiusmodi capi, Vicarium in spiritualibus tuum ad eorum examen mittere debeas: & nihilominus eisdem licentiam auctoritate nostra concedas, complices facinorum sine alicuius irregularitatis incursu reuelandi, ne, quod iniquissimum esset, insontes pro sontibus pœnas luant: dummodo personæ ipsæ sint sub tua potestate: Constitutionibus Apostolicis, & alijs in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumq;. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Anulo Piscatoris, die XI. Iunij, MCCCCXXIIII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

II. SIXTVS PAPA IV. Venerabilis Frater Salutem, & Apostolicam benedictionem. Superioribus proximis diebus fraternitati tuæ per alias nostras in forma Breuis literas dedimus in mandatis, vt ad examen Clericorum, Ecclesiasticarumq; personarum, quæ in crimine læsæ Maiestatis deprahensæ fuissent, Vicarium tuum mittere deberes, prout in ipsis literis plenius cõtinetur. Intelleximus nuper reuocari in dubium à nonnullis, an in Clericis, personisq; huiusmodi iurisdictioni tuæ non subditis sic facere tenearis. Nostræ intentionis fuit, & est, vt in omnibus, qui in Dominio Dilecti filij Nobilis Viri Ducis Venetiarũ ob crimina, in literis antedictis expressa deprehensi fuerint, idẽ facere tenearis, & debeas. Et ita tenore præsentiũ declaramus. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub Anulo Piscatoris die XXX. Iun. MCCCCXXIIII. Pontificat. nostri anno tertio.

III. INNOCENT. PAPA VIII. Dilecto Filio Vicario Venerabilis Fratris Patriarchæ Venetiarũ in spiritualibus generali. Dilecte Fili, salutẽ, & Apostolicã benedictionẽ. Exposuit nobis dilect⁹ filius Antonius Vinciguerra Orator Venetus vestri istius Dominij Veneti, nullũ fere latrociniũ, aut graui⁹ delictũ in ciuitate ista Venetiarũ ꝑpetrari, cuius

cuius non sit auctor aliquis Clericus, qui si capiatur, non potest examinari, quandoquidem tu examini huiusmodi interesse recusas. Non præsens esse vis, præterquam in excessibus læsæ Maiestatis, cuius causa venit ira Dei in filios diffidentiæ; aut falsificationis monetarum; in quibus casibus Tibi à sede Apostolica concessum esse dicitur, vt interesse possis examini: quæ quidem recusatio in causa est, vt præfertur, quod quidam Clerici facinorosi audaciores ad committenda delicta in dies redduntur: supplicatum proinde Nobis fuit de opportuno ad id remedio. Nos attendentes priuilegia, & indulta ad bene viuendum dari, non ad delinquendum, illaq; præsidio bonis contra improbos esse debere, non autem malis ad nocendum: tenore præsentium concessionem tibi factam à præfata sede, & prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus interessendi examini huiusmodi in tribus supranominatis casibus, ad alia etiam delicta grauia extendimus: decernimusq; vt sicuti in examine Clericorum, in tribus casibus potes huiusmodi ex indulto Apostolico interesse, ita & præsens esse possis, & debeas in casibus furti, latrocinij, ac in alijs atrocibus, & grauibus facinoribus, ad hoc, vt Iustitia locum habeat, & se quisque intra honestatis fines, ac terminos contineat. Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisq; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumq;. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Anulo Piscatoris MCCCCLXXVII. Pontificatus Nostri anno quarto.

IV. ALEXANDER PAPA VI. *Dilecto Filio Vicario Venerabilis Fratris nostri Patriarchæ Venetiarum in spiritualibus generali. Dilecte Fili, Salutem, & Apostolicam benedictionem. Nuper ex parte dilecti Filij nostri Nobilis viri Leonardi Lauretani, Ducis Venetiarum, Nobis expositum fuit; quod iamdudum nulla fere latrocinia, & grauiora delicta in Ciuitate ista perpetrabantur, in quibus aliquis Clericus sæcularis, vel regularis non interueniret, & quod propterea fel. record. Sixtus Quartus, & Innocentius Octauus, prædecessores nostri per literas suas in forma breuis, ad præcludendam,*

cludendam viam delinquendi; Tibi vt quotiescunque aliquem Clericum sic delinquentem capi, & examinari super delictis per eum perpetratis contingeret, examinationi huiusmodi interesse possis, concesserunt, prout in dictis literis asseritur latiùs contineri. Verùm quia à nonnullis dicitur reduci in dubium, an literarum prædictarũ vigore, examinationi Clericorum, & Religiosorum cuiuscunque Ordinis, etiam Mendicantium, interesse possis, qui sæpius ob huiusmodi delicta capiuntur, & examinantur: Ea propter ad tollendum omne dubium, & vt delinquentes prædicti iuxta eorundem delictorum indigentiam puniantur, Tenore præsentium tibi committimus, & mandamus, quatenus examini cuiuscunque Clerici, tàm sæcularis, quàm regularis cuiuscunque Ordinis, etiam Mendicantium interesse, ac alias, & alia facere possis, & valeas, prout in dictis Prædecessorum nostrorum literis desuper tibi concessum extitit, præmissis & constitutionibus, & ordinationibus Apostolocis, Priuilegijs quoque indultis, si qua fortasse delinquentibus cõcessa fuerint, cæterisq; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris. Die 29. Iulij, MDII. Pontificatus nostri anno decimo.

V. PAVLVS PAPA III. *Dilecto Filio Petro Lando Duci Venetiarum. Dilecte Fili, Nobilis vir, salutem, & Apostolicam benedictionem. Exponi nobis per dilectum filium Gabrielem Venerium tuum, & istius dominij apud nos Oratorem nuper fecisti, quòd licet aliàs ab immemorabili tempore citra, certi Iudices sæculares Ciuitatis Venetiarum, Auocatores communis nuncupati, contra quoscunq; Clericos, tàm sæculares, quàm regulares cuiuscunque Ordinis, etiam in sacris ordinibus constitutos, aliasq; Ecclesiasticas personas atrocia delicta in eadem Ciuitate, & diœcesi committentes, cum interuentu dilecti Filij pro tempore venerabilis F. Patriarchæ in spiritualibus Vicarij generalis procedere, illosq; culpabiles repertos pro modo culpæ condemnare, & punire, mediantibus consilijs de Decem, consueuerunt, & in possessione, seu quasi, procedendi, condemnandi, & punien-*

niendi huiusmodi fuerunt, cum fel. record. Sixtus IV. Innocentius VIII. Alexander VI. & alij Pontifices Romani prædecessores nostri, per eorum literas, eidem pro tempore Vicario, vt examini, & processibus per eosdem Iudices faciendis assistere, & interesse deberet, mandauerint: Nihilominus Dilectus Filius modernus Patriarchæ Vicarius in spiritualibus generalis, & forsitan alij Iudices Ecclesiastici istius ciuitatis ex eo, quod de aliquo priuilegio Apostolico ex diuturnitate tēporis forsitan consumpto, vel deperdito, aliterq́; per immemorabilē obseruantiam, & consuetudinē huiusmodi non constet, examini, & processibus prædictis interuenire recusant, dictosq́; delinquentes per Iudices prædictos puniri, & debitè castigari impediunt, ꝓpter quod Clericis & personis istis audacia tribuitur delinquendi, variaq́;, & frequentia delicta, & tumultus cōmittuntur, & excitantur, & quamplurima mala exēpla, inconuenientia, ꝑturbationes, & scandala subsequuntur. Quare nobis humiliter supplicari fecisti, vt Iudices sæculares p̄dicti contra Clericos, & personas huiusmodi, ꝓut hactenus, vt præfertur, consueuerūt ꝓcedere, eosq́; pro delicti qualitate punire, & castigare valeant, ac Vicarius, & alij Ecclesiastici Iudices p̄dicti examini, & quæstionibus Clericorū prædictorum nostrorū prædecessorum dictarū literarū tenore interuenire debeant, aliasq́; opportunè in p̄missis ꝓuidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, ne quod circa hoc tanto temporis spatio fuit laudabiliter obseruatū, quod non nisi canonicū prnicipiū habuisse p̄sumitur, infringatur, sed in suo robore maneat, ꝓuidere incōuenientibus, & scandalis huiusmodi obuiare, tuisq́;, & istius dominij precibus, quantū in Deo possumus, annuere volentes: Volumus, & autoritate Apostolica concedimus, & ordinamus, quòd Iudices sæculares prædicti, nisi per Vicariū, & alios Ecclesiasticos Iudices prædictos in procedēdo præuenti non fuerint, cōtra Clericos, & Ecclesiasticas personas huiusmodi, ꝓut hactenus à dicto tempore citra consueuerunt, procedere, illosq́;, prout criminis, & delictorū qualitas exegerit, condemnare, punire, & castigare possint, dictiq́; Vicarius, & alij

alij Iudices prædicti sub pœna excõmunicationis per eos, nisi astiterint, & interfuerint, incurrenda, examina, & processui huiusmodi assistere, & interesse debeant. Mãdantes ꝑpterea in virtute sanctæ obedientiæ, & sub prædicta excõmunicationis pœna Vicario, & alijs Ecclesiasticis Iudicibus prædictis, ne Iudices sæculares ꝑdictos cõtra consuetudinẽ immemorabilẽ prædictam, & dictorum prædecessorũ nostrorum, literarũ prædictarũ, & præsentium nostrarum tenorem quomodolibet molestent, vel impediant, nec aliud in contrariũ facere præsumant, sed examini, & processibus huiusmodi, quoties & quando à dictis sæcularibus Iudicibus vocati fuerint, interesse, & assistere omnino debeant. Decernentes ita, & nõ aliter per Clericos, & personas de præsenti, pro grauibus, & atrocib⁹ delictis huiusmodi, ꝑ eosdem Iudices detentos, & carceratos iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane quicquid secus super his à quocunq; scienter, vel ignoranter contigerit attentari: Non obstantibus prædictis, & constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisq; contrarijs quibuscunq;. Volumus autem, ꝙ vbi ꝑ delictorum atrocitate sanguinis pœna adiungenda foret, Degradatio, quæ alias procedere debet secundum formam Iuris, omnino præcedat. Datum Romæ apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die 20. Octobris. M. D XXXXII. Pontificatus nostri anno octauo.

Ex quibus omnibus patet, nullum omnino priuilegiũ ab aduersarijs productum fuisse, quo ostenderetur, Senatum Venetum vllo Iure potuisse, neglecto Pontificis mandato, personas illas, quas in carceres compactas Ecclesiæ foro restituere iussus fuerat, captiuas detinere.

Vnum illud video dubitari posse, qua ratione factũ sit, vt Nicomach⁹ Philalitheus, & F. Paulus, inter alia Breuia referrent vnũ Alexãdri VI. omisso Breui, cuius sub nomine Clementis VII. meminerunt Romani Iureconsulti. Quidquid autem sit de hoc, certũ est, neutrũ Venetæ causæ patrocinari. Nam illud Alexandri VI. patitur easdem

 ferè

ferè limitationes, quas ad primum Sixti IV. ex Rom. Doctoribus retulimus. Priuilegium Pauli III. ideo fortasse noluit F. Paulus pro causa Veneta producere, quòd apertè ad Clericos in minoribus constitutos restrictum esset, cum tamen in præsenti agatur de Clericis in maioribus, imò & in dignitate Ecclesiastica constitutis, si vox ista, vt nonnũquam solet, latiùs paulò accipiatur, quicquid Frater Paulus obstrepat. Illud verò ex his priuilegijs longè clarissimum est, nunquam antehac Rempub. Venetam suapte autoritate sibi in Clericos Iurisdictionem arrogare ausam fuisse. Tantum abest, vt quod Marsilius dixit, Principes politici immediatè à Deo iurisdictionem sine exceptione in oẽs suæ ditionis incolas habeant.

Iam autem videamus, an priuilegia, si maximè, quanta volunt defensores Venetæ causæ, impetrata à Pontificibus fuissent, obstare quicquam potuissent, quò minus Roman. Pontifex pro tempore, ijs abrogatis, ea quæ communis Iuris sunt, imperare Senatui potuerit. Certè inter omnes Doctores, Theologos & Iurisperitos, compertum est, priuilegia etiam à Pontificibus concessa, posse non solum ab iisdem, qui concesserũt, sed etiam ab eorum successoribus ex causa abrogari, & reuocari. Est hæc expressa sententia Gratiani in Decreto causa 25. quæst. 3. can. *posteaquam*, vbi ita loquitur: *Sancta Romana Ecclesia sua authoritate, congregata valet disiungere, & disiuncta congregare; rationis tamen æquitate considerata. Vnde vel pietatis, vel necessitatis intuitu, semel à se concessa valet vel in totum, vel in partem commutare. Pro necessitate namq; corrigendorum vitiorum, priuilegia Ecclesiarum multarum, vel imminuuntur, vel penitus immutantur, siue personaliter, siue generaliter, &c.*

Deinde est hæc expressa Canonũ & sanctorũ Patrũ sentẽtia; qui ob multas causas docet priuilegia posse reuocari;

ri; quarum prima est abusus priuilegij; vt patet ex causa 11. quæst. 3. can. 63. qui est Simplicij Papæ epist. 2. & sic habet: *Priuilegium omnino meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate.* Quod etiam asserit S. Augustinus sermone 247. de tempore, *Iudicio enim legum*, inquit, *iure ab obtenta dignitate deijcitur, qui priuilegio sibi concesso abutitur.*

Secunda causa, est præsumptio maioris potestatis, quàm concessa sit. Vnde Syluerius Papa Vigilio Episcopo, vt refertur causa 25. q. 2. can. 22. ita scribit: *Sic decet fidem Sanctorum Patrum in Ecclesia seruari Catholica, vt quod habuit amittat, qui improbabili temeritate, quod non accepit, assumpserit.* Et Simplicius Papa ad Episcopũ Rauennatem, vt habetur can. 23. ibidem: *Denunciamus*, inquit, *quod si posthac quidquam tale præsumpseris, & aliquem seu Episcopum, seu Presbyterum, seu Diaconum inuitum facere forte credideris, ordinationes tibi Rauennatis Ecclesiæ, vel Aemiliensis noueris auferendas.*

Tertia causa, sunt demerita, quæ ipsius priuilegij concessi abrogatione meritò videantur punienda. Ita Gelasius Papa ob geminatam duorum Episcoporum cædem, Scyllacænorum ciuium malitia perpetratam, Episcopalis dignitatis prærogatiuam & excellentiam eidem vrbi ademit, vt patet canone, *Itanos*, eadem causa 25. quæst. 2.

Quartam & quintam causam refert Syluester V. priuilegium q. 10. si priuilegium concessum vergat in pernitiem aliorum; quantò magis ipsius Ecclesiæ. Aut si is, qui accepit, non seruat priuilegia sui superioris, concessa alijs eiusdem subditis.

Cuius rei expressum documentum præstat Alexander III. capitulo 4. de priuilegijs, vbi ait: *Dilecti filij fratres Hospitalis Hierosolymitani transmissa nobis conquestione monstrarunt, quod vos eis de malefactionibus suis, iustitiam facere non vultis, priuilegia ipsorum recipere contemnentes, &c. Pro certo scia-*

tis, quod nos concessa vobis priuilegia decurtabimus, cum Ecclesiæ Romanæ scriptis authenticis obuiare minimè timeatis,&c. Et meritò quidem hoc accidit. Meritò enim suo Iure priuatur, qui Ius alienum violare non metuit. Omitto alias causas, quæ hic commemorari possent, cum ea, quæ dicta sunt, ad institutum abundè sufficiant.

Etenim cum hæc ita se habeant, quis dubitare poterit, summum Pontificem habuisse iustissimas causas, cur priuilegia quælibet contra Clericos criminaliter procedendi, Senatui quandoque à Prædecessoribus concessa, reuocare posset? Nam vt de prioribus duabus causis nihil dicam, (quanquam ex dictis constat, Senatum de facto, & saltem reipsa, abusum fuisse concessis sibi priuilegijs, eaq; ad casus minimè concessos extendisse) certè vel ob ea ipsa, quæ Senatus propria authoritate, contra libertatem rerum, & personarum Ecclesiasticarum, nouiter constituerat, plane commereri potuit reuocationem & abrogationem concessorum priuilegiorũ. Taceo de alijs iniurijs, quas in Veneta ditione Ecclesiæ, & Clero Rom. impunè sæpius irrogatas, superius c. 15. ex Car. Baronij illustrissima testificatione retuli.

Certè quidẽ sũmum Pontificem noluisse priuilegia q̃libet suo mandato, de reuocandis per senatũ malè statutis, ipsisq; captis ecclesiasticis personis foro Ecclesiastico tradendis, quicq̃ præiudicare, manifestũ euadit, ex ipsa bulla, quæ contra senatũ Venetũ autoritate eiusdẽ sũmi Pontificis publicata fuit, in qua facta expressa eiusmodi priuilegiorũ mentione, nihilominus Pontifex ijs nihil obstantibus decernit, & præcipit, non solum, vt illa senatus decreta reuocentur, sed etiam vt personæ detentæ Ecclesiasticis Iudicib⁹ tradantur: Sic n. habet Bulla Anno 1606. sub diẽ 17. mensis Aprilis Romæ scripta & publicata: *Superioribus mẽ-*

si-

sibus ad nostram & Apostolica Sedis audientiã peruenit, Ducẽ & Senatũ Reip. Venetorũ, annis elapsis, in eorũ Concilijs plura ac diuersa decreta, tũ Sedis Apostolicæ autoritati, & ecclesiasticæ libertati ac immunitati contraria, tũ generalibus concilijs, & sacris Canonibus, nec non Roman. Pontificũ cõstitutionibus repugnãtia statuisse, &c. & infrà: *Ac præterea eosdẽ Ducẽ & Senatũ, Scipionem Saracenũ Canonicũ Vicentinũ, & Brandolinũ Valdemarinum Foroiuliensem Abbatem Monasterij seu Abbatiæ de Neruesa Taruisinæ diœcesis, personam in dignitate Ecclesiastica constitutã, ob quædam prætensa crimina in ciuitate Vicentina, & alibi per illos (vt dicebatur) commissa, carceri mancipasse, & mancipatos detinuisse, sub prætextu, q eis hæc facere liceret, inter alia, ob quædam ipsis Duci & Reipub. à quibusdam Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris concessa (vt asserebant) priuilegia.*

Hactenus narratio Pontificis, in qua quisq; videt expressam mentioné fieri priuilegiorũ, quæ Venetus Senatus suę causæ prætendebat. Sed quid Pontifex, nunquid ea tantæ patitur esse autoritatis, vt idcirco sua mandata, aut ante id tempus iure neglecta, aut etiamnum deinceps negligi posse videri sinat? Nequaquam. Sed ijs nihil obstantibus suum exequi, & firmare decretum pergit his verbis: *Cumque præmissa in aliquibus Ecclesiarũ Iura, etiam ex contractibus initis, ipsis Ecclesijs competentia auferant, ac præterea in illis, & alijs Sedis Apostolicæ, ac nostræ autoritati, & Ecclesiarum Iuribus, & personarum Ecclesiasticarum priuilegijs præiudicium inferant, ipsamq; libertatem ac immunitatem Ecclesiasticam tollant. Ac ea omnia in in ipsorum Ducis & Senatus animarum pernitiem & scandalum plurimorum tendant.*

Et cum ij, qui supradicta ac similia edere, & promulgare, illisque vti ausi sunt, in Censuras Ecclesiasticas à sacris Canonibus, generalium Conciliorum decretis, & Romanorum Pontificũ constitutionibus, inflictas, nec nõ etiã priuationis feudorũ & bono-

& bonorum, si quæ ab Ecclesijs obtinent, pœnam, eo ipso incurrerint, à quibus censuris & pœnis, non nisi à Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente absolui & liberari possint, ac præterea inhabiles & incapaces sint, qui absolutionis & liberationis beneficium consequantur, donec editas leges nouis edictis atq; decretis sustulerint, omniaq; inde sequuta reipsa in pristinum statum reintegrauerint.

Cumq; etiam Dux & Senatus prædicti, post plures paternas nostras monitiones, à multis mensibus citra eis factas, adhuc decreta & edicta præfata non reuocauerint, ac eosdem Canonicum Saracenum, & Abbatem Brandolinum carceratos detineant, & illos venerabili fratri Horatio Episcopo Hieracensi nostro, & Apostolicæ sedis apud eos Nuntio, vt debebant non consignauerint:

Nos qui nullo pacto ferre debemus, vt Ecclesiastica libertas & immunitas, Nostraq; & sedis Apostolicæ auctoritas violetur, & contemnatur: Inhærentes plurium generalium Conciliorum decretis, ac vestigijs re.me. Innocentij III. Honorij III. Gregorij X. Alexandri IIII. Clementis IIII. & Martini etiam IIII. Bonifacij VIII. Bonifacij IX. Martini V. Nicolai V. & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, quorum aliqui similia statuta aliàs contra libertatem Ecclesiasticam edita, tanquam ipso iure nulla, inualida, & irrita reuocarunt, ac nulla, inualida, & irrita esse decreuerunt, & declararunt, & aliqui contra similium decretorum statutarios, & alios, ad excommunicationis promulgationem, nec non ad alia infrascripta, seu eorum aliqua deuenerunt; habita cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus matura consultatione, de ipsorum consilio & assensu, licet supradicta decreta, edicta, & mandata, ipso iure nulla, inualida, & irrita sint, ea nihilominus ipso iure adhuc de nouo nulla, inualida, & irrita, nulliusque roboris ac momenti, fuisse, & esse, & neminem ad illorum obseruantiam teneri, per præsentes decernimus & declaramus.

Et

Et insuper autoritate Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, ac nostra, nisi Dux & Senatus prædicti intra viginti quatuor dies, à die publicationis præsentium in hac alma vrbe facienda, computandos, quorum primos octo pro primo, octo pro secundo, & reliquos octo pro tertio & vltimo, ac peremptorio termino, & pro monitione canonica illis aßignamus, prædicta decreta omnia, & in illis contenta, & inde sequuta quæcunque, omni prorsus exceptione, & excusatione cessante, publicè reuocauerint, & ex eorum Archiuijs, seu Capitularibus locis, aut libris in quibus decreta eiusmodi innotata reperiuntur, deleri & cassari, & in locis eiusdem dominij, vbi promulgata fuerunt, reuocata, deleta, & cassa esse, neminemq́; ad illorum obseruantiam teneri, publicè nunciata, & omnia inde secuta in pristinum statum restitui fecerint, & vlterius nisi à similibus decretis, contra libertatem, immunitatem, & iurisdictionem Ecclesiasticam, ac Nostram & Sedis Apostolicæ autoritatem, vt præfertur facientibus edendis, & respectiuè faciendis in posterum cauere, & penitus abstinere promiserint, ac Nos de reuocatione, deletione, cassatione, nunciatione, restitutione, ac promißione prædictis certiores reddiderint, & nisi etiam prædictos Scipionem Canonicum, & Brandolinum Abbatem, prædicto Horatio Episcopo & Nuntio cum effectu consignauerint, seu consignari fecerint, ipsos tūc & pro tempore existentem Ducem, & Senatum Reipublicæ Venetorum, statutarios, & eorum fautores, consultores, & adhærentes, & eorum quemlibet, etiamsi non sint specialiter nominati, quorum tamen singulorum nomina & cognomina præsentibus pro expreßis haberi volumus, ex nunc prout ex tunc, & è contra, excommunicamus, & excommunicatos nunciamus & declaramus.

Ex his manifestum fit, Pontificem, non obstantibus vllis priuilegijs, exceptionibus, excusationibus, palam decernere, non solum pœnam excommunicationis ipso Iure à statutarijs Reipub. Venetæ esse contractam; sed etiam Apostolica authoritate, proprioq; decreto, speciatim & ex-

presſè eos excommunicationi fore ſubiectos denunciat, niſi conſtituto tempore mandatis pareant. Quid ergo adhuc Doctores iſti in Venetæ cauſæ patrocinium vlla Pontificum priuilegia audent prætendere, quæ vti oſtendimus & nulla ſunt, nec in hoc caſu de quo agitur vnquam conceſſa, & ſi eſſent, iure optimo à ſummo Pontifice fuiſſent abrogata, quantum quidem ad vim & valorem præcepti & decreti ab eodem conſtituti opus erat?

CAPVT XVIII.

FALSVM ESSE, PER VNIVERSAM EVROPAM VENETA DECRETA VSVRPARI.

MAGNA ſanè hæc Pauli Veneti in Europam vniuerſam calumnia eſt, cum ad tuendam cauſam, cuius patrocinium perperam ſuſcepit, temerè adeo pronunciat, Veneta decreta, vniuerſa Europa vſurpari. Nec minor impudentia Ioannis Marſilij, qui in propoſitionis 4. confirmatione aſſeruit: *Neminem ſæcularium Principum ad tranquillum Reipub. ſtatum attentum, hanc libertatem* (Eccleſiaſticam) *curare, ſed permittere Clericis exemptionem, quam volunt*. Vbi ſimul turpiter fingit, hanc eſſe doctrinam Soti & Couarruuiæ, qui inter alia hoc etiam argumento probent, libertatem Eccleſiaſticam non eſſe Iuris diuini, ſed humani. Sed vt rectè in refutatione 8. propoſitionum dixit Cardinalis Bellarminus, *ea ratio non legitur apud Sotum, nec Couarruuiam; ſed autor eam ex proprio cerebro effinxit; nec ratio eſt, ſed calumnia aduerſus omnes Principes: ac ſi omnes Machiauelliſtæ eſſent*, atque à debita Pontifici obedientia ſacrorumq; Canonum obſeruantia, vno temporis momento deſciuerint. Quod tamen adeo falſum eſt, vt exiſtimem

ſtimem, nullum tota Europa Principem Catholicum ſibi propria autoritate arrogare poteſtatem de rebus aut perſonis Eccleſiaſticis leges conſtituendi; quod à Repub. Veneta factitatum, adeo confidenter iſti propugnant. *Et ſcimus*, inquit illuſtriſſimus Bellarminus loco citato, *in Eccleſia Dei multos Principes religioſos eſſe, & pios timentes Deum, vt debent. Sed ſi verum eſſet, quod tamen non conceditur, multos Principes nō permittere exemptionem, niſi prout vtilis eſt Reipub. quis modus argumentandi erit ille: Multi Principes non permittunt exemptionem. igitur non eſt de Iure diuino? Quod perinde eſt, ac ſi diceret; Multi Chriſtiani furantur, mœchantur, falſa teſtimonia dicunt: igitur præcepta non furaberis, &c. non ſunt de Iure diuino.* Sed, vt dixi, falſiſſimū eſt, Catholicos Principes ſuo arbitrio libertatem Eccleſiaſticam reſtringere, aut contemnere; vel Senatus Veneti decreta ſua authoritate vel praxi approbare. Etenim quod ſpeciatim ad Iuriſdictionem in Clericos attinet, nullum exiſtimo Principem Catholicum, qui propria autoritate fas ſibi eſſe putet, de eiuſmodi perſonis pœnas ſumere. Quod ſi qui Principes ſpeciali in hac re ſumi Pontificis priuilegio gaudent, vtantur ſanè; ſed caueant, ne terminos priuilegij excedant. Expendant, an non fortè priuilegium *perſonale* ſit, quod cum perſona finitur & deſinit. Videant, an non fortè ad tempus ſolumodo conceſſum, quod lapſu temporis exſpirat. An non ad certas perſonas, loca, crimina, tempora, determinatum. An non alijs quibuſdam conditionibus affectum; vt iam vim amplius non habeat. An non forte Romani Pontificis autoritate abrogatum, vt prudenter etiam monuit noſter Ioannes Azor lib. 5. Inſtit. Moralium cap. 12. quæſt. 1. Alioqui quæ ex ſpeaicli ſummi Pontificis conceſſione fiũt in hoc genere, nil Iuri Eccleſiaſticæ autoritatis derogant, nec à Venetis ſcriptoribus ad Venetā trahi debent cauſam, vt ſupra oſtenſum lib. 1. c. 16.

Refert Dominicus Bannes in ſecunda ſecundæ, q.67. art.1. dub.2. concluſ. 6. Regnum Hiſpaniæ habere priuilegium Pontificum, vt poſſit cauſas Clericorum ad ſua tribunalia tunc vocare, quando ſæcularis aliquis conqueritur, quod vim patiatur à Iudice Eccleſiaſtico. Eoq; caſu Iudices ſęculares iudicare *ex ipſa commiſsione Pontificis*, an fiat vis, vel non, &c. Et quanquam Azor loc. cit. dicat *ſe in curia Romana ſæpe à viris fide digniſsimis audiuiſſe, tale priuilegium nuſquã reperiri: neque ab vllo vnquam Romano Pontifice fuiſſe conceſſum*, (de quo ſeu verum ſit, ſeu falſum, non diſputo) hoc tamen aduertendum, eiuſmodi poteſtatem, nec Catholicos Reges ſibi ipſis propria autoritate arrogaſſe; nec Doctores Catholicos eiſdem aliunde, quam ex Pontificis priuilegio, ſiue indulgentia tranſcribere tentaſſe.

Alioqui in Hiſpania exemptionem perſonarum eccleſiaſticarum à tribunali ſæculari inuiolatam ſeruari, probat abunde illuſtriſſimum illud exemplum, quod de Carolo V. Imperatore, & Hiſpaniarum Rege, ex Ludouico Molina lib. 4. cap. 11. de Hiſpan. primogen. complures referunt: Cum enim Anno 1520. quidam in Hiſpania contra Carolum V. Romanorum Imperatorem, & Hiſpaniarum Regem, & Reginam Ioannam eius matrem, ſeditione facta, nefariè conſpiraſſent, in eamq; cõiurationem multi etiam Eccleſiaſtici, graui vtiq; ſcelere, conſenſiſſent, Reges quidé iuſta indignatione commoti, pragmatica ſanctione tanti ſceleris reos iuſtis pœnis vindicandos decreuerunt, attamen perſonas Eccleſiaſticas ad ſummum Pontificem, vel ad Prælatos quibus erant ſubiectæ, remiſerunt. Et teſtatur Couarruuias in lib. pract. quæſt. cap. 31. num. 5. *apud Hiſpanos Clericos etiam in realibus actionibus apud Iudicem Eccleſiaſticum, non ſæcularem conueniri.*

Nec à veſtigijs Maiorũ ſuorum omni laude cumulatiſſimorum

morum discedit Inuictissimus Imperator noster Rudolphus, quem constat, nunquam velle sibi quicquam cum Clericorum iudicijs, in quibus de eorum excessibus puniendis agatur, esse commune. Eundem morem religiosè seruant alij eiusdem inclytæ domus Principes.

In hac ipsa Bauariæ prouincia, sub initium Lutheranæ hæreseos, quæ se vi & artibus in omnes passim ditiones insinuare conabatur, suosq; fines, quam posset, latissimè extendere, cum aliquo acriori & efficaciori remedio opus esse videretur, qua seu vulpeculæ istæ ab horreis, seu lupi ab ouilibus arcerentur, ordinariorum Pastorum diligentia ad rem hanc nequaquam satis virium habente, vt experientia docebat; fuit quidem aliquod extraordinarium quasi tribunal constitutum, quo in casu negligentiæ saltem, in hæreseon propagatores, Ecclesiasticos, animaduerteretur, sed nequaquam propria Principum autoritate, sed peculiari priuilegio & concessione summorum Pontificum, Adriani VI. & Clementis VII. à quibus in ipsa Bauaria designati sunt certi quidam Prælati, qui nomine & autoritate sum̃i Pontificis, velut Commissarij, ea potestate iudiciaria fungerentur. Quæ proinde non authoritate Principis, sed Pontificis indulto gesta sunt. Quin & in cæteris rebus inauditum est, decreta Veneta in Bauaria vsurpari, aut religiosissimos Principes in res aut personas Ecclesiasticas sibi quicquam potestatis propria autoritate vendicare velle.

In Italia constat, à Principibus Clericos, quos fori priuilegio communi Iure gaudere constet, si quid animaduersione dignum commiserint, Iudicibus Ecclesiasticis tradi iudicandos.

In Gallia referunt autores, speciatim Iulius Clarus §. fin. quæst. 36. ex priuilegio posse in certa Crimina Clericorum animaduerti. Quod vt supra dixi, ad rem nil pertinet.

Quod verò ad cætera decreta attinet, quibus de bonis Ecclesiasticis agitur, primum quidem illud de bonis Emphyteuticis Ecclesiæ proprijs nunquam ad Ecclesiæ vsum reducendis, vsq; adeo intolerabile est, vt existimem, vix ab Ethnicis, nedum Christianis Principibus, constitutum, & vsurpatum fuisse.

Neq; verò etiam cætera decreta communibus Europæ Catholicæ moribus comprobata sunt; aut si quædam vspiam vigent, saltem non ita propria Laici magistratus autoritate defenduntur, sed vel expressa, vel præsumpta Pontificis indulgentia; seu quod idem, vi consuetudinis tacitè à summo Pontifice approbatæ. Referunt quidam, lege quoque Hispana constitutum, ne quis denuò fundus, nisi consentiente Principe templis dicaretur. Sed hoc qui Ius Hispanicum familiarius norunt, & diligentius inspexerunt, falsum asserunt.

Illud fortasse verius, Valentinis, vt loquuntur, foris, seu legibus municipalibus caueri, vt non aliter bona immobilia in Ecclesias & pia loca transferantur, quam si aliquid nomine *amortizationis*, vt vocãt, Regio Iuri persoluatur. Idem Ius vigere in Gallia refert Choppinus lib. 3. de sacra politia tit. 1. Simile quiddam de Lusitania memorat Ludouicus Molina disp. 140. de Iust. *Iure*, inquit, *huius Lusitaniæ regni*, lib. 2. ord. titul. 8. in princ. & §. 1. *neq; Ecclesiæ, neq; monasteria emere possunt bona aliqua immobilia, absq; Regis facultate. Quod si vel successione, vel donatione aliqua illis adueniant, tenentur intra annum & diem ea alienare, nisi obtineant facultatem à Rege, vt illa sibi retineant, &c.*

Sed de his, & similibus, si quidem de bonis ipsius Regis directo dominio non subiectis statuuntur, aliud Iure responderi non potest, quam aut indulgentia Pontificum similia

milia decerni, aut Iure non decerni; cum alioqui sacris Canonibus, & libertati Ecclesiasticæ, vt ostendimus, aduersentur. Et constat, abusum, vt in cæteris vitæ rationibus, ita etiam in hac de qua agimus materia, in exemplum trahi non debere.

Placet tamen, quæ in his rebus, ferè ad facti quæstionem pertinentibus, P. M. Ioannes Bouius Carmelita, in responso ad considerationes Pauli Veneti, sane diligenter collegit, ex Italico in sermonem Latinum conuersa hic descripta dare, vt magis patescat, quam falsum sit, tota Europa Veneta decreta vsurpari. Sic ergo se habent:

In Lusitania sunt similes leges, sed consentientibus Clero & Pontifice latæ. Videatur Franciscus Cælius in tractatu de Immunitate Ecclesiastica ad finem, qui inter alias leges, ab Alphonso III. conditas, hanc etiam refert, narratq́; propterea eum ab Honorio III. excommunicatum, totumque Regnum Interdicto subiectum fuisse, donec postea ipse absolutus, de quibusdam articulis cum Ecclesiasticis conuenisset, quod etiam Papa approbauit. Addit idem autor, seipsum vidisse Apostolicas Bullas, nominato loco, quo asseruentur.

In reliquis Hispaniæ regnis (excepto Regno Valentiæ de quo infrà dicetur) verum non est, aliquam eiusmodi legem esse. Verum quidem est, Ferdinandum III. similem legem tulisse contra Moniales ordinis S. Dominici Madridij, quam primum tamen admonitus est à Gregorio IX. Breui Apostolico, eandem reuocauit, sicut scribit Ferdinandus de Castiglio in Historijs ordinis S. Dominici lib. 1. cap. 42.

Verum quoque est, Hispanorum Regnorum procuratores diuersis temporibus egisse; tam cum Inuictissimo Imperatore Carolo V. quam cum Rege Catholico Philippo secundo, vt de eadem lege statuenda prouiderent, allegantes easdem rationes, eadem

eadem damna & incommoda omnia, quæ allegant hoc tempore Domini Veneti, nunquam tamen ideò Religiosissimi illi Principes tantum sibi arrogarunt, vt vel existimarent, se legem illam condere posse, vel eam reipsa statuere auderent, tametsi ipsi quoque absoluti Domini essent.

Petita est ab illis hac lex in comitijs habitis Vallisoleti Anno 1523. petitione 45. Segobij, Anno 1532. petitione 62. Madridij, Anno 1534. petitione 8. Rursus Vallisoleti 1548. petitione 126. & denique Madridij 1579. qui Conuentus finitus est Anno 1582. petitione 18.

His tam molestis & importunis petitionibus adducti nunquam sunt hi principes, vt legem hanc ferrent, vel eam se ferre posse dicerent, sed semper responderunt, se egisse cum Pontifice, vt ipse eam ferendam iuberet & confirmaret.

In Gallia quidem lex talis fuit, sed iam à quadraginta annis non amplius obseruari dicitur. Et aqua ratione eam defendunt Doctores, Paponius, Petrus Gregorius, Gulielmus Benedictus & alij. Et idem Gulielmus Benedictus refert, decisum & registratum esse ad æternam memoriam Arrestum Parlamenti, vel Cameræ Comitum Parisiensium, vt sub Corona Franciæ nulla bona possideantur, quæ quoad directum Dominium Regi subiecta non sint. Vnde etiam à quocunque vendantur, soluitur Regi certa pretij pars, tanquam Laudemium, & recognitio directi illius dominij. Si igitur, sicut supra dicti Doctores dicunt, Rex est directus Dominus, omnium stabilium bonorum, potuit ab initio imponere onera, quæ ipsi placerent, sicut etiam priuatus quisque potest, qui hoc tempore bonum aliquod stabile alicui in emphyteusin dat; potuit, inquam, onerare, vt deuenire non possent ad Ecclesias, Capitula, aut alia loca pia, quæ cum nunquam moriantur, neque vnquam alienentur cessant Regi emolumenta Laudemiorum, consolidationum, caducitatum & similia. Vnde in compensationem horum directorum Iurium quæ perdit, quando Ecclesia acquirit, si ab his oneribus vult esse exempta, po-

poteſt Rex rationabiliter accipere ab ipſa amortizationis beneficium.

Eodem modo defenditur à Petro Belluga in ſpeculo Principum rubrica 14. ſimilis lex & conſuetudo, quæ eſt in Regno Valentiæ, (quæ in hoc ſolo eſt, & non in Catalonia, & Aragonia, quemadmodum inſinuare videtur Autor) circa bona, quæ vocant de Realenco, quia Rex recuperauit illud Regnum armis, multis annis à Mauris poſſeſſum.

Lex quam in Sicilia Fridericus II. ſtatuit, abrogata fuit poſtea à Carolo II. cum fuerit contra libertatem Eccleſiaſticam, vt refert Afflict. Regni libro tertio, rubrica vigeſima ſexta, numer. 12.

Quod Senis ſtatutum olim fuerit, vt Hoſpitale S. Mariæ teneretur vendere poſſeſſiones ſibi relictas, huius meminit Baldus, ſed ipſemet inualidum eſſe ait, & libertati Eccleſiaſticæ contrarium.

In Sylua Alexandrina, & Laureti, inquit Paulus Venetus, ſimiles leges duas latas eſſe à Pio V. & Clemente VIII. Dominus Quirinus verò ait, duas has leges ab oppidis & Rebuſpub. eſſe factas, aſſentiente & approbante Pontifice. Quocirca nec ipſi inter ſe conueniunt, nec ego cum eis conuenire poſſum, quia nullas tales eſſe leges intelligo. Et licet Pontifices eas condidiſſent, duas tamen debitas conditiones habuiſſent, quibus id iure facere potuiſſent, rei ſcilicet æquitatem, & autoritatem. Domini Veneti aut neutrum habent, aut certè non habent autoritatẽ. Et propter hunc defectum autoritatis, docet cõmuniter Doctores oẽs leges à ſæcularibus latas, de Eccleſijs aut perſonis eccleſiaſticis, nullas eſſe, etiamſi ſint fauorabiles. Abbas in Eccleſia S. Mariæ de conſtitutionibus in prima lectura in fine, & alij. Hactenus Antonius Bouius.

Neque tacenda duo illa Exempla, quæ in hoc genere, è recenti memoria refert R. P. Lælius Medicus Placentinus Minorita Conuentualis, Inquiſitor generalis Dominij Florentini, in ſuo diſcurſu de negotio Veneto, quæ ex

Italica in latinam linguam translata sic habent. Primum. *Respublica Florentina tempore Leonis X. habuit easdem cogitationes, quas iam habent Domini Veneti, & easdem difficultates; nempe considerans, quod per bona stabilia transeuntia ad Ecclesiasticos, minuerentur redditus, & non onera, quærebat remedium; & nihilominus non ausa est vnquam hac de re statuere legem, neq; impedire bonam voluntatem hominum deuotorum, neque aliud in odium, contemptum, aut religionis damnum tentare, sed cum humiliter supplicasset Pontifici velut vniuersali totius Ecclesiæ Patri, vt pia commiseratione Reipublicæ prospiceret, fuit paternè audita & exaudita. Vnde Pontifex, iudicans iustam eius petitionem, concessit, vt, quod videre est in bulla speciali edita Anno millesimo quingentesimo decimo sexto, imposterum omnia bona stabilia, relicta Ecclesijs, cum onere suo transirent ad Ecclesiasticos, & in necessitatibus publicis posset etiam Respublica ex ijsdem bonis imponere decimas.* Ecce hoc optimi cuiusq; Principis officium est, ita temporale Reipublicæ commodum procurare, vt nullo Ecclesiastico Iuri irrogetur iniuria. Quod si pariter Domini Veneti obseruassent, nō difficulter vtique quoad opus fuisset, paternam summi Pontificis mentem ad benignitatem inflexissent.

Alterum exemplum petit idem Auctor è regno Galliæ, quod ita se habet. *Edita fuit illic, tempore eiusdem Pontificis Leonis X. quædam sanctio, à Gallis pragmatica vocata, quæ in se multa continebat, libertati & immunitati Ecclesiæ, & autoritati Pontificis Romani contraria, expostulantibus Pontificibus prædecessoribus, cum illis Regibus Christianissimis pro tempore regnantibus, & cum ob diuersas causas non fuisset vllo modo prouisum, Leo X. occasione Concilij generalis Romæ congregati, voluit Franciscum I. tunc regnantem, vna cum alijs magistratibus Franciæ, ad quos negotium pertinebat, intra certum tempus Romæ comparere, & proferre suas rationes, quibus tuerentur pragmaticā, multis modis Eccle-*

clesia-

clesiasticis institutis aduersam. Non indignè tulit Rex ille potentissimus & Christianissimus Pontificis mandatum, neque voluit disputare de autoritate Papæ, aut concilij, neque obstinatus mansit in opinione suorum prædecessorum, sed Bononiam veniens, velut obedientissimus filius Ecclesiæ, submisit se voluntati Pontificis, in abroganda illa pragmatica, quæ tantoperè præiudicabat Sedi Apostolicæ, & loco eius obtinuit ea priuilegia Rex, quæ sciuerat conuenientia felicissimo Regno, quæque vocata fuerunt concordata, quibus sunt approbata etiam eadē illa decreta, quæ erant in illa pragmatica, ijs solum sublatis, quæ offendebant Pontificis autoritatem, & Ecclesiasticam libertatem & immunitatem.

Illustre profectò exemplū in tanto Rege, nō eius inobedientiæ, cuius notā toti Christiano orbi impudenter inurere veritus non est F. Paulus, sed eximiæ in summum Pontificem obseruantiæ, quod multò honestius imitarentur Dñi Veneti, quam cum Assentatorum obtrectationibus & consilijs obaudientes, iustissima sumi Pontificis mandata contemnunt. Extant verò illa cōcordata, inter Bullas Leonis X. Defensionem autem quandam veterem illius pragmaticæ Anno 1551. in lucē dedit Franciscus Duarenus, vt habetur in fine operum illius Francofurti editorū, in quibus de Ecclesiastica, præcipuè summi Pontificis autoritate, si rectius sensisset, sæpe multò aliter disseruisset.

Neque sanè Iure agunt illi Iurisperiti, qui vt sacris Canonibus & Ecclesiasticis regulis quouis modo derogent, eas sæpe miserabilem in modum ad alienissimos sensus detorquere non verentur. In quos grauissimè ipsi etiam Canones animaduertunt. Inprimis verò Damasus Papa causa 25. quæstione prima, can. quinto. *Violatores*, inquit, *Canonum voluntarij grauiter à sanctis Patribus iudicantur, & à sancto Spiritu (instinctu cuius ac dono dictati sunt) damnantur. Quoniam blasphemare Spiritum sanctum non incōgruè*

videntur, qui cōtra eosdem sacros Canones, nō necessitate compulsi, sed libenter, vt præmissum est, aliquid aut proteruè agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt. Talis enim præsumptio manifestè vnum genus est blasphemantium Spiritum S. quia vt iam prælibatum est, contra eum agit, cuius nutu & gratia sancti Canones editi sunt.

Et Hilarius Papa in synodo Romana capite primo, vt refertur eadem causa 25. quæst. 1. can. 4. *Nulli fas,* inquit, *sine status sui periculo, vel diuinas constitutiones, vel Apostolicæ Sedis decreta temerare: quia nos qui potissimi Sacerdotis administramus officia, talium transgressionum culpa respiciet, si in causis desides fuerimus inuenti, &c.*

Item S. Gregorius lib. 2. epist. 7. seu c. 46. ad Ioannem Episcopum, vt refertur ibid. can. 13. *Hac consona sanctis Patribus diffinitione sancimus, vt qui sacris nescit obedire canonibus, nec sacris administrare, nec cōmunionem capere sit dignus, altaribus.* Quocirca non immeritò iam olim scripsit Ioan. Lupus in suo tractatu de libertate ecclesiastica, q. 4. n. 12. *Doctores volentes,* inquit, *aliter interpretari Iura diuina & Pontificia, quam interpretatum & decisum est per Ecclesiam, non videntur ab hæresi multum distare, & multa debent mala à Deo sperare & Ecclesia.*

Quod si ipsas etiam leges, quibus gloriantur, audirent, certè vel cum ipso Iustiniano, maiorem Canonibus sacris obseruantiam deberi animaduerterent, vtpote toties etiā Iure ciuili commendatam. *Sacras & diuinas regulas,* inquit Iustinian. in Authent. *Vt Clerici apud proprios* §. si verò, Coll. 6. *nostræ sequi non dedignantur leges* & in Authent. *Quomodo oporteat Episcopos.* §. sed etiā, coll. 1. ait, *sacras regulas, pro legib⁹ valere debere.* Et eodem tit. ait: *Bene vniuersa geruntur, & cōpetēter, si rei principiū fiat decēs & amabile Deo. Hoc autē futurū esse credim⁹, si sacrarū regularū obseruatio custodiatur, quā iusti, laudādi & adoran-*

& adorandi Inspectores (Episcopi,) *& ministri Verbi Dei tradiderunt Apostoli, & sancti Patres custodierunt & explanarunt, &c.* Et Imperatores Valentinianus ac Marcianus l. *priuilegia*, cod. de sacrosanctis Ecclesijs, *Omnes pragmaticas sanctiones, quæ contra Canones Ecclesiasticos interuentu gratiæ, vel ambitionis, elicitæ sunt, robore suo & firmitate vacuas cessare* præcipiunt.

CAPVT XIX.

CONCLVSIO VTRIVSQVE LIBRI, SENTENTIAM SVMMI PONTIFICIS IN VENETOS NON SOLVM IVSTAM ESSE, sed & necessario obseruandam.

CVM igitur, vt libro primo abunde ostensum fuit, decreta Veneta, omnisque eius Reipub. causa, quam contra summi Pontificis sententiam & mandatum tuetur, manifestè aduersentur libertati Ecclesiasticæ, tanta Imperatorum, Pontificum, Conciliorum tam vniuersalium, quam particularium, ipsius etiam sacræ scripturæ, diuiniq; & naturalis Iuris autoritate firmatæ; ac proinde omni humana, nedum Laica potestate superiori; cumque nulla vel generalis, vel particularis ratio fingi aut excogitari possit, qua aut cæteræ ditiones, aut speciatim Veneta Respublica, ab eius obseruatione, & obligatione immunis asseri possit, vt hoc secundo libro demonstratum; idcirco vt omnia præsentis controuersiæ momenta, in vnum quasi fasciculum collecta, semel ac simul ob Lectoris oculos proponamus; concludo hæc omnia iam satis per se, etiam nemine monente, ex dictis esse manifesta: primum, vsurpationem criminalis Iurisdictionis in personas Ecclesiasticas superius lib. 1.

cap. I. nominatas, vt & decreta Veneti Senatus, ibidem commemorata,fuisse iniquam.

Secundum,Iure proinde Senatui Veneto mandato eiusdem Romani Pontificis iniunctum fuisse, vt eiusmodi malè sancita, aut tentata retractaret.

Tertium, Senatum Venetum nullo iure mandatum, paternamq; summi Pontificis admonitionem,neglexisse.

Quartum,Iure igitur, præmissa debita admonitione, & in ipso Senatu statutarios, Anathemati subiectos, & ditionem Venetam Interdicto suppositam fuisse.

Quintum,Hanc proinde sententiam.velut salutare remedium, non solum ab ipso Senatu, sed etiam à cæteris præsertim Ecclesiasticis, quoad eos concernebat, reuerenter obseruandam fuisse.

Sextum, Male igitur & Principem Ecclesiasticos coëgisse,vt interdictum violarent, & Ecclesiasticos Principi iniusta imperanti morem gessisse, quos oportebat potius, pro libertate Ecclesiastica, & tam graui scandalo auertendo, honestam mortem oppetere,quam à iustissimis legibus descíscere. Exemplo sanctissimi Martyris Thomæ Episcopi Cantuariensis, qui vt in eius historia legimus, *cum Henricus Angliæ Rex coacta synodo Prouincialium Episcoporum,leges ferret, vtilitati ac dignitati Ecclesiasticæ repugnantes, adeo constanter obstitit Regiæ cupiditati, vt neq; pollicitationibus,neq; terroribus de sententia decedens, in exilium pulsus sit, &c. Non respexit carnem aut sanguinem* (propinquorum,) *neque vllus in eo humanitatis sensus pastoralis officij constantiam labefactauit, &c.* Sed in ipsa Ecclesia, *sacrum caput eadem constantia, qua iniquissimi Regis legibus restiterat, impio ferro præcidendum obtulit, &c.* Quæ historia nuper in Ecclesia lecta non dubito quin Venetæ ditionis prçsulibus ruborem excusserit; vtinam verò etiam lacrymas veræ pœnitentiæ indices.

Nec

Nec verò opus eſt, vt F. Paulo & Ioanni Marſilio, reſpondeam, qui ad eneruandam ſummi Pontificis ſententiam, hoc etiam vaniſſimè prætexunt, debitam Iuris formam in ea ſeruatam non fuiſſe. Præterquam enim quod ſummus Pontifex, pro ſumma, qua in Eccleſia pollet autoritate, poteſt ſi ita velit, prætermiſſis omnibus ſolennitatibus ſolo humano Iure requiſitis, contra nocentes validè procedere: tamen in hac ipſa cauſa, omnia communi Iure ad eiuſmodi proceſſum requiſita, à ſumo Pontifice accuratè fuiſſe obſeruata, iam à compluribus & Theologis, & Iureconſultis luculenter eſt demonſtratum; vt manifeſtum ſit, eos qui hæc obijciunt, nihil aliud quærere, quam inanes prætextus ad excuſandas excuſationes in peccatis. Qua ratione & Lutherus Hæreſiarcha iam olim proclamare auſus fuit, ſe ſuamq; doctrinam non auditam, non expenſam, temerè ac præcipitanter, ſine conſilio fuiſſe damnatam. Non eſt igitur operæ pretium, in his confutandis diutius immorari.

Maiorem veroſimilitudinis ſpeciem habet, quod ab Eccleſiaſticis in dominio Veneto conſtitutis obijci poſſe video, non ad tuendam cauſam Venetam, ſed ad ſuam imbecillitatem excuſandam, quâ Venetis iuſſis, ſeruato corpore, cedere maluerunt, quam anima & conſcientia illæſa, mandato ſummi Pontificis obedire.

Dicunt enim, aut ſaltem dicere poſſunt, Pontificis præceptum de ſeruando interdicto humanum fuiſſe, quod proinde ex recepta Theologorum ſententia, communiter cum vitæ periculo non obliget. Quin imo ſpeciatim in hoc ipſo genere legum, quibus ratione cenſuræ quippiam fieri prohibetur, graues Theologi ſentiunt, poſſe nonnunquam ob vitandum mortis periculum, aut ſimile quodpiam graue detrimentum,

abſque

absque peccato idipsum fieri, quod per censuram prohibitum erat. Ita generatim docent Dominicus Sotus in 4. sent. dist. 22. q. 1. art. 4. Syluester V. Excommunicatio 5. quæst. 14. Angelus verbo Excommunicatio 8. num. 18. Nauarrus in capitulum Inter verba, prælud. 3. n. 4. Franciscus Suarez in 3. partem S. Thomæ tom. 5. disp. 6. sect. 3. Henriquez lib. 8. cap. 60. num. 3. Cardinalis Toletus in summa lib. 1. cap. 9.

Sed reuera nec isti vlla probabilitate suam tueri causam possunt. Quanquam enim verissimum est, posse nonnunquam licite ad mortis, aut æqualis mali vitandum periculum, fieri id, quod alioqui per censuram prohibeatur, vt citati autores dicunt; tamen & illi ipsi, & omnes alij autores excipiunt eum casum, in quo talis censuræ neglectus tendat in detrimentum fidei aut Ecclesiæ, seu quia is, qui mortem intentat, in contemptum fidei, aut Ecclesiasticæ authoritatis, vel ipsius censuræ inflictæ, neglectum censuræ exigit; seu quia si palam ita censura negligatur, non solum Ecclesiasticæ disciplinæ neruus, non sine magno fidelium scandalo, interciditur, sed etiam ipsa Ecclesiæ authoritas contemptui quodammodo exponitur; seu quia causa, propter quam censura lata est, adeo grauis est, tantique ad felicem Ecclesiæ statum, animarumq; salutem momenti, vt ipsa etiam per se ab ijs, quorum interest, & quibus ex officio incumbit, Ecclesiæ bonum, animarumq; salutem procurare, vel cum mortis periculo defendenda sit. In his enim & similibus casibus, locum habent illa grauia quidem, sed immutabilia Christi Domini monita, Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animã, & corpus perdere in gehennam.* Luc. 9. *Qui voluerit animam suam saluam facere perdet illam: nam qui perdiderit animam suam propter me, saluam*

nam faciet illam. Et Matth. 17. *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Item 1. Ioan. 3. *Et nos debemus pro fratribus animas ponere.*

Quæ doctrina confirmatur etiam ex S. Thoma in 2. 2. q. 3. a. 2. vbi etiam propterea docet, fidei confessionem (non obstante mortis periculo) saltem in duobus casibus necessariam esse: nempe quando alioqui vel *honor debitus Deo, vel vtilitas proximis impendenda subtraheretur.* Denique hanc sententiam apertè indicat capitulum *sacris*, de ijs, quæ vi, metusúe causa fiunt, vbi dicitur: *Distinguimus autem, vtrū is, qui communicat excommunicatis inuitus, sit per coactionem astrictus, aut per metum inductus. In primo casu talem non credimus excommunicatione teneri, cum magis pati, quàm agere conuincatur. In secundo licet metus attenuet culpam, quia tamen non eam prorsus excludit, cum pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere, excommunicationis labe credimus inquinari, &c.*

Cæterum si malum fuit, etiam mortis metu, ad iniquā communicationem cogentibus cedere, quantò peius fuit cogere? Sanè quidem Symmachus Papa Anastasium Imperatorem acerrimè reprehendit, quòd fideles ad communicationem cum Achatio hæretico coegisset, eiq; ob hanc causam præter excommunicationis sententiam, diuinam vindictam etiam in hac vita imminentem denuntiat. *Vulgatum*, inquit, *fuisse designas, quòd tua serenitas directa militari manu compelleret eos, qui se à contagione perfidorum multis temporibus abstinere delegerint, vi & armis in prauaricatæ communionis consortia detestanda compellere. Vbi te, rerum humanarum Princeps, qualiscunq; Sedis Apostolicæ Vicarius contestari mea voce non desino, vt te memineris hominem, quantalibet sis mundi potestate subnixus, circumspiciasq; cunctos, qui ab initio dogmatis Christiani, Catholicā fidem diuerso proposito persequi, vel affligere sunt conati,*

quemadmodum (vastitationis insectatione, cuius placuit contritionis illata) ipsi, qui intulerint ista, praualendo defecerint, & orthothoxa veritas hoc praualuerit magis, quò putaretur oppressa; quae sicut sub insectatoribus suis creuisse monstratur, sic obtriuisse cognoscitur insequentes.

Miror si non humanus sensus intendit; praecipuè qui se Christiano vult vocabulo nuncupari, inter illos sine dubio deputandum, qui rectam confessionem, communionemq́; Christianam varijs superstitionibus impugnare sunt nisi, dum hanc & ipsi quocunq; modo percellere moliuntur. Quid interest enim, vtrum Paganus, an quod est deterius, sub nomine Christiano, veram synceramq́; traditionem Apostolicae regulae conetur infringere, atq; in hanc prorumpere caecitatẽ, vt cum in illis regionibus cuncta prorsus haereses, opiniones suas habeant publicè licentiam profitendi, sola Catholicae communionis libertas putetur ab ijs, qui se religiosos existimant, subruenda.

Et infrà: *Nos autem humani generis conscientiam contestati, qua possumus voce, nullatenus cessamus omnipotentem Deum suis causis minimè defuturum, & quantacunque sit humana praescriptio, quantacunque potentia, sub diuino nutu huius atrocitatis censurã sine dubitatione vindicandam. Nam talem ausum neq; hîc confidimus euasurum, & in illo magno Dei iudicio recepturum, quod ijs temeritatibus diuina retributione debetur. Haec nos nequaquam tacuisse sufficiat, vt cum suprema fuerit vltio subsecuta & vera nos protulisse consideratio humana cognoscat, & poenam non inaniter pronuntiasse venturam, & proposuisse praemonitionis formam, qua huiusmodi praecipitijs de caetero temperetur.* Ita Symmachus Papa ad Anastasium Imperatorem.

Sed & Gregorij Papae VII. exstat epistola, in qua ob hanc ipsam causam, quod temere cum excommunicatis cómmunionem miscuissent, Ducem ac populum Venetũ paternè corripit, & ad poenitentiam adhortatur; quid factu-

factuꝛus esset, si iam non excommunicatis communicantem, sed ipsummet Senatum suam excommunicationem spernentem, aliosq; ad suam communionem, vel sub pœna mortis adigentem vidisset. Verba Pontificis lib. 4. epistola 27. ita se habent: *Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, Dominico Siluio, Duci Venetiæ, & populo Venetiæ, salutem & Apostolicam benedictionem, si obedierint. Meminisse debetis, quanta vobis apud sanctam & Apostolicam Sedem multis iam temporibus & charitatis beneuolentia, & honorificentiæ gratia sit exhibita. Et nos quidem, teste conscientia nostra, non solum postquam ad Pontificatum venimus, sed & antea pluribus annis, vos & terram vestram valde dileximus, & non sine aliqua nonnullorm indignatione & inimicitia, ad prouidendum honori vestro, prompti fuimus; multum gauisi pro dilectione, quam erga vniuersalem omnium fidelium matrem, videlicet sanctam Roman. Ecclesiam, habuistis; & libertate, quā ab antiqua stirpe Rom. nobilitatis acceptā cōseruastis.*

Verum his temporibus (quod sine magno dolore non dicimus) non solum nostros exacerbastis affectus, sed omnipotentis Dei gratiam vobis procul dubio nimium labefactastis: quoniam nescio quibus peccatis facientibus à statu rectitudinis excidistis, & vltro extra consortium membrorum Christi, & Ecclesiæ facti estis, sectantes & recipientes eos, qui pro suis sceleribus excōmunicati sunt, & exorbitantes à fide, & Catholica SS. Patrum vnitate, doctrina, & corroborata diuinitus autoritate, per oēm inobedientiā & contumaciā in laqueū diaboli ceciderūt, & ministri imò serui Satanæ, à quo captiui tenentur, facti sunt. Quocirca dolētes de periculo animarū vestrarū, & ad reconciliationē diuinæ gratiæ vos reuocare cupientes, misimus ad vos hunc dilectū filiū nostrū Gregor. Diaconum S. Rom. Ecclesiæ, vt pœnitentiam agentes ab excommunicationis vinculo, in quod, participando cum excommunicatis, prolapsi estis, possitis absolui, & in communionem S. matris Ecclesiæ Apostolica indulgentia & benedictione restitui, &c. Ista Pontifex.

Atq; vtinam ſereniſſima Reſpublica tanta antiquæ nobilitatis & pietatis laude iam dudum excellens, ad hanc potius S. matris Eccleſiæ Apoſtolicam benedictionem aſpiret, quàm ad quorundam fraudulentas blanditias, qui nil veriti ſunt, in Apoſtolicæ Sedis ac iuſtiſſimæ ſententiæ contemptum, hanc ex Pſalmo ſententiam Venetiarum vrbi adſcribere: *Maledicent illi, & tu benedices.* Vbi nempe ſeipſos, quaſi Venetæ vrbi benedicentes innuere videntur. Sed miſera planè & eneruis benedictio, quam nulla benedicentis commendat autoritas; quam S. mater Eccleſia execratur, quam nullus fauor diuinus proſequitur; imò quã ipſa diuina ſententia condemnat. Sic enim Dominus apud Iſaiam 3. cap. *Dicite iuſto, quoniam bene, quoniam fructum adinuentionum ſuarum comedet. Væ impio in malum: retributio enim manuum eius fiet ei.* Hæc ergo diuina ſententia eſt, vt benedictio accidat bonis; væ autem & maledictio malis; niſi mali eſſe deſinant. Quomodo ergo iſte ſuam diuinæ ſententiæ aduerſam inferre audet benedictionem? Quæ non tam benedictio eſt, quàm peſtilens maledictio. Quid enim ægro de ſanitate blandiris, quam non habet? admone potius de ægritudine, vt remedium quærat, ne ex morbo mortem deniq; ipſam incurrat. Melius eſt dolorem in curando ſentire, quam neglecta curatione perire.

Audiat ergo prudentiſſima Reſpub. Deum ſibi acclamantem Iſai. 3. *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant.* Et rurſum Ierem. 23. *Et in Prophetis Hieruſalem vidi ſimilitudinem adulterantium & iter mendacij: & confortauerunt manus peſſimorum, vt non conuerteretur vnuſquiſq; à malitia ſua, &c. Nolite audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis, & decipiunt vos, viſionem cordis ſui loquuntur, non de ore Domini, &c.* Et quia ſtat ad iudicandũ Dominus, audiant, qui prophetarunt cum à Deo miſſi non

eſſent,

essent, benedixerunt, cũ iussi non essent; audiãt inquam, & ipsi iudicium Dei. *Ecce ego ad Prophetas*, ait Dñs, *qui assumunt linguas suas, & aiunt: Dicit Dominus: Ecce ego ad Prophetas somniantes mẽdaciũ, ait Dominus: qui narrauerũt ea, & seduxerunt populũ meum in mendacio suo, & in miraculis suis, cum ego non misissem eos, nec mandaßẽ eis, qui nihil pfuerunt populo huic, dicit Dominus.* Non pfectò irrita erit diuina cominatio, iterata asseueratione tã constanter pnunciata. Nec dubiũ in hos ipsos eã ipsam pœnã statuendam, nisi resipiscant, quã Dñs apud Ezech. c. 34. huius generis Pastoribus decreuit, *Ecce ego ipse super Pastores, requiram gregem meum de manu eorũ, & cessare faciam eos, vt vltra non pascant gregẽ, nec pascant amplius Pastores semetipsos, & liberabo gregem meum de ore eorũ, & non erit vltra eis in escam.*

Faxit autẽ benignissimus Deus, vt & ipsi Dñi Veneti ad verum Pastorẽ animarũ suarũ, eiusq; in terris Vicariũ conuersi, rursumq; ad comunem ouilis societatẽ adducti, egredientes & ingredientes pascua semp vberrima inueniant; & hi ipsi eorum nunc seductores, deposito fastu, pfligata temeritate, erroribus retractatis, omniq; culpa per verã pœnitentiam emendata, diuina inprimis gratia, deinde etiam Apostolicę sedis benedictione & indulgentia, meliores fiãt, & synceriores eorũ Doctores: vt sic ipsa Resp. tam externis bonis fortunata, quam internis diuinæ beneficentiæ muneribus ditata, & hîc pace iucundissima perfruatur, & æterna felicitate multò plenius exatietur, Amen.

Laus Deo, & Deiparæ Virgini.

FINIS.

Cum facultate Superiorum.

INDEX ALPHABETICVS RERVM PRÆCIPVARVM.

A.

S. Bern-

fuit.

Nemrod

Veneta

Menda sic emendanda.

In præfat. col. 1. vers. 17. lege epist. 137. Pag. 23. ver. 3. à fin. solius: pag. 30. v. 9. à fin. pro bonis, leg. personis. Ibid. v. 5. à fin. vices gerebat. Ibid. v. 3. à fin. pro, in Ecclesia laudabiliter, lege, pro Ecclesia vtiliter. Pag. 36. v. 5. leg. ordinariè licet. Pag. 38. v. 10. de bonis, adde, Ecclesia. Ibid. v. 12. leg. quæ in. Pag. 39. v. 18. Hoc consultissimo. Ibid. v. 6. à fin. competentem monitionem. Pag. 40. 18 peruenerint. Pag. 41. v. 12. Pontifex. Pag. 42. v. 6. iura insurgant. Pag. 43. v. 3. à fin. sic. Pag. 44. v. 4. à fin. ad Ecclesiam. Pag. 45. v. 8. vnquam tentassent. Pag. 54. v. 22. defectu. Pag. 60. v. vlt. Ducem, adde, Venetum. Pag. 63. v. 25. dele à. Pag. 84. v. vlt. leg. cap. 7. Pag. 97. v. 16. Valentinianus. Pag. 134. v. 1. quod est cognoscere peccatum. Pag. 143. v. 3. Tollesq; Leuitas. Pag. 146. Nehem. cap. 10. Pag. 165. v. 14. consona; eas. Pag. 201. v. 7. quid mihi. 237. v. 24. vanitate. 246. v. 3. à fin. secunda assertione. 263. v. 1. imprudentium. Ibid. v. 14. soluit solus. 272. v. 6. à fin. cap. 19. 273. v. 23. aduersus vos. 311. v. vlt. accidere. 313. v. 4. à fin. nempe. 318. v. 27. qui cum. 328. v. 3. falsa quadam. 331. v. 3. constituta lege. 340. v. vlt. sublimiter. 353. v. 8. paululum inclinauerat. 379. v. 25. ipsa tempora. 383. v. 15. obiuisse. 395. v. 4. indicant. 398. v. 19. vsq; adeo. 409. v. 7. ex, dele. 424. v. examini. 426. v. pen. malefactoribus suis. 431. v. 1. denuntiare. 432. v. 4. à fin. speciali. 447. v. 5. à fin. Anastasium. ibid. v. 4. à fin. ob.

Cætera lectora nulla monitione indigent.